24-H

J. L. 42f

ORLANDINI TRACTATUS.

NICOLAI ORLANDINI

E Societate Jesu

TRACTATUS SEU COMMENTARII IN SUMMARIUM CONSTITUTIONUM ET IN REGULAS COMMUNES.



ROEHAMPTON
EX TYPOGRAPHIA MANRESANA,

1874

54652

JOSEPHUS BOERO

E Societate Jesu

PATRIBUS AC FRATRIBUS EJUSDEM SOCIETATIS.

PERLEGENTI mihi nonnulla opuscula, quæ olim Patres nostri de Instituto Societatis ac de communi vivendi agendique ratione conscripserunt, quæque non sine aliqua Dei providentia et singulari beneficio, tot inter temporum vices rerumque publicarum perturbationes, ad nos usque pervenere, incidit in manus volumen satis spissum P. Nicolai Orlandini, in quo varii continentur tractatus seu commentarii in Summarium Constitutionum et in Regulas Communes. Placuit præclarissimi auctoris scribendi copia et elegantia; placuit scholastica disserendi methodus; placuit eruditio, perspicuitas, maxime autem accurata regularum explanatio ad mentem S. Patris Ignatii: summæque omnibus, ac præsertim iis, qui junioribus nostris sive novitiis sive scholasticis regendis instituendisque præsunt, utilitati futurum existimavi, si hujusmodi scripta in lucem ederentur.

Proposito enim ante oculos hoc probatissimo exemplari, tum Superiores nostri, tum Præfecti rerum spiritualium hinc ediscere poterunt, qua ratione, qua methodo ad regularum acquirendam

cognitionem earumque observationem urgendam alios cohortari oporteat: cæteri autem Societatis homines diligenti horum opusculorum lectione noverint quid perfectionis, quid sanctitatis requirant Constitutiones nostræ. "Homines mundo crucifixos," scripsit olim in præfatione primæ editionis Constitutionum P. Jacobus Laynez, vel, ut alii putant, P. Petrus Ribadeneira, "et quibus mundus ipse sit crucifixus vitæ nostræ ratio nos esse postulat; homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut justitiæ viverent: qui, ut S. Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant; et per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, magnis itineribus ad cœlestem patriam et ipsi contendant, et alios etiam, quacumque possunt ope studioque, compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes."

Sunt hæc profecto summa et præcipua Instituti nostri capita; quæ in iis opusculis, quæ modo typis edenda curamus, magna ex parte fusius et enucleatius explicantur. Quod autem non fuerint tantum in codicibus et Bullis Pontificum descripta, sed, quod plurimi interest, in usum et consuetudinem deducta, testantur tot viri sanctitate insignes, qui quovis tempore in Societate floruerunt, et ad summum Christianæ ac religiosæ perfectionis apicem ex integra Instituti observatione, Deo juvante,

pervenerunt. Jam decem ex his a Sede Apostolica in Sanctorum, centum et ultra in Beatorum album solemni cæremonia adscripti sunt; ut alios ferme innumeros, qui iisdem honoribus digni existimantur, silentio prætermittamus.

"Est igitur," ut verbis utar pientissimi viri e Societate nostra Josephi Mariani Parthenii, "cur lætemur, Patres Fratresque carissimi, et maximas primum Deo, tum optimo parenti nostro Ignatio gratias agamus et habeamus, quod cum jam trecenti et eo amplius a condita Societate fluxerint anni, nihil in tanta annorum intercapedine de summa Instituti nostri immutatum est, nec propemodum quidquam de fervore illo, qui majorum nostrorum pectus succendit, deferbuerit. Ad hanc usque diem asserta religio, hæreses profligatæ, maria transmissa, barbaries exculta, juventus in scholis ad pietatem et doctrinam erudita, provinciæ feræ excursionibus peragratæ, celebrata nosocomia, carceres aditi, vitia passim exstirpata, satæ virtutes; nullum prætermissum hominum genus, cuique ordini, summo, medio, infimo, opera impensa: non laboribus, non vigiliis, non sudoribus, non sanguini, non vitæ parcitum; nihil denique eorum omissum, quæ nostrum Institutum amplectitur, a nobisque postulat ac requirit. Atque, ut ad interiora veniamus, quæ gravioris momenti sunt, et unde tota vis et robur omne ad exteriora dimanat, ad hoc usque tempus domestica custodita severe disciplina, nulla nullis exemptio facta; non ætati, non promeritis quidquam indultum; leges omnes æque omnibus propositæ; nulla laboribus attributa merces;

nullum muneribus constitutum emolumentum; nulla contentio quæ totius Ordinis vinculum vel laxaret vel dissolveret; nulla ambitio, imo vero omnium animi ab omnibus præfecturis abhorrentes; orationis studium ac pietatis nunquam intermissum; et si quæ sunt alia, quæ enumerari oporteat, quibus recte institutæ sodalitates constituuntur, atque inter se quibusdam quasi adstrictæ vinculis continentur."[1]

Jam vero hæc omnia debent animum erigere, nosque omnes ad majorum nostrorum sectanda vestigia eo vehementius incitare, quo acrius hoc tempore profligatissimi religionis et Sedis Apostolicæ hostes in Catholicam Ecclesiam et in universam Societatem Jesu fere ubique gentium debacchantur. Eodem modo quo sanctissimæ religionis dogmata, leges, decreta, cæremonias, ministros; etiam Institutum nostrum, constitutiones, regulas, ministeria, et ipsos Societatis homines, qua voce, qua scriptis et publicis etiam edictis proscindunt, damnant, omnique contumelia afficiunt. Quid autem gloriosius nobis accidere potest, qui Christi imitatores effecti, quam ut aliquam cum illo partem in passione habeamus? Si homines hujus sæculi Christum persecuti sunt, et nos persequentur; quia non est discipulus supra magistrum. Inhæreamus itaque legibus institutisque nostris; et recte factorum conscientia erecti nostra gradiamur via lætantes, quoniam ideo digni habiti sumus contumeliam pati.

Sed ut ad opuscula, unde digressi sumus, redeamus; hæc sunt numero quatuordecim, et præcipuas respiciunt Constitutionum ac regularum partes.

[1] In præfat. quadam mss. ejusd. auctoris.

Dolendum sane est, quod plura alia non scripserit religiosissimus auctor : sed quum paucis tantum annis tum Romæ, tum Neapoli magistri novitiorum munere functus fuerit, et inde revocatus ut historiam Societatis conscriberet, haud potuit cœptum opus perficere. At non pauca hæc, quæ habemus, ansam forte dabunt multis, ut ea ratione, qua ille usus est, pergant cætera Constitutionum et Regularum capita ad communem utilitatem explicare : atque ita ex hac etiam parte fructum amplissimum arbitror me esse consecutum in editione prædictorum opusculorum.

INDEX OPUSCULORUM.

OPUSCULUM PRIMUM.

PAG.

De Constitutionum observatione 1

Pars I. § 1. De necessitate Constitutionum 1

§ 2. De Constitutionum utilitate 9

§ 3. De Constitutionum auctoritate 14

Pars II. De modo quo Constitutiones observandæ sunt, juxta Regulam 19 Summarii 16

Pars III. De auxiliis et mediis, juxta Regulam 52 Summarii . 22

OPUSCULUM SECUNDUM.

De Societatis fine, juxta 2 Reg. Summ. exam. c. 1. § 2. 28

§ 1. De suæ saluti ac perfectioni vacando 28

§ 2. De alienæ procuratione salutis ac perfectionis . . 36

OPUSCULUM TERTIUM.

De diversis regionibus animarum causa peragrandis, et in quavis mundi plaga degendo, juxta tertiam Summ. Constit. ex p. 3. c. 2. 47

Pars I. § 1. Quoad primum 47

§ 2. Quoad secundum 51

Pars II. De vita agenda in quavis mundi plaga . . . 60

OPUSCULUM QUARTUM.

PAG.

De Ratione vivendi societatis nostræ, juxta Constitutionem quartam Summ. ex cap. 1. Exam. § 6. . . 75

OPUSCULUM QUINTUM.

De Pœnitentiis 91
§ 1. Quoad ultro suscipiendas 91
De primo errore 92
De secundo errore 100
De tertio errore 107
§ 2. Quoad Pœnitentias impositas 116

OPUSCULUM SEXTUM.

De Ferendis æquo animo delatoribus, Juxta Regulam 9 Summarii ex Exam. c. 4. § 8. 141

OPUSCULUM SEPTIMUM.

De Manifestandis se mutuo fratribus, juxta Regulam 10. Summarii in Exam. c. 4. § 8. 160

OPUSCULUM OCTAVUM.

De antevertendis tentationibus; In Regulam 14. Summarii 175
§ 1. Quoad tentationes antevertendas 175
§ 2. Quoad necessitatem antevertendi tentationes . . 180
§ 3. Quoad modum antevertendi 194
Quibusdam objectionibus occurritur 194
Quænam tentationes antevertendæ sunt 204

OPUSCULUM NONUM.

De Recta intentione, in Regulam Summarii 17. Ex par. 3. c. 1. § 26. 210

OPUSCULUM DECIMUM.

PAG.
De Examine, et discussione suæ conscientiæ . . . 251
§ 1. Quoad necessitatem quotidiani examinis . . . 252
§ 2. Quoad utilitatem quotidiani examinis 264

OPUSCULUM UNDECIMUM.

In Regulam 28. de Castitate 307
§ 1. Puritas perfecte est servanda 307
§ 2. Angelica puritas est imitanda 313
§ 3. Angelica puritas est difficilis 320
Difficultas ex humana imbecillitate 321
Difficultas ex pugna universali 324
Difficultas propter insidias 329
§ 4. De mediis ad Angelicam puritatem 335

OPUSCULUM DUODECIMUM.

De Disciplina mensæ, juxta Summarii Regulam 30. Ex
3. part. c. 1. § 5. 366
§ 1. De cibi sumendi ratione 366
§ 2. De benedictione mensæ 382
§ 3. De lectione ad mensam 388

OPUSCULUM DECIMUMTERTIUM.

De Valetudinis habenda ratione, juxta Constitutiones
ac Regulas 393
In Regulam Summarii 46. 395
§ 1. De nimia corporis sollicitudine 395
§ 2. De moderata corporis cura 41
§ 3. De moderatæ curæ signis 414
In Regulam Summarii 47. 421
§ 1. De nimio labore vitando 421
§ 2. De necessitate moderati laboris 425
§ 3. De studiis mentis interrumpendis 433

PAG.
In Regulam Summarii 48. 447
§ 1. De immoderata corporis castigatione vitanda . . 449
§ 2. De malis ab immoderata castigatione allatis . . 453
§ 3. De castigationibus confessario detegendis . . . 459
De ordinata victus ratione 470
§ 1. De ordinatione quæ ex administratione pendet . . 470
§ 2. De ordinatione quæ ex cujusque prudentia pendet . 479
De indicandis morbis, et non adhibendis medicinis, juxta Regulam 17. ex Constitut. 495
§ 1. De morborum aperiendis initiis 496
§ 2. De medicina non accipienda Superioris injussu . . 498
§ 3. De medico nec eligendo nec consulendo, nisi approbante Superiore 501
De obedientia medicis spiritualibus et corporalibus exhibenda, juxta Constit. 49. Summarii 505
De obedientia medicis corporalibus atque infirmariis præstanda 512
De ægrotorum cura gerenda, juxta Constitutiones 3. p. 3. 2. § 6. l. 9 519
§ 1. De præpositorum cura 519
§ 2. De ministrorum cura 530
Quænam ad ægrotorum diligens ministerium sedulamque operam nos impellant 538
In Regulam Summarii 50. 542
§ 1. Ubi ædificatio sita sit 543
§ 2. Quantum debeant ægroti alios ædificare . . . 554
§ 3. Ædificatio ab ægrotis qua ratione sit præstanda . . 557
Ad morborum tolerantiam plurimum valere Job patientis exemplum 563
De cultu corporis 570
De victu 571
De ægritudine ac tristitia S. Job 574

OPUSCULUM DECIMUMQUARTUM.

In Regulas Modestiæ 581
Quid sit Modestia 581
Cur scribantur de Modestia Regulæ 586
Ad quem ordinem ea quæ tradunt Regulæ revocentur . . 592

PAG.
In Primam ut Undecimam Regulam 593
De modestiæ præceptis in universum 593
De modestia motuum gestuumque corporis 603
In Secundam Regulam 603
In Tertiam et Quartam Regulam 605
De dejiciendis in terram oculis 606
In Quintam, Sextam et Septimam Regulam 620
De rugis in fronte vitandis 620
De labiis nimis pressis, aut deductis fugiendis . . . 622
Quinque temporibus moderandus oris hiatus . . . 622
De oris tristitia, ac severitate vitanda 624
De frontis serenitate atque hilaritate 625
Cur imperetur serenitas vultus 625
Quomodo obtinenda hilaritas oris 631
Quatuor viis interior comparatur hilaritas 631
In Regulam Nonam 636
De manibus gubernandis ac moderandis 636
In Regulam Decimam 641
De incessus moderatione 641
De modestia in comitatu servanda 645
De modestia ac decoro vestitus 649
De vestis munditie 649
De compositione vestium 655
De modestia et ratione loquendi 658
De eo, qui loquitur 658
De materia sermonis 660
De ratione et forma loquendi 685
De fine loquendi 695
De circumstantiis 702

OPUSCULUM PRIMUM.

DE CONSTITUTIONUM OBSERVATIONE.

De Constitutionum observatione dicturus, tres in partes rem totam tribuam, ita ut primum de Constitutionum necessitate, utilitate, et auctoritate dicamus, juxta Proœmium Constitutionum: hæc enim perspecta ad earum observationem maxime impellunt. Deinde de modo ac perfectione qua Constitutiones ipsæ servandæ sunt juxta regulam 15 Summarii ex Const. P. 6, c. 1, § 1. Postremo de auxiliis ac mediis, quibus illæ facile custodiantur atque serventur juxta regulam Summarii 52, ex Const. P. 10.

PARS I.

§ 1.—DE NECESSITATE CONSTITUTIONUM.

Dicamus igitur quod ad id quod primo loco propositum est spectat; prius de necessitate, et deinceps de duabus reliquis. Necessitatem autem scribendarum Constitutionum quatuor rationibus noster Pater ostendit. Prima est, quia suavis dispositio divinæ providentiæ suarum creaturarum cooperationem exigit; 2ª, quia Christi Domini Vicarius ita statuit; 3ª, quia Sanctorum nos docent exempla; 4ª, quia vis lumenque rationis ita demonstrat. Ex his rationibus secunda et tertia explanatione non indigent, cum per se ipsæ planissimæ sint. Explanabimus igitur primam et postremam.

Ac prima quidem ratio, si recte perpendatur, petitur ex fine. Quod ut planius intelligatur, animadvertendum est, Constitutionum finem, ut in earum Declarationibus

dicitur, esse conservationem atque incrementum Societatis; finem inquam proximum, nam ultimum statuunt, ut etiam in nona parte dicitur, majus Dei obsequium et universalis Ecclesiæ bonum.[1]

Ad hunc autem finem proximum obtinendum tria nobis Constitutio, quam explicamus, ostendit. Unum ex parte Dei: alterum ex parte cujusque privati: tertium ex parte totius religionis.

Ex parte Dei plurimum valet ejus præcipuum auxilium, quod ex quinque rebus quæ in hoc procemio tanguntur, sperari tuto potest. 1° quidem, quia cum sit Creator rerum omnium ac Dominus, nullo negotio conservare atque augere hanc minimam Societatem potest; ideo dicitur "Creatoris nostri ac Domini." 2°, quia scit tenetque rationes conservandæ, gubernandæ et promovendæ Societatis, et propterea dicitur "Summa Sapientia." 3°, quia bonus cum sit, vult eam omnino conservare et augere. Ideo dicitur "Bonitas." 4°, quia Societatis incolumitas, conservatio et incrementum ad ejus obsequium et servitutem pertinet, et idcirco additur "in suo sancto servitio." 5°, quia ipsa Societatis initia atque institutio id nobis pollicentur, in quibus eadem Potentiæ, Sapientiæ, et Bonitatis attributa cernuntur, et ob hanc causam dicitur, ut "eam dignata est inchoare;" non enim inchoasset, nisi aut posset, aut sciret aut vellet inchoatam perficere et ad suum exitum finemque perducere.[2] Quod ipsum decima etiam constitutionum parte noster Pater ostendit, ubi ait, non mediis humanis institutam esse Societatem, sed gratia Omnipotentis Dei, ideoque in eo solo spem constitui oportere, quod conservaturus sit, et promoturus hoc opus, et juxta hanc spem statas et frequentes ubique precationes præcipit adhibendas,[3] quod quidem singulis hebdomadis et mensibus et annis facimus, ut constitutiones ipsæ præscribunt. Hac nimium spe fiduciaque in Deum se sustentat Apostolus cum Philippensium sibi pollicetur in fide constantiam:[4]

[1] Cap. 3, § 8. [2] § 1. [3] P. 10, § 1. [4] Cap. 1.

"Confidens," inquit, "hoc ipsum, quia qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." Simillimus Constitutioni nostræ locus.

Secundum, quod ad conservationem et incrementum Societatis valet, est lex amoris et charitatis, qua unusquisque privatus ad virtutem sanctitatemque progredi debet, unde oritur bonum totius Societatis. Hanc autem amoris legem plus ad id valere significat noster Pater, quam quaslibet constitutiones et regulas; idque tribus de causis.

1°, Quia lex amoris lex est Spiritus Sancti: quia ut dicit Paulus,[1] "non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis;" et ideo dicitur in Constitutione "quam Sanctus Spiritus scribere," etc., constitutiones autem sunt leges hominum. Quis autem nesciat legem Dei ejusque Sancti Spiritus plus valere quam leges humanas? "Beatus homo," David inquit,[2] "quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum." Opponit igitur primo noster Pater legem Sanctus Spiritus constitutionibus, quæ sunt leges humanæ.

2°, Quia lex amoris lex est interna: constitutiones autem externæ; at plus virium habet ad agendum id quod interius est, quam quod est adventitium et externum. Quare quanto præstant inanimis animata, tanto præstat lex amoris interna externis constitutionibus et statutis: ut enim quæ prædita sunt anima principium motus in se ipsis habent et ex sese moventur, inanima vero alieno motu cientur: sic qui lege ducuntur amoris sponte sua moventur ad bonum; qui lege humana, vi potius et metu quodam; ideoque lex humana lex est timoris, divina autem amoris; et quoniam justus amore potius quam timore ducitur, idcirco justo dicitur[3] non esse lex posita, quia quod impii atque injusti timore legis inviti faciunt, id justus sponte Deique amore facit. Opponitur igitur secundo in hac Constitutione lex interna constitutionibus externis.

[1] 2 Tim. 1. [2] Ps. 93. [3] 1 Tim. 1. Ro. 7.

3°, Lex hæc amoris scribitur et imprimitur in cordibus,[1] "quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis;" constitutiones autem humanæque leges in chartis: ideoque dicitur "quam Spiritus Sanctus scribere et imprimere in cordibus solet;" quod est quasi quædam explicatio verbi illius, "interna." Idcirco autem Spiritus Sanctus scribere ac imprimere in cordibus hanc legem dicitur, tum quia mentem illustrat ad contuendum bonum, tum quia voluntatem inflammat ad persequendum. Cor enim in sacris libris modo pro mente atque intelligentia, ut Rom. 10: "Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;" modo pro animi affectu ac voluntate usurpari solet, ut Ps. 118: "In toto corde meo scrutabor mandata tua;" et alibi sæpe. Jam si cæteræ humanæ leges ac constitutiones, etsi tamquam regulæ illæ quidem errantem dirigunt, ne a recto cursu deflectat, tamen nec tantum lucis afferunt, quantum lex a Spiritu Sancto impressa, nec adeo voluntatem inflammant; scripta sunt enim atramento, non Spiritu Dei vivi; et in tabulis lapideis, ut Paulus loquitur, non in tabulis cordis carnalibus.[2] Dicitur autem Spiritus Sanctus non solum scribere sed etiam imprimere legem charitatis in cordibus nostris, tum quia quæ sunt impressa firmiora plerumque sunt ad diuturnitatem, quam quæ leviter adumbrata sunt calamis, lex autem amoris nobis semel impressa, nisi per negligentiam nostram stet, non facile exuritur ac deletur; tum quia quæ imprimuntur, subito ac momento imprimuntur, nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti vis, ut Ambrosius ait; cum contra, quæ scribuntur literisque mandantur, egeant tempore atque mora: ut intelligamus, si nostræ vocationis initio, Dei agamur amore legeque charitatis, subito in nobis imprimi, et quæ declaranda et quæ persequenda videantur. De hac lege dicit Dominus per Jeremiam,[3] et citatur ab Apostolo Paulo:[4] "Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum

[1] Rom. 5. [2] 2 Cor. 3. [3] Jer. 31. [4] Heb. 8.

superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor." Quæ verba de statu gratiæ dicta, in quo versamur, interpretatur Apostolus, et referenda præcipue sunt ad prisca illa nascentis Ecclesiæ tempora, cum Christiani accepto Spiritu, nullo labore, quæ ad fidem pertinent, docebantur; lex enim evangelica Apostolis et discipulis non esset scripto tradita, nec ut olim Judæis in tabulis descripta lapideis, sed per Spiritum Sanctum, cujus est lex amoris et charitatis. Et talem nobis legem commendat B. Pater noster.

Tertium, quod ex parte religionis ad consequendum Societatis finem valet, est cooperatio quædam per idonea præsidia ad auxilium Omnipotentis Dei; et hoc est quod Constitutio dicit, "suarum creaturarum cooperationem exigit; ubi conscribendarum constitutionum prima nititur ratio. Licet enim religio ipsa Dei auxilium conservantis et promoventis Societatis bonum certissime speret, quod unum ad eam rem satis ex se esset, debet tamen, quantum in se est, ea quoque adhibere præsidia, quæ ad conservandum augendumque Societatis bonum pertinere videantur, studiisque humanis divinis etiam cooperari præsidiis. Nam, ut in naturalibus actionibus necesse est duo concurrant agentia, quemadmodum loquuntur philosophi, alterum singulare, quod est natura, alterum universale, qui Deus est; sine quo utroque nulla fere fit actio: sic in actionibus spiritualibus et iis quæ ad æternam vitam spectant duo item concurrant necesse est; Dei gratia tamquam agens universale, et hominis cooperatio tamquam particularis agentis. Ac Dei quidem gratia satis illa quidem ex se est ad ferendam, si vult, salutem; sed quia suaviter disponit omnia Deus, requirit etiam studium atque opus particularis agentis; quia qui fecit te sine te,

Augustinus ait, non salvabit te sine te. Quam cooperationem in se ipso Paulus ostendit cum dixit,[1] "Gratia Dei mecum; et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi." Cum igitur suavis dispositio divinæ providentiæ requirat cooperationem suarum creaturarum, velitque ex parte sua Societatis tueri atque augere bonum; necesse est, ut Societas ipsa quoque ejus cooperatura providentiæ vias aliquas et præsidia quærat, quibus ad ejusdem boni conservationem atque amplificationem una cum divina gratia ac bonitate concurrat. Hæc autem media atque præsidia alia profecto non sunt, quoniam de humanis hic loquimur, nisi constitutiones ac regulæ, quæ a singulis observatæ mox pariunt bonum corporis universi.

Primæ igitur explanatio rationis, quæ scribendarum constitutionum necessitatem ostendit, hujusmodi est. Secunda vero et tertia, ut supra diximus, explanatione non egent; tamen de iis quoque infra, ubi de Constitutionum auctoritate agemus, nonnulla dicentur.

Quarta igitur nunc restat ratio, quæ intelligentiæ lumine atque vi et ipsamet facultate rationis tota nititur; quæ quidem duplex est, ut ex ipsis, quæ mox sequuntur, Constitutionis verbis intelligitur. Altera, quia constitutiones juvant ad melius in via incœpta divini obsequii procedendum. Altera, quia in eadem via melius procedimus juxta Instituti nostri rationem.

Quod autem constitutiones adjuvent processus nostros in inchoata Domini via, tria indicant.

Primum, quia unaquæque respublica, ut ait Plato,[2] legibus ad se regendam et gubernandam indiget. Neque enim satis est ullius hominis ingenium a natura ita institutum atque formatum, ut quæ ad recte ac laudabiliter vivendum valent ea plane intelligat, aut si intelligat, præstare semper queat, aut si queat, omnino velit; id quod etiam in artibus cerni licet, quarum ad normam suum quisque opifex opus dirigit. Nam faber et architectus, quamvis

[1] 1 Cor. 15. [2] Dial. 9, *De Leg.*

mente præstent, tamen nisi aut ille perpendiculo in ducendo pariete, aut hic in ædificii ratione certis utatur legibus regulisque, omnia uterque depravet: vel certe minus recte minusque facile opus suum absolvat. Itemque pictores atque fictores cæterique opifices, si cum laude et sine errore sua opera perfecta velint, omnes item suarum artium legibus necesse est pareant. Idem ergo nobis in hac spiritali republica atque in hac arte serviendi Deo usu venit, ut certis quibusdam legibus egeamus, quibus tamquam adminiculis quibusdam, virtutis nostræ progressio perfectioque nitatur.

Secundum. Illud etiam indicat quantum nobis in via Dei procedentibus constitutiones afferunt adjumenti, quod lex charitatis non unicuique semper adest, nec in omnibus semper scribitur atque imprimitur; hominum videlicet vitio, qui se agi a Spiritu non permittunt: non enim temere in Constitutione dicitur, "quam Spiritus Sanctus solet imprimere," non autem quam imprimit, quia non in omnibus, inquam, semper imprimitur. Qua in re divina tum benignitas tum sanctitas cerni licet, quæ in hujus vitæ via delinquentibus legem etiam externam statuit, quæ interioris legis, cum abfuerit, vires expleat. Quod quidem secum ipse reputans David dicebat:[1] "Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via." Rectus enim sanctusque cum sit, non potest pravitatem ullam ullius ferre delicti: idemque cum sit dulcis et benignus, non potest non delinquentibus certam quamdam vivendi legem ac regulam commonstrare: qua et a suo illi resipiscant errore, et justitiam, quam adamant, amplectantur.

Tertium. Huc accedit, quod lex interna lex est cujusque privati; nam et ad naturam cujusque ipsemet Sanctus Spiritus se accommodat, ex quo fit ut, præter hanc interiorem privatamque legem, necessaria sit lex quædam communis exterior, quæ non modo ad singulos verum

[1] Ps. 24.

etiam ad universos spectet. Tales sunt constitutiones et regulæ; quare id quod præcipiunt, ad omnes spectat, cum ad extrema non vergant, ut dicitur Const. P. 10, § 10; spiritus autem privatus suggerit sæpe cuipiam id quod alteri forsitan nimium sit, licet ei cui suggerit, non sit nimium, sed necessarium.

Ex his igitur intelligitur, quantum constitutiones afferant adjumenti ad optatos in via Domini processus efficiendos.

Altera vero ratio, quæ ex eodem intelligentiæ lumine, et ipsa rationis facultate oritur, est, quia in via divini obsequii non melius utcumque procedimus, sed juxta Instituti nostri rationem. "Nam cum multiplices diversique sint modi pie vivendi," ut ait Theodoretus, "in singulis poscit Deus leges congruentes illi vitæ, quam quisque delegit,"[1] et hoc est, quod de homine timente Deum cecinit David, "Quis est homo qui timet Dominum, legem statuit ei in via quam elegit."[2] Nec enim satis est religioso more vivere, sed cum variæ multiplicesque sint religiosorum familiæ ac disciplinæ, et unaquæque suis legibus constituatur, necesse est ut qui in eas adscribi volunt, ii secundum suæ familiæ leges atque instituta Deo famulentur et serviant. Alioquin si unius alumni familiæ alterius legibus Deo serviant, suæ neglectis institutis ac legibus, magna perturbatio oriatur, et nativo germanoque amisso spiritu, peregrinus spiritus induatur necesse est. Similiter enim is faciet, ac si pictor aliquis, suæ artis regulis legibusque neglectis, malit ab arte fingendi, quæ picturæ finitima est, leges petere; aut si orator in epidictico genere, a poesi, quæ in eodem sæpe genere versari solet exornationis, malit haurire præcepta, quam ab arte dicendi. Suæ enim quisque artis præcepta teneat necesse est, suis legibus pareat, si in eo vellet excellere; eodemque modo suæ familiæ ac disciplinæ institutis inhæreat necesse est, quisquis ad perfectionem absolu-

[1] In Ps. 24. [2] *Ibid.*

tionemque virtutis facili compendio meditatur ascendere. Quam ad rem constitutiones videlicet faciunt, quibus Instituti cujusque ratio familiæque continentur.

His rationibus scribendarum constitutionum necessitas demonstratur. Quod si eas conscribi necesse est, profecto et earum observatio necessaria: idcirco enim scribuntur, ut ab unoquoque serventur, non ut scripto mandatæ cernantur.

§ II.—DE CONSTITUTIONUM UTILITATE.

Ex his, quæ diximus, nihil est jam negotii constitutionum commoda utilitatesque colligere. Eæ quinque esse possunt.

Prima utilitas est, quod etsi nulla esset constitutionum necessitas, quam maximam esse docuimus; earum tamen observatio perfacilem nobis et expeditam viam munit ad progressionem spiritus ac virtutis. Hoc supra pluribus effectum est in quartæ explanatione rationis, qua constitutiones juvare dicuntur ad melius in via incœpta divini obsequii procedendum. Ut enim qui aliquo peregre proficiscitur, duce itineris adhibito, facilius tutiusque illuc pervenit, quam nullo adjuncto comite, qui viam monstret erranti; sic qui ad perfectionem religiosam nititur, ipsam facilius attingit, qui vitæ, quam ingressus est, leges tamquam duces tam ardui itineris consectatur.

Et confirmatur; quia constitutiones faciliorem nobis reddunt non modo mandatorum verum etiam consiliorum disciplinam. Non enim ipsa modo peccata, verum etiam peccatorum occasiones prohibent, ut qui constitutiones servat, difficillimum sit eum in peccata graviora labi; una enim eademque opera et peccata ipsa declinat et peccatorum causas amputat, quod ei qui in communi vulgarique vita versatur, haud ita facile esse potest; quoniam præter legem mandatorum nullis arctiorum legum continetur habenis. Quisquis autem arctioribus legibus se astrinxerit, is multo facilius laxioribus obtemperabit, ut non sine

causa petat sibi a Domino propheta David; non modo vias ejus demonstrari, quæ laxiores sunt, verum etiam ejus semitas edoceri, quæ sunt arctiores; "Vias tuas Domine," inquit, "demonstra mihi et semitas tuas edoce me."[1] Semita autem, ut ait Glossa quædam,[2] strictior est ac rectior via communi, et, ut ait Cassiodorus, angusta et occulta cum sit, paucis est nota. Via vero communis est de ordine vitæ, qui convenit omnibus. Itaque viarum nomine, mandata quæ æternæ saluti sunt necessaria; semitarum autem, consilia quæ ad perfectionem spectant, accipiuntur; nequaquam enim communi justitiæ via propheta contentus, ut eadem Glossa significat, perfectæ etiam justitiæ semitas contestatur, quo tutior perfectiorque sit salus. Constitutiones porro nostræ semitarum nobis instar sunt, cum totæ ad consiliorum perfectionem referantur. Eædemque trium votorum substantialium, quibus tota Religionis vis continetur, præcipua quædam sunt adjumenta. Quotusquisque enim est, qui aut obedientiam præpositis suis perfectam atque integram non exhibeat, si ad Superioris vocem assuescat, perinde ac si a Christo Domino egrederetur, se esse quam promptissimum, ut Constitutio jubet? Aut castitatis votum non usquequaque persolvat si, ut alia præcipit Constitutio, puritatem conetur angelicam castimonia mentis et corporis imitari! Aut paupertatem non præseferat egregiam, si ut in alia Constitutione præscribitur, eam studeat diligere ut matrem! Nulla re uti tamquam propria, animo esse ad mendicandum parato, nihil mutuo dare, nihil accipere, nihil ex his quæ domi sunt dispensare! Præclare igitur et vota sua reddet, quisquis perfectæ Constitutionum observationi dat operam, et divinis mandatis cumulatissime satisfaciet.

Secunda utilitas est, quod non sinunt nos Constitutiones a nostræ vocationis spiritu, nostrique Instituti semita declinare. Patet, quia non quodcumque adjumentum

[1] Ps. 24. [2] Lara.

nobis dare in via divini obsequii procedentibus Constitutiones dicuntur, sed juxta Instituti nostri rationem ; ex quo efficitur, eum qui alia via quam servandis Constitutionibus ad perfectionem religiosam ingreditur, Societatis spiritum non præseferre, nec Instituti nostri rationem potissimam adimplere. Ut de quibusdam suis monachis videtur indicare Bernardus, qui cum communi cum cæteris vita contenti non essent, non regulari jejunio, non imposita disciplina, non usitatis vigiliis, et communibus privata præferrent, redarguit eos tamquam alium viderentur habere spiritum, ab eo, quem conversionis initio recepissent. "Bonum," inquit, "receperatis spiritum, sed non bene utimini eo ; vereor ne alium præ isto recipiatis, qui sub specie boni supplantet vos."[1] Et recte : quisquis enim alia via, quam per suæ disciplinæ leges ad perfectam vitam contendit, is specie boni deceptus ab institutis aberrat, et inanis tandem est omnis ejus contentio atque labor.

Tertia utilitas est, quod Constitutionum observatio non modo prodest ei, qui eas servat, verum etiam universæ familiæ, cujus est membrum ; id etiam ex hoc Constitutionum Proœmio planum est. Dicitur enim divina bonitas Societatem conservatura requirere suarum creaturarum cooperationem. Hanc autem cooperationem dicebamus esse Constitutionum adjumenta, quæ a fundatore conditæ atque præscriptæ serventur a singulis. Earum igitur in singulis observatio ad bonum pertinet corporis universi. Nam cum ex partibus totum constet, et ex singulis universitas, si singuli Constitutionum se observatione perficiant, quis dubitet, quin eadem opera ac tempore Religio universa perfici debeat? Deinde, quia cum quis ad Constitutionum normam suas omnes actiones vitamque totam dirigit, cæteris est exemplo similis disciplinæ, quod sensim manat ad multos ; ex quo efficitur, ut qui Constitutiones negligit aut violat, is, quod in se est, universæ sit disciplinæ pernicies, quoniam suo cæteros vitiat et

[1] Ser. 19 in Cant.

corrumpit exemplo, præsertim si is Religionis antiquitate cæteris præstet. Nam recentissimus quisque id facit quod fieri ab antiquioribus animadvertit. Quare sapienter Bonaventura,[1] cum rationes undique colligit, cur Religiosorum familiæ, quæ tam præclare initio fundatæ et constitutæ cernebantur, procedente tempore a pristino illo initiorum ardore deficiant, et ad extremum nimium edant ruinas, hanc in cæteris rationem affert, quia severioris disciplinæ desunt exempla, vita extinctis aut etiam senescentibus qui ea præbebant egregia; quod quidem valde unumquemque terrere debet, cogitantem ex suo exemplo suæ pendere familiæ vel interitum vel salutem.[2] "Nam," ut ait Nilus, "neminem manent certiora supplicia quam illum, qui vitiorum suorum discipulos facit. Imitantium enim interitus pœnarum magnitudinem offert præceptori, nec tamen discipuli magnam effugient damnationem, cum in magistro ea turpiter imitentur, quæ uti fœda ratione ipsa duce fugere debuissent." Atque haec est causa cur Abbas Chæremon apud Cassianum non permittebat secum quemquam ex junioribus habitare, ne pro exemplo alterius districtio laxaretur.[3]

Quarta utilitas est Ecclesiæ universæ bonum. Patet; quia in Constitutionis declaratione dicitur finis esse Constitutionum ut universum corpus Societatis et particularia ejus membra ad sui conservationem et incrementum, ad gloriam Dei et universalis Ecclesiæ bonum juventur; neque enim Societas sibi tantum studet, verum etiam proximis universis, neque ideo instituta est, ut privatorum dumtaxat, qui in ea degunt salutem et sanctitatem spectet, verum etiam ut sese porrigat et explicet ad omnium hominum salutem ac perfectionem, et, ut Paulus ait, exhibeant omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Quare qui in ea sunt, si se ipsi omni studio curaque perficiant, id quod diligenti Constitutionum observatione

[1] In quæst, circa regulam.
[2] Bib ascet. [3] Coll. xi., c. 4.

consequi nos posse jam diximus, quis dubitat, quin quanto ipsi perfectiores extiterint, tanto latius uberiusque profuturi sint proximis, universæque Ecclesiæ Dei? Tum quia, quæ ipsi jam didicerunt, ea facile aliis tradere ac communicare possunt: tum etiam quia eorum exemplum plurimum ad persuadendum valet. Usus profecto atque experimentum id docet; videmus enim homines sæculares religiosorum exemplo in utramque partem magnopere incitari, sive ad bonum, si bona, sive ad malum, si mala intueantur exempla. Quod si omnes religiosorum familiæ sanctæ perfectæque sint, tales et necesse est esse populos universos; talem denique Christi Ecclesiam, quæ magna ex parte his familiis atque ordinibus constat.

Quinta ac postrema utilitas est gloria Dei, ut in Constitutione dicitur, ad quam universa denique et Societatis et Ecclesiæ sanctitas referenda est, ad eam enim gradatim ascenditur; nam ex studio et cura cujusque in custodiendis servandisque Constitutionibus, ipsius privati sanctitas et perfectio; ex privatorum perfectione perfectio societatis universæ; ex hujus autem sanctitate universæ Ecclesiæ bonum, ex quo denique Dei gloria honorque proficiscitur. Ita Constitutionum observatio, divinæ gloriæ causa est. Id enim sibi proponit extremum, quo universa referenda sunt: "Quoniam propter semetipsum," ut ait Salomon, "universa operatus est Dominus."[1] Sed observatio hæc; alia de causa in Dei gloriam cedit; quia sanctæ accuratæque disciplinæ exemplum, causam præbet hominibus glorificandi Dei, juxta illud Christi Domini: "Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est."[2] Quod si omnibus christianis id curæ esse debet, quanto magis nobis religiosis, qui cum de familia Dei simus, ut ait Bonaventura, "Sicut paterfamilias ex disciplina familiæ suæ honoratur, vel inhonoratur; ita nos, quidquid facimus

[1] Prov. 16. [2] Matth. 5.

inter homines, id quodammodo redundat vel in laudem Dei vel in contemptum."[1] Propterea igitur Constitutionum observationi acriter exacteque studendum est, ne nostro externi offendantur exemplo.

§ III.—DE CONSTITUTIONUM AUCTORITATE.

Sed de utilitate satis. Restat auctoritas, quæ ex secunda et tertia ratione colligitur. Ex secunda quidem, dum Constitutio dicit, Christi Domini nostri Vicarium ita statuisse ut Constitutiones et leges perscriberentur; ex quo efficitur Constitutiones ut a Christo profectas, cujus vices Summus Pontifex in terris gerit, maximæ esse auctoritatis et ponderis. Et quidem de Franciscanæ familiæ legibus id ipse Christus per visum B. Francisco, cum ille ad eas conscribendas in montem quemdam secessisset, ostendit. Nam cum ea quibusdam videretur esse severior pauloque durior, ex occulto missa vox est hujuscemodi, eaque non semel, sed iterum ac tertio; "Francisce, nihil tuum in hac regula, tota mea est; eam ego totam ad literam servari volo."[2] Idque Franciscus ipse Summo Pontifici Honorio omni asseveratione confirmavit, testatus nihil in ea fuisse de suo, sed omnia ut scripta erant, a Christo tradita atque dictata. Quod ipsum de aliis religiosorum institutis ac regulis existimare æquum est, tum quod earum conditores multa precatione, cura ac meditatione, ut de Patre nostro Ignatio accepimus, eas scripserunt; tum quod nisi eæ a Christi Vicario confirmentur ac sanciantur, nullam auctoritatem prorsus obtinent. Constitutiones autem nostræ primo ipsius Christi Vicarii jussu atque nutu præscriptæ sunt, ut hæc ipsa Constitutio significat; eædemque deinceps aliorum Summorum Pontificum auctoritate firmatæ atque approbatæ, ut jam minime dubium cuiquam esse possit, quin eæ a Deo traditæ profectæque sint. Quanquam enim leges

[1] De inform. novit. par. 1, c. 38. [2] Bonavent. in vit. c. s.

has supra appellabamus humanas, ut quæ interiori legi Sancti Spiritus opponuntur, tamen cum eæ tot, ut diximus, precationibus partæ atque excogitatæ sint, nec sine Summorum Pontificum approbatione jussuque editæ, jure eas a Deo ortas ac profectas existimare par est. Quod si a Deo profectæ, quis eas audeat frangere ac violare? aut quis ad eas servandas non incitetur? Certe Pachomii regula in eos animadvertit qui monasterii regulas, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, spernunt; hanc enim quasi causam animadversionis reddit, quia Dei præcepto constitutæ sunt.

Ex tertia etiam ratione Constitutionum auctoritas colligi potest, dum dicit noster Pater, sanctorum exempla ita docere necessarium esse Constitutiones conscribere. Eos autem sanctos intelligit, qui familias fundarunt, easque sanctissimis institutis ac legibus temperarunt, ut qui omnem earum religionum in Constitutionum suarum observatione positum esse censerunt, nec sine iis religiosam disciplinam posse constare. Et vere nulla nos ita res a communi hominum vita sejungit atque distinguit, ut observatio regularum ac Constitutionum; non enim habitus ornatusque is nos distinguit exterior, quia corporis conversio, ut ait Bernardus,[1] si sola fuerit, nulla erit. Ergo custodia legum ac disciplinæ, quam profitemur, nos a cæteris sejungit hominibus, et qui aliud quam professus est facit, ut ait B. Ephræm,[2] alienum habitum sumit. Hoc igitur si quis secum attente reputet, magno studio exardescet ad custodiam legum ac regularum. Atque hæc de auctoritate, utilitate et necessitate Constitutionum.

[1] Serm. ii. in capita jejun. [2] Serm. ubi sua peccata deplorat.

PARS II.

DE MODO QUO CONSTITUTIONES OBSERVANDÆ SUNT JUXTA REGULAM 19 SUMMARII Ex P. 6, c. i., § 1.

(*Omnes constanti animo incumbamus, &c.*)

Diximus de necessitate, utilitate et auctoritate Constitutionum: sequitur, ut de modo et perfectione dicamus, quo illæ servandæ sunt.

Duo autem Constitutio hæc, quam explicamus, indicat quæ ad modum pertinent. Alterum est singulare et exquisitum in eis servandis studium: alterum spiritus amoris et desiderium perfectionis. Studium autem hoc quinque conditionibus declaratur, quibus totidem in iis servandis repelluntur errores.

Prima conditio est, ut Constitutiones in omni statu eodem modo serventur; hoc est, sive antiquior in religione sit quispiam, sive tiro, sive aliis subditus, sive prælatus. Hoc enim significatur verbo illo, "omnes;" quod est initium regulæ 19 in Summario; nemo enim excipitur cujuscumque sit conditionis ac status. Quo quidem eorum præcipue refellitur error, qui cum in religione consenuerint, videntur sibi esse a regulis quibusdam immunes, et accuratam eorum observantiam ad novitios potius quam ad veteres pertinere. Certe Gregorius in Pastorali rectorem admonet, ut vitæ viam subditis vivendo denunciet;[1] "et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur:" qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare: summum autem in Constitutionum ac legum observatione consistit.

Secunda conditio est, ut fortiter constanterque serventur: hoc est enim "constanti animo," ita ut nullis nec diaboli, nec hominum tentationibus a Constitutionum

[1] 2 par., c. 13.

observatione discedamus. Constantia quippe firmitudinem quandam animi designat ac notat, et tenax in suscepta sententia propositum, quale illud Davidis in servandis Domini mandatis atque præceptis;[1] qui dicebat "Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ." Ubi Basilius: juramentum, inquit, dixit firmum animi propositum, quo pleræque rerum humanarum confirmantur. Talis igitur animi firmitas taleque propositum in Constitutionum observatione requiritur. Qua conditione deprehenditur error eorum, qui vel pravis aliorum exemplis aut verbis, vel inflammatis cupiditatibus, vel etiam defatigatione quadam animi ab accurata legum custodia facile revocantur; non enim desunt, qui cum diu in earum studio atque exercitatione versati sunt, postea quasi defatigati lassescant; nec ad extremum usque constantiam teneant. Constantia igitur requiritur, quæ tum repellendis fortiter tentationibus, tum ad extremum usque in eadem Constitutionum cura perseverando declaratur. Pariet autem hanc constantiam, ut infra dicemus, perfectionis amor; quæ quidam perfectio Constitutionum observatione continetur.

Tertia conditio: requiritur solicitudo et diligentia in custodiendis servandisque Constitutionibus. Hæc autem incumbendi verbo declaratur; "constanti," inquit, "animo incumbamus": qui enim incumbit in rem aliquam, totus in ea est, eique intentus rebus aliis non detinetur. Sic incumbebat in legem Domini, qui dicebat,[2] "Quomodo dilexi legem tuam, tota die meditatio mea est." Magna ejus profecto solicitudo, qui totum diem meditabatur, quemadmodum legem Domini custodiret. Hac autem conditione insimulantur ii, qui, licet constantiam aliquam in servandis Constitutionibus tenere videantur, eam tamen solicitudinem non adhibent, quam par est; sed remissiores interdum sunt, et usu potius quodam, quam studio deditaque opera Constitutiones servant. Propterea igitur in Constitutione dicitur "incumbamus;" studium

[1] Ps. 118. [2] Ps. 118.

quippe continens animique attentionem desiderat noster Pater.

Quarta conditio; ut absoluta et perfecta sit Constitutionum observatio. "In absoluta," inquit, "omnium constitutionum observatione." Duplex autem perfectio absolutioque indicatur his verbis. Altera, quæ dicitur *intensiva;* et hæc verbo illo "absoluta" significatur: altera *extensiva,* cum dicitur "omnium." Perfectæ autem observationis intentio in eo est, ut una eademque Constitutio integre perfecteque servetur. Sunt enim aliqui, qui partim servant, partim negligunt, non autem totam Constitutionem exhauriunt. Quorum error quarta hac conditione notatur: exempli gratia, Constitutionem illam, qua jubemur non modo propriæ verum etiam alienæ saluti vacare; si quis quo ad alteram tantum partem observet, velitque suæ tantum non etiam alienæ saluti servire, is Constitutionem ipsam perfecte absoluteque non explet. Itemque cum Constitutio jubet omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuere; si quis, deposito carnis affectu erga propinquos, induet tamen eum erga fratres spirituales, is ne tum quidem perfecte solvit legem: quia non habet Christum loco rerum omnium, nec sibi et amori proprio mortuus est, ut Constitutio ipsa jubet. Quare una eademque Constitutio magis minusve perfecte servari potest. Sunt enim in una eademque lege solvenda quasi gradus quidam, ut alii aliis eam perfectius pleniusque custodiant. Sed si perfecte absoluteque non expleatur, periculum est, ne id, quod bene cœptum est, evanescat: quoniam, ut ait in Pastorali Gregorius,[1] dum proposita non perficimus, etiam quæ fuerant cœpta convellimus: si enim quod videtur gerendum solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit.

Quinta conditio in extensiva perfectione posita est: hoc est, ut omnes vel minimæ Constitutiones serventur. In "omnium," inquit, "Constitutionum observatione:" quæ

[1] Pars. 3, adm. 35.

conditio eorum tollit errorem, qui in servandis Constitutionibus gravioribus studium sibi existimant adhibendum, in levioribus minoribusve non item. Est enim paucorum Constitutionum omnium vel minimorum integra observatio ; quia, ut ait Basilius,[1] quorumlibet evangelicæ vitæ conversationem deligere, observantiam vero illius etiam usque ad minutissima deducere, hoc demum a paucis, qui nobis sint cogniti, præstatur. Sed res est plena periculi minimorum jacturam negligere. Nam callidus hostis, ut ait S. Ephræm,[2] per hæc quæ homines ut minimi ac nullius momenti fere negligunt, eos in maxima et gravissima præcipites trahit. Et beatus Isaias[3] dicit, quemadmodum, si qua in dolio rimula existit, diffluit vinum, antequam dominus sciat, si negligens est : sic quælibet res quamvis exigua fructum excutit hominis negligentis. Exemplum consimile dat Anselmus de piscinis, ubi servantur aquæ, quæ si vel rimulam habeant clandestinam, omnis sensim aqua dilabitur. Idem cerni licet in navigiis, quorum per angusta foramina in carinæ fundo si a gubernatore negligantur, hauriunt et non sentient vim aquarum unde illa mergantur. Et negotiator imprudens, si minimos sumptus negligat, brevi ad inopiam redigetur. Et, ut Gregorius[4] in Moralibus ait, in uno quocumque lapsu a minimis semper incipitur, et successoribus defectibus ad graviora pervenitur : et in Pastorali vult admonendos, qui in minimis frequenter excedunt, ut solicite considerent, quod non numquam in parum deterius, quam in majori culpa peccatur : cujus optimam rationem affert. Propterea ita nos Bernardus[5] admonet : "Cavete deinceps, ne quis parva putet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere : non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum."

[1] In Ascet. ep. ad Canonic quend. [2] Serm. de tempore. [3] Or. 12.
[4] L. mor. 21, c. 12, vel. q. 3, p. post. c. 24. [5] Serm. 1, in conv. S. Paul.

Porro, quod Bernardus[1] dicit esse blasphemiam, Chrysostomus dicit esse diaboli opus, non solum minima sed etiam indifferentia contemnere; quia ex eis generantur magna mala. Signum est autem hominis non timentis Deum minima negligere: nam qui timet Deum, Ephræm inquit, nihil negligit; sed minima quæque perpendit, ne dominum suum offendat. Ideoque David[2] beatum appellat virum, qui timet Dominum, quoniam in mandatis ejus volet nimis. Nimis, dixit, cum quadam animi propensione, ut notat Basilius; quia qui tales sunt, mandata Dei vehementer assertant.

Quoad secundum. Alterum quod ad Modum servandarum Constitutionum pertinet, est, ut amoris spiritu procedatur in iis servandis, quemadmodum proximis antea verbis Constitutio dicit. Hoc enim quod hic dicitur, "omnes constanti animo incumbamus," ex proximis pendet, quasi constantiæ causa sit spiritus amoris. Aiunt enim, "et ut in spiritu amoris et non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est, ita ut omnes constanti animo incumbamus." Amore igitur ducti in Constitutionum studium debemus incumbere, omni servili metu ac timore sublato: quod et ex parte eorum, qui præsunt, et ex parte eorum, qui parent, curandum esse Constitutiones significant; et hic et Const. P. 6. c. 9. ubi nolunt quemquam ad peccatum ullum obligare: et ideo qui vel eas vel ordinem vivendi servat, non peccati metu sed Dei caritate servare debet; et in eo etiam Superiores elaborare debent. Sed in quo tandem situs est hic amor? Nempe in expetenda ac desideranda perfectione; ita ut Constitutiones nostras, omnemque Instituti nostri rationem, perfectionis amore servemus, non pœnali metu ac formidine pœnæ: sunt enim illæ perfectionis comparandæ viæ, juxta Instituti nostri rationem. Et idcirco subditur, in absoluta omnium Constitutionum observatione, "ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, et peculiaris Instituti

[1] Ep. ad Epip., c. 9, hom. 17. [2] Ps. 111.

nostri ratione adimplenda prætermittamus." Et Const. P. 6. c. 9. noster Pater indicat, in quo situs sit hic amor, quo in observandis Constitutionibus, Declarationibusque, ordineque vivendi procedendum est; dum dicit et ut loco timoris offensæ succedat amor, et desiderium omnis perfectionis: quasi dicat non alicujus peccati metu, quod ex carum neglectu quis incurrat, sed amore et desiderio omnis perfectionis ea servanda sunt. Nihil est igitur perfectionis quod custodiendis servandisque usquequaque Constitutionibus, Deo adjuvante, consequi non possimus Nam præter ea, quæ in hanc sententiam supra sunt dicta, Constitutionum diligens observatio multarum nobis est causa parensque virtutum, quibus quotidie crescimus in virum perfectum. Tenendum est autem, quod Theologi docent, virtutis habitum frequentatis actibus comparari: causa quippe habitus frequens est actio. Cum igitur servandis rite Constitutionibus totum diem crebris virtutum actionibus insistamus, modo obedientiæ, modo patientiæ, modo humilitatis cæterarumque virtutum, quarum illæ actus singulis pene momentis horisque præscribunt; necesse est, ut progrediente tempore, nec sentientes ingenti quodam virtutum thesauro locupletemur, et nos ipsos meliores in dies perfectioresque reddamus. Contra vero si Constitutionum servandarum studium langueat, aut etiam intermittatur, langueat etiam necesse est omnis exercitatio virtutum; et si quid fuerat antea partum, pereat funditus et evanescat. Docet enim S. Thomas iisdem viis partam custodiri virtutem, quibus fuerat comparata: sed ea nisi actuum frequentatione parari non potest; loquor autem de morali, quæ studio comparatur humano. Relinquitur igitur, ut ne custodiri quidem sine iisdem crebris et frequentatis actibus possit: ut etiam in disciplinis literarum usu venit, quarum sensim habitus perit, disciplinæ usu exercitationeque sublata. Maneat igitur, quod dicebamus, nihil esse, quod absoluta Constitutionum observatione et peculiari Instituti nostri ratione

adimplenda consequi divina gratia comite non possimus. Ad hanc autem observantiam, ut sit constans, amoris videlicet spiritu opus est, ut supra significavi. Neque enim satis diuturna esse potest, si potius metu quam amore serventur. Nam qui diligunt Deum, Ecclesiasticus[1] inquit, replebuntur lege ejus; et ut Dominus apud Joannem ait, Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Constitutiones autem nostræ sermones quodammodo legesque sunt Dei; evangelicis quippe nixæ consiliis, quidquid animis salutare præcipiunt, ex ipso evangelii fonte derivant: amore igitur servari et custodiri se volunt. Atque hæc de modo satis.

Restat, ut, quod tertio loco propositum erat, quibus auxiliis mediisve facilem nobis earum observationem reddamus ex iisdem Constitutionibus exponamus.

PARS III.

DE AUXILIIS ET MEDIIS JUXTA REGULAM SUMM. 52. EX CONST. P. 10.

"Omnes demum observationi Constitutionum studeant: ad quam easdem scire, saltem quæ ad quemlibet pertinent, necesse est: quare legere vel audire easdem singulis mensibus oportebit."

Tria nobis auxilia ad faciliorem Constitutionum observationem Constitutiones ipsæ suppeditant. Primum, crebram earum lectionem, quæ illarum et scientiam pariat, et memoriam renovet. Dicit enim Constitutio hæc: Ad quam, scilicet observationem, easdem scire, saltem quæ ad quemlibet pertinent, necesse est. Quod autem hoc loco Constitutio dicit "scire," in regula communi postrema dicitur "intelligere": "Singuli," inquit, "has regulas habeant et intelligant." Necesse est enim earum tenere scientiam atque intelligentiam, ut, cum opus fuerit, ad actionem revocentur.

[1] C. 2.

Quemadmodum scribit Umbertus solitum esse facere idiotam quemdam monachum, qui regulas S. Benedicti semper habebat in manibus assidueque lectitabat: cumque in obscuriorem locum incideret, doctos et sapientes consulebat, ut earum sensum omnem atque intelligentiam assequeretur. Ad renovandam etiam memoriam necessaria est frequens lectio: quamvis enim servandarum legum voluntas suppetat; tamen, quæ humana imbecillitas est, earum sæpe obrepit oblivio, et ex iis sæpe aliquam nos deprehendimus vel invitos nolentesque fuisse transgressos. Idcirco renovanda est menstruis saltem spatiis earum lectione memoria: et, si fieri potest, etiam crebrius; quo enim crebrius leguntur et recoluntur, eo facilius ad actionem revocantur. Quo quidem in studio sedulo versatum accepimus Thomam Aquinatem, simul ac in disciplinam B. Dominici sese dedit: cœpit enim sui ordinis instituta regulasque assidue lectitare ac meditari, ut singulis momentis nullo negotio eas ad usum exercitationemque transferret. Et quidem B. Augustinus inter suas regulas hanc etiam statuit, ut eæ semel in hebdomada perlegantur;[1] ut in iis se quisque velut in quodam speculo inspiceret, nec aliquid per oblivionem negligeret. Imo Deus ipse olim jubebat Deuteronomium,[2] quæ nova quædam lex erat, omnibus diebus a rege legi, ut Domini timorem perdisceret, et quæ in ea scripta essent, solicite custodiret. "Postquam," inquit, "sederit rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticæ tribus; et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt." Pharisæi quoque ac Scribæ, ut ait Hieronymus in Matthæum, scribebant in membranis decalogum Moysi, scilicet decem verba legis, complicantes ea et ligantes in fronte, et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos move-

[1] 2 Reg. c. 49. [2] Deut. 17.

rentur. Hoc autem faciebant, quoniam Dominus cum dedisset mandata legis per Moysen, ad extremum intulit: "Ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos." Quo significabat, præcepta ejus opere esse complenda, hoc est enim, In manu tua ligabis; eademque die ac nocte meditanda, quod est, Ante oculos immota habebis. Sed Pharisæi nudam sectantes literam, scriptam illi quidem gestabant ante oculos legem, opere autem non implebant. Quorum magnopere a nobis cavenda est imitatio; ne eorum more Constitutiones ac regulas solis tantum manibus conterentes et apud nos habentes, earum præterea usum exercitationemque, quæ lectionis est finis, negligamus.

Alterum ad servandas Constitutiones ex ipsis Constitutionibus auxilium est pœnitentia aliqua, cum nos eas male custodisse deprehendimus. Sic enim aiunt Const. P. 3. c. 1.: "Aliquoties singulis annis omnes a Superiore sibi pœnitentias injungi propter defectum observationis Regularum petant." Certe nullam aliam ob causam id statuit noster Pater, nisi ut ostendamus interiore pœnitentia duci, cum regulas violamus (alioquin parvi refert exteriorem dumtaxat suscipere pœnitentiam), ex eaque documentum capi possit nostri progressus. Et idcirco subditur in Constitutione: "Ut hæc cura sit illius indicium, quam de suo profectu spirituali quisque habet": qui autem pœnitentia interiore ducitur, emendationem in posterum statuit, quod ad Constitutionum observationem valet plurimum.

Porro hoc quod singulis annis aliquoties fieri jubetur, ut pro negligenti regularum observatione pœna quæratur, non universe tantum generatimque accipiendum videtur, verum etiam nominatim cum Constitutio aliqua violatur. Observantiam autem mandatorum, B. Isaac inquit, pœnitentia parit:[1] ideoque est etiam regula B. Pachomii, corripiendos esse qui contemnunt monasterii regulas, quæ Dei præcepto constituta sunt, donec corrigantur. Et

[1] Reg. 91.

B. Augustinus in regula pœnitentiam saltem interiorem suadet:[1] "Ubi vos," inquit, "inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro; orans ut debitum demittatur."

Et hoc intimum in primis pœnitentiæ genus haud dubie noster Pater intelligit, unde nascatur exterius, quod vere sit interioris curæ et spiritalis indicium. Pœnitentia autem exterior duplici ratione in Constitutionum violatione poscenda nobis est: primum, ut ipsius pœnæ memoria admoniti violationem ipsam in posterum caveamus: deinde ne post mortem contemptorum legum pœnæ a nobis repetantur: "Nam sicut immensa gloria," Cassianus inquit,[2] "fideliter Deo servientibus et secundum regulæ institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum: ita pœnæ gravissimæ præparantur his, qui eam tepide negligenterque fuerint executi." Quare si non ob aliud, certe ut purgantis ignis pœnas post mortem evadamus, satius est perexigua hujus vitæ pœna, Constitutionum violationem expiare. Imo ipsa regularum Institutique observatio a cæteris etiam peccatis expiandi virtutem habet, ne sint nobis expianda post mortem. Sane legimus in Franciscanæ familiæ chronicis,[3] cum frater quidam ex pacto atque conventu alteri post mortem fratri visus esset, inter cætera id ei indicasse, quoties fratrum Minorum animæ in purgatorias illas sedes deducuntur, reliquas animas, quæ ibi expiationis causa detinentur, solitas esse id illis sic exprobrare: "Quare huc ad nos descendere maluistis ad expiandas noxas vestras, quas in corpore melius faciliusque poteratis Instituti vestri observatione purgare?" Aut igitur hoc quod professi sumus, constanter tueri atque exequi debemus, si liberum postea e corporibus exitum, et ab illis tutum ignibus expectamus; aut certe pro violatis legibus

[1] 2 Reg. c. 49.
[2] L. 4. Inst., c. 33. [3] 2 Par., l. 5, c. 39.

pœnarum est aliquod sponte ac voluntate nostra deposcendum, vel etiam ab iis qui præsunt inflictum alacriter subeundum.

Tertium ad Constitutionum observationem præsidium in Præpositorum cura ac vigilantia positum est. Nam nona parte dicit noster Pater ad Generalem[1] spectare, ut Societatis Constitutiones ubique serventur; et ejus non esse proprium concionari aut confessiones audire aut alia hujusmodi,[2] sed ita regere Societatis corpus universum, ut conservetur, et in bono suo statu et modo procedendi ad Dei et Domini nostri gloriam crescat.[3] Idem Const. P. 4. ait Rectoris munus esse curare, ut Constitutiones observentur:[4] et Const. P. 3. jubet aliquem esse domi, qui vel octavo vel decimo quinto quoque die haec et similia omnibus in memoriam redigat: vel illi haec legere teneantur, ne pro nostræ fragilis naturæ conditione obliti ab eorum executione cessent. Eademque de causa Provinciales, cum suam provinciam inspiciunt, in omnibus Collegiis rationem Constitutionum ac disciplinæ reposcunt; easque cum superioribus et consultoribus cujusque collegii legunt, ut quemadmodum serventur intelligant. Quare moderatorum vigilantia optimum est ad Constitutionum observationem præsidium. Quæ quidem iis, qui parent, minime debet esse molesta aut ingrata, quamvis nimia et exquisita fuerit: urget enim officii ratio, ut, quos regendos susceperunt, eos ad omnem perfectionem instituant. Nam, ut ait Bonaventura:[5] "Rector doceat oportet sectatores suos non solum viam tenere, qua salventur, sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in cœlo gloriam assequantur. Porro ad perfectionem tutissima et expeditissima via est, ut supra diximus, Constitutionum observatio. Quare directoris est ad perfectionem subditos promovere; ejusdem etiam erit dare operam, ut Constitutiones ab iis et regulæ perfecte atque

[1] C. 3, § 8. [2] C. 6, § 1. [3] C. 10, § 5. [4] C. 1, § 28.
[5] De sex alis, c. 1.

accurate serventur. "Quod si videt," ut idem Bonaventura dicit,[1] "regularem observantiam dilabi, et transgressiones multiplicari, nec pro viribus tam præsentibus quam imminentibus malis occurrit, triplicem Deo reddet rationem." Primo propter negligentiam, qua partes sui muneris non explevit, nec quod debuit facere, fecit. Dicit enim apud Sapientiam Dominus:[2] "Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem ejus ambulastis: horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet." Secundo: quia omnia peccata subditorum, quæ poterat et debuerat correxisse et præcavisse, imputantur ei. Ideo dicit apud Ezechielem Deus:[3] "Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram." Tertio: quia potestate sibi collata et honore prælationis abutitur, dum eum non ad salutem et spirituale commodum subditorum, sed ad suum commodum et gloriam refert. Ideo Christus,[4] "Tollite itaque ab eo talentum, et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores." Nemini ergo molesta aut nimia videri debet moderatorum solicitudo ac vigilantia in exigenda disciplina legumque custodia; cum illorum id munus sit, et Deo reddituri sint rationem pro animabus nostris. Gratiæ potius agendæ sunt Deo, quod tam bonos custodes dederit, ducesque itineris ad perfectionem: et subjacendum est eis, ut monet Apostolus,[5] ne gementes hoc faciunt, sed cum hilaritate et gaudio. Atque hæc de Constitutionum observatione.

[1] Ibid., c. 3, non longe ab extr. [2] Sap. 6. [3] c. 33.
[4] Matth. 25. [5] Heb. 13.

OPUSCULUM SECUNDUM.

DE SOCIETATIS FINE JUXTA 2 REG. SUMM. EXAM. C. 1. § 2.

DUPLEX dicitur finis esse Societatis nostræ : alter, saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare ; alter vero, cum eadem divina gratia, impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere. Prius igitur de priore ; tum de posteriore fine dicemus.

§ 1.—DE SUÆ SALUTI AC PERFECTIONI VACANDO.

Prior finis, ex loquendi modo nostri Patris Ignatii, non tam præcipitur atque imperatur, quam ut certus exploratusque supponitur. Non enim dixit ; Finis Societatis est saluti et perfectioni propriarum animarum vacare : nam quisquis ad Religionem se confert, hac videlicet mente se confert, ut animam suam salvam faciat, et consiliis perfectionis adhæreat. Nos tamen quod ut notum certumque supponitur, plenius explicemus, quo loco duo ex Constitutione videnda. Primum, quam sit necessaria homini religioso perfectio : secundum, quæ potissimæ ad eam viæ. Necessitas colligitur ex tribus. Primum ex eo, quod Constitutio dicit, finem nostrum esse studium nostræ non modo salutis, verum etiam perfectionis. Non enim satis est religioso salutem dumtaxat quærere, sed perfectionem ipsam spectare debet. Ponit autem noster Pater prius quod universorum est, qualis est salus animæ, deinde quod paucorum, cujusmodi est perfectio vitæ spiritualis. Perfectio igitur religioso

spectanda, non modo salus, quam quærere debent omnes. Religio enim status est perfectionis; "Sicut elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem," ut Paulus ait,[1] "ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in caritate." Sanctitas autem perfectionis est apex. Ac Divus Thomas[2] quidem docet religiosum quemque debito quodam perfectionis astringi. Ita tamen, ut non necesse sit eum esse repente perfectum, sed continenti studio ad id contendere. Ut enim qui literas discendi gratia gymnasium frequentat, debet toto pectore ad sapientiam niti, alioquin frustra in gymnasio tempus terit; sic qui in religioso aliquo cœtu vitam degit, qui perfectionis est status, necesse est eum ad perfectionem ipsam nervos omnes intendere, et ambulare digne vocatione, qua vocatus est. Ideo Pynufius apud Cassianum,[3] "Non bene," inquit, "noveris esse peccatum, perfectionem professum quempiam, ea quæ sunt imperfecta sectari?" Ex quo efficitur, ut qui nisi a gravioribus noxis in religione non abstinent, et minima peccata contemnunt, ut quæ salutis aditum non intercludunt, ii a suo fine vehementer abhorrent; non enim finis noster est una dumtaxat salus, sed cum salute perfectio; et perfectionem nolle, ut Hieronymus ait, delinquere est.

Secundo, colligi potest hæc ipsa necessitas ex eo quod Constitutio perfectionis studium curis omnibus anteponit. Nam cum in Societate multa alia gerantur, et in literarum studium præsertim magna pars impendatur ætatis; tamen in statuendo Societatis fine, studii literarii aut alterius simul curæ nullam mentionem facit: facit autem salutis perfectionisque dumtaxat; ut intelligamus plus operæ studiique in solidis perfectisque virtutibus rebusque spiritualibus collocandum, quam in doctrina, aliisque donis naturalibus et humanis. Hoc est enim quod Constitutiones nostræ dicunt:[4] "Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum et

[1] Ephes. 1. [2] 2. 2æ. q. 186. [3] L. 4, inst. c. 38. [4] P. 10, § 2.

spiritualium rerum studium incumbant; ac in hujusmodi majus momentum, quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant." Ergo qui se malunt haberi doctos præclarisque naturæ muneribus exornatos, quam spiritales et sanctos, in eamque rem plus operæ et laboris impendunt, ii quoque a suo fine longe absunt. Finis enim Societatis esse dicitur, non artium ac doctrinarum studium, sed disciplina spiritus ac virtutum: atque ob hanc causam prope divinitus institutum est, ut cæteras disciplinas atque doctrinas nemo in Societate prius attingat, quam toto biennio solidis virtutibus rebusque spiritualibus omni studio ac diligentia vacaverit: atque hæc nimirum vacandi vox significat, in qua quies quædam inest, qua quis per otium posthabitis alienis curis studiisque propriæ saluti ac perfectioni dat operam, ut in novitiorum domibus toto biennii spatio fit.

Tertio, colligitur eadem necessitas perfectionis ex eo quod, cum finis noster sit, ut diximus, et propriæ et alienæ saluti cum perfectione vacare, Constitutio prius jubet propriæ salutis ac perfectionis habere rationem, quam alienæ. Et merito: nam, ut ait Bonaventura,[1] "Qui suscipit officium, ut alios bonos faciat, oportet, ut hanc bonitatis disciplinam prius in se studiose exercendo didicerit, et ex frequenti usu in habitum verterit: et propterea Dominus prius legitur fecisse, quæ post erat verbo docturus, juxta illud.[2] "Cœpit Jesus facere et docere." Sane hoc studebat Gregorius Nazianzenus[3] ut ipse de se scribit, "Purgari primum, deinde purgare; sese instrui, atque ita alios sapientes reddere; lux fieri, et alios collustrare; accedere ad Deum, et alios adducere."

Duabus autem omnino de causis necesse est prius suæ, quam alienæ saluti ac perfectioni vacare: primum, quia qui nondum perfectionem aliquam adeptus est spiritus, cum periculo se foris exponit proximorum animis sublevandis. Multos enim novimus, cum præpropere ad

[1] De sex alis prael. c. 1. [2] Act. 1. [3] Apol. 1.

aliorum salutem procurandam accessissent, suæ fecisse jacturam ; et ab iis potius aliquid hausisse unde ipsi læderentur, quam ut in eos transfunderent, unde illi juvarentur. Ideo Basilius in Institutione Aspirantium ad vitam perfectam : "Si qui corde perfecto," inquit, "in via Dei ita profecerint, ut nihil eis timendum sit, iis potius concedimus, quin et quandoque jubemus, ut propriæ cellæ consolationem intermittentes proximos conveniant." Imo Abbas Abraham apud Cassianum ait,[1] "Hoc illusionis genus esse, quo implicantur infirmi ; qui cum et de sua salute sint dubii, ipsique adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, ad convertendos alios et regendos diabolicis illusionibus instigantur." Tale quid habet Bernardus, ut infra dicemus. Altera causa est, quia qui nondum se ipsum excoluit atque perfecit, numquid fieri potest, ut alios excolat atque perficiat? Nam in omni animali fieri videmus, ut sui simile non prius gignat, quam absolutum perfectumque sit animal : id quoque in spiritali homine usu venit, ut alios sui similes gignere ac docere non possit, nisi prius se ipse instituerit atque perfecerit. Itaque legimus sanctos viros non prius admonitos fuisse divinitus alienæ quærendæ salutis, quam evasissent ipsi perfecti, multumque temporis in solitudinibus latuissent ; ut de Antonio, Hilarione, et Apollonio monacho, aliisque id genus hominibus memoria proditum est : nec alios quemquam voluisse docere, nisi quod prius ipsi fecissent, ut apud Cassianum[2] præcipit Abbas Nesteroth. "Nec quemquam," inquit, "verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris."

Hinc colligo, si quis in proximorum causa minore cum utilitate versatur, ejus rei culpam sustinere plerumque negligentiam adhibitam in progressione spiritus et virtutum : nam qui pleniore spiritu ac virtute se imbuerunt, ii quoque de suo cæteris etiam impertiunt, cum quibusque sua bona communicant.

[1] Coll. 24, c. 13. [2] Coll. 14, c. 9.

Dices: quænam perfectio, ut quis ad animarum causas tuto se conferat, in Societate requiritur? Respondeo: certe magna minimeque vulgaris. Quamquam enim aliqua possit esse satis, quia juvandis perficiendisque proximis, eadem opera sæpe crescit nostra perfectio: tamen ut sit animarum procuratio tuta semperque fructifera, non vulgaris aliqua bonitas, ut dixi, perfectioque requiritur. Sciendum enim ex Bonaventura[1] quatuor esse in Religione horum genera, quos bonos dicere solemus. Primos esse, qui malum illi quidem nullum faciunt, sed tamen benefactis non admodum student: quieti nihilominus et gracifici, neminemque aut exemplo offendentes aut verbo; et hi similes eorum sunt, de quibus dicitur 1. Reg. 25. "Homines isti satis boni fuerunt, et non molesti." Solemus enim qui mansuetis moribus sunt, pacemque cum cæteris habent, bonos appellare, quamvis langueant in exercitatione virtutum. Sed isto modo etiam pueri a baptismo boni dicuntur. Secundi ergo sunt meliores, qui non modo malis abstineant atque peccatis, sed insuper recte factis invigilant, coluntque virtutes, sobrietatem, castitatem, humilitatem, dilectionem proximi, precandi sedulitatem. Sed tamen his contenti ad ampliora et perfectiora sanctitatis desideria non exardescunt. Ideo tertii sunt adhuc meliores, qui non modo malum detestantur et fugiunt, ut primi; nec modo bona quæ possunt studiose peragunt, ut secundi; sed, cum omnia fecerint, perinde ac si nihil egissent, ad majora et perfectiora suspirant: ad familiarem inquam Dei notitiam, ad interioris devotionis saporem, ad divini amoris experientiam; quæ dum pro voto non assequuntur, numquam se aliquid esse sentiunt, nec aliquid admittunt in hac vita delectationis. Sed tamen adhuc aliquid his etiam deest ad eam, quam quærimus, perfectionem: quia contra aliorum vitia, peccatorumque discrimina justitiæ zelo non incenduntur, nec animarum

[1] De sex alis, c. 3.

studio calent, cupientes omnes esse bonos et beatos: sed sibi et Deo dumtaxat intenti, proximorum curam privatæ quieti postponunt: et hi ejus ficulneæ persimiles sunt, quæ dicebat: "Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear?"

Quarti igitur restant omnium optimi, qui cum priorum sint innocentiæ et virtutum bonis ornati, flagrant etiam animarum studio et zelo justitiæ; nec suis tantum profectibus gaudent, nisi alios secum ad Deum trahant: exemplo Domini, qui cum "in se plenum haberet gaudium, tamen eo quodammodo non contentus, exivit, assumpta forma servi, multos filios in gloriam suam adducere opere et doctrina."

Nimirum hoc facit amor et charitas Dei, quæ non tantum ejus dulcedine frui, eique adhærere, sed ejus etiam cultum propagari, et honorem ejus amplificari maxime expetit, ut agnoscatur et ametur ab omnibus, et ab omnibus ei servitutis obsequium, et revereutiæ honorisque cultus exhibeatur. Hanc charitatis perfectionem qui attigit, ad animarum causas existimari debet idoneus: et ad hunc gradum contendere et conniti nostros oportet, si ex tuto et perutiliter in animarum salutem ac perfectionem velint incumbere.

Sed de perfectionis necessitate satis: sequitur, ut quæ ad eam viæ nos ferant deducantque, videamus. Duo autem præcipua et principalia a Constitutionibus indicantur, quibus progredi ad perfectum possimus officium atque virtutem: alterum ex parte Dei, alterum ex parte nostra. Ex parte Dei est ejus divina gratia; et idcirco Constitutio addidit,[1] "cum divina gratia," in statuendo Societatis fine. "Finis," inquit, "hujus Societatis est, non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare." Ne quis aut forte desperet, animumque despondeat, audita magnitudine finis atque

[1] Exam. c. 1. § 2.

præstantia, aut suis viribus humanisque præsidiis eum se assequi posse confidat: divinæ enim gratiæ negotium hoc est, non humanarum virium; et idcirco in ipso etiam Constitutionum procœmio admonet noster Pater, bonitatem Dei esse, quæ conservatura ac promotura sit in suo sancto servitio Societatem nostram.

Quare quisquis progredi ad perfectionem studet, is in primis sibi persuadeat necesse est, omnem suum conatum irritum fore atque inanem, nisi divina misericordia comes adsit, quia "Non est volentis neque currentis," ut Paulus ait,[1] "sed miserentis est Dei." Volentis dixit propter interiorem voluntatis actum, currentis propter externum; quasi dicat non satis sunt incensa desideria nostra atque studia, nec labores ac contentiones externæ, nisi adsint miserationes Dei. Deus enim est, ut ait Abbas Cheremon in Collationibus Patrum,[2] "Qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi." Et B. Gregorius in Moralibus:[3] "Neminem esse dicit, qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat, quia optimus Deus interiora discernens ipse spiritualibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur et non valet, in illis se non elevet, quæ valet. Quamquam autem requirit et Deus studium nostrum, ut mox dicemus, tamen hoc plane intellectum nobis esse debet, profectus nostri summam in divinæ gratiæ præsidiis ponendam esse. Semper enim actio, ut aiunt philosophi, principali agenti tribuitur, ut cum faber adhibita securi arcam conficit, opus ipsum fabro, non securi tribuitur. Ita in progressibus nostris, quamvis opera nostra studiumque requiratur: tamen quoniam sine Dei gratia, quod est præcipuum et principale, ea essent inania; idcirco omnis nostra progressio perfectioque auctori Deo adscribenda in primis est, et ab eo speranda potissimum. Ex quo colligo id quod ante dicebamus, nec dejiciendum nobis esse

[1] Rom. 9. [2] Coll. 13, c. 3. [3] L. 12 Mor. c. 2.

animum, cum non tantum virtutis apprehendimus, quantum volumus, nec nostris lacertis ac viribus præfidendum, cum de nostris in virtute profectibus cogitamus. Si quidem tota res in unius Dei miseratione auxilioque sita est.

Hoc est igitur ex parte Dei, quod ad perfectionem nos ducit : ex parte vero nostra est Constitutionum observatio. Hoc colligitur ex ipsarum Constitutionum procœmio, ubi dicitur Deus requirere suarum creaturarum cooperationem, ex quo efficitur necessitas scribendarum Constitutionum, ut alibi diximus. Quod si ad bonum tum Societatis universæ, tum singulorum necesse est, ut Constitutiones conscribantur, profecto et earum observatio ad id ipsum necessaria erit. Idcirco enim scribuntur, ut ab unoquoque serventur et ad actionem revocentur, non ut scriptæ dumtaxat sint et typis mandatæ cernantur. In observatione igitur Constitutionum positum est spiritale bonum tum universorum tum singulorum : nihil autem perfectionis est, quod Constitutionibus servandis institutique nostri ratione adimplenda divina gratia consequi non possimus, ut significat noster Pater in sexta parte,[1] ubi constanti animo in id præcipit incumbendum. Ex quo colligo, eum nullos habiturum esse progressus, neque ad perfectionem ullam perventurum, qui Constitutionum observationem negligit. Patet : quia quamvis divina gratia ac bonitas, quod in se est, paratissima sit : tamen quia non invenit cooperationem suæ creaturæ, quæ Constitutiones regulasque custodiat, otiosa quodammodo est et nihil agit, nec optatis progressibus favet, quoniam progrediendi propriæ viæ, Constitutiones inquam ac regulæ, deseruntur. Ut mirum videri non debeat, cur quidam, ne diuturnæ quidem religiosæ disciplinæ exercitatione meliores evaserint, imo frigidiores et languidiores deprehendantur in dies, ut a divina gratia deserti quodammodo atque derelicti videantur. Mirum id inquam non

[1] P. 6. c. 1. § 1.

est, quia progrediendi certam et regiam viam, neglectis Constitutionum regularumque præsidiis, non tenuerunt: ut vere eos a gratia desertos appelles, quæ vana atque otiosa in homine esse non potest: et quem sibi cooperantem non invenit, derelinquit atque destituit. Quod recte videtur observasse Dorotheus, cum docet illum a Deo deseri, qui præter conditionem et præter professionem suam agit. Nempe autem is præter statum et professionem suam agit, qui secundum suæ familiæ leges constitutionesque non vivit. Hic inquam a Deo deseritur, tandemque ab ipsa disciplina et religione descissit, ut multorum declarat eventus. Hæ sunt igitur præcipuæ et principales viæ, quæ ad perfectam sanctitatem, si per eas ingredimur, nos deducunt: gratiæ inquam divinæ præsidia, et Constitutionum diligens observatio.

§ II.—DE ALIENÆ PROCURATIONE SALUTIS AC PERFECTIONIS.

Hactenus de priore illo Societatis fine, qui in nostra salute ac perfectione paranda positus est: nunc de posteriore, qui in aliena procuranda versatur. Neque enim satis est nobis ipsis vacare dumtaxat, si hujus familiæ finem, cui nomen dedimus, assequi volumus, sed necesse est etiam proximorum saluti servire. Ut enim aberrant ab hoc fine, qui prius quam sibi ipsi vacarint, seseque perfecerint, ad alios perficiendos juvandosque festinant: sic et ab eo longe absunt, qui sibi unis dumtaxat intenti, nequaquam de aliorum salute commodisque laborant. Utrique alienum a Societate spiritum præseferunt, quoniam Societatis, ut dixi, finis est, et suæ omni studio vacare, et alienæ quoque saluti et perfectioni servire. Dicamus igitur de hac posteriore Constitutionis parte, ut de priore jam fecimus. Ubi tria breviter videnda: Primum, quænam maxime ad procurationem alienæ salutis impellant: Secundum, quomodo curanda: Tertium, et, quoniam

impense curandam Constitutio admonet, videndum etiam, quinam sint ii, qui eam impense curent, in eamque naviter incumbant.

Duo autem ad alienæ salutis studium excitare nos possunt. Primum ardens charitas tum Dei tum proximorum, quia ut ait Bonaventura, "Quantum diligis Deum, et quæ Dei sunt purius desideras, tantum doles de offensa Dei, ubi vides eum non agnosci, et ideo inhonorari; ubi vides eum non amari, et ei non obediri, et ejus cultum destrui, et adversarios multiplicari et lætificari: et quantum diligis salutem proximi, tantum affligeris de perditione ejus, et nocumento profectus ejus."[1] Facit hoc charitas, quæ sic olim Paulum excitabat, de quo in Actis Apostolicis ita legimus: "Incitabatur spiritus ejus in ipso videns idolatriæ deditam civitatem."[2] Et idem de se ipso, "Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?" Et noster Pater Ignatius eadem charitate succensus in stagnum gelidissimum se injecit, ut impurum hominem a flagitiosis suis amoribus revocaret: eademque charitas impellebat, ut in reducendis ad frugem meretricibus, etiamsi ad ingenium mox redituræ viderentur, omnem operam collocaret, modo ad horam ejus, cujus charitate tenebatur, prohiberet offensam. Interitum autem animarum, quæ ad imaginem et similitudinem Dei factæ sunt, quæque ejus sunt beatitudinis gloriæque capaces, quis æquo animo ferat! cum unigenitus Dei Filius, ut eas ab interitu revocaret, nostram mortalitatem indutus sanguinem vitamque profuderit? "In hoc enim apparuit," Joannes inquit, "charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum."[3] Quod autem pro omnibus semel fecit, idem unius animulæ causa quotidie facere, si necesse sit, pro sua eximia charitate non dubitet: ut Carpo Episcopo per visum ostendit, cum duobus facinorosis hominibus, quibus ille exitium fuerat imprecatus ignemque de cœlo, dexteram suam

[1] De sex alis præl., c. 3. [2] C. 17. [3] Ep. i. c. 4.

jamjam viventibus in barathrum porrigens "Percute," inquit, "adversum me, Carpe: nam paratus sum pro his servandis iterum pati." Lege rem totam apud Dionysium Ep. ad Demophilum, et in ejus vita.

Charitas ergo Dei et animarum debet etiam nos primum ad alienæ salutis studium incitare: et idcirco perfectæ charitati dandam prius esse operam privatis studiis atque exercitationibus diximus, ut in ea fundati atque perfecti, in aliorum quoque salutem ac perfectionem, ut finis noster exigit, incumbamus.

Alterum vero, quod ad idem studium movere nos debet, est bonum nostrum ac privatum: quod quidem triplex est. Primum est bonum honestum; quia honestissima et nobilissima res est omnem operam et laborem pro animarum salute suscipere. Angelorum quippe id munus est, qui sunt "Administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis."[1] Imo ipsius Filii Dei munus est, "Qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere:"[2] ut jure videatur Dionysius Areopagita dixisse, divinorum omnium divinissimum esse cooperari in salutem animarum. Nam Deus ipse non alienam sua majestate duxit, in terris ipsis videri, et cum hominibus hominum causa conversari.[3] Ideoque sæpe Paulus, quos ad Christum adjungebat et in viam salutis dirigebat, eos gloriam suam et coronam suam appellat: erant enim ei materia gloriæ, et coronæ seges, ut Philippenses[4] et Thessalonicenses,[5] et alii, quos per Evangelium genuisset.

Secundum bonum est, bonum utile, spirituale: quia dum aliorum saluti ac perfectioni operam damus, ipsi quoque eadem opera perfici atque expoliri in virtutis cursu solemus: erubescimus enim si quæ alios docemus, ea non ipsi præstemus, ut de Abbate Jammone legimus, qui nisi quod fecisset, alios omnino non docebat. Metui-

[1] Heb. 1. [2] 1 Tim. 1. [3] Baruch 3.
[4] Philipp. 4. [5] 1 Thess. 2.

musque ne, dum alios ad salutem vocamus, ipsi regno cœlorum per summum dedecus excludamur: quod ipse quoque reformidans Apostolus, corpus suum castigabat, ne cum aliis, inquit, prædicavero, ipse reprobus efficiar.[1]

Tertium bonum est, dos quædam atque insignia singularis lucis ac splendoris, quo micabunt ii, qui ad illas beatorum sedes verbo et exemplo cæteris præluxerunt: nam, ut apud Danielem legimus: "Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates."[2] Hæc igitur ad animarum causas impellere atque incitare nos debent.

Sed quo tandem Modo insistemus? Hoc est enim alterum, quod e tribus propositum erat. Nempe eo quem Constitutio tradit: duo enim in ea sunt, quæ ad alienæ salutis procurandæ modum pertinent; alterum divina gratia, alterum studium nostrum. "Cum eadem," inquit, scilicet divina gratia, "impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere." Utrumque necessarium. Divina quidem gratia: quia "Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat, Deus."[3] Ideoque ad hanc impetrandam multæ adhibendæ sunt preces: quod faciebat Paulus, dum dicebat: "Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei."[4] Et cum ad Romanos scribit: "Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis."[5] Et cum ad Thessalonicenses: "Gratias," inquit, "agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione."[6] Et alibi.

Non putet igitur quisquam se aliquid apud proximos profecturum, nisi continenti precatione gratiam Dei sibi conciliet. Sine hac quippe nulla sunt studia nostra, nulla animorum commutatio, nulla conversio. Ut enim ait

[1] 1 Cor. 9. [2] Dan. 12. [3] 1 Cor. 3. [4] Colos. 1. [5] Rom. 1. [6] 1 Thess. 1.

Augustinus: "Admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet: ergo de cœlo gratia ejus precibus evocanda."[1]

Ex quo colligo maximo eos in errore versari, qui, cum ad animorum causas accesserint, nimium suæ doctrinæ tribuunt, nimium naturæ donis, quibus forte sibi videntur instructi. Nihil enim ista valent in animorum quærenda salute, si abfuerint divinæ gratiæ præsidia. Nec minus errant, qui cum sapientia, doctrina, cæterisque naturæ muneribus nequaquam satis se ornatos agnoscant, continuo abjiciunt animos, desperantque in eo genere se aliquid posse: perinde ac si in ipsorum facultate et sapientia, non in Dei bonitate atque clementia, sita esset animarum salus atque conversio. Nam ut reliqua omnia in ipsis sint imbecilla, tamen satis instructi prodeunt ad animarum lucra atque prædam, si divina instructi sint gratia. Atque hoc demum animos debet addere.

Alterum vero, quod ad modum spectat, ex parte nostra studium est vehemens ac diligentia, quæ verbo illo Constitutionis "impense" significatur. Jubet enim Constitutio ipsa in salutem proximorum ac perfectionem nos totos impendere: hoc est, vires omnes ac nervos, et quidquid valemus ac sumus. Hoc est enim "impense": neque satis est mediocre aliquod studium; sed vehemens Constitutio requirit. Id quod ex tribus perspici potest. Primo, quia procuratio alienæ salutis ac perfectionis non minus cadit in Societatis finem, quam procuratio propriæ: sed propriam omni studio diximus esse quærendam, et hunc esse propositum nobis finem; ergo et eodem aliena salus perfectioque curanda. Secundo, id intelligi potest ex multiplici apparatu instrumentoque Societatis, quo ad animarum causas suos præparat. Huc enim spectant omnia literarum studia, omnesque doctrinæ, in quibus plerique ita desudant: huc dona omnia et talenta

[1] In id 1 Joan. 2. "Unctio ipsius docet vos de omnibus."

naturæ tam diligenter conquisita, tam accurate perfecta ac perpolita: huc prudens operariorum delectus, eorumque qui ad tantam provinciam idonei aliquando futuri sint: huc denique multa alia, quæ in Constitutionibus ad procurandam animarum salutem ac perfectionem sapientissime excogitata sunt. Non enim tot studiorum contentiones, tot labores, tot adjumenta naturæ, tot gratuita Dei munera ad nos dumtaxat excolendos perficiendosque referuntur; "Sed unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem," Paulus ait,[1] nempe aliorum et proximorum. Quod si tanto studio instrumenta ipsa comparamus, quibus ad Christum animas adjungamus, quanto tandem studio his instructis præsidiis in earum salutem ac perfectionem incumbemus! Alienum quippe a ratione sit, et plane ridiculum, in instrumenti necessariæque supellectilis nervos omnes intendere, in ipsa vero animarum causa, quarum gratia tanti fiunt apparatus, cum desidia et languore versari. Ut si miles in armorum telorumque copiam comparandam totus incumbat; postea vero, cum hostem viderit, et bellum insonuerit, aut turpiter ab acie refugiat, aut in acie ipsa ignave molliterque se gerat. Quis eum non omni irrisione et pœna dignum judicet? Nempe eadem sit irrisione ludendus, eadem et majore pœna plectendus, qui cum in literarum studiis, et hujusmodi præsidiorum apparatu vires omnes ætatemque continuaverit; postea, cum ad servandas animas juvandasque vocatus fuerit, ignavus atque iners in eo munere deprehendatur. Augustinus ad Dioscorum in re simili:[2] "Ridiculum est," inquit, "cum propterea superflua multa didiceris, ut tibi aures hominum ad necessaria præparentur, ipsa necessaria non teneri, quibus excipiendis eas persuperflua præparaveris: et dum occuparis ut discas, unde facias intentos, nolle discere, quod infundatur intentis." Lege: facit enim ad rem.

Tertio, id intelligi potest ex difficultate revocandi

[1] 1 Cor. 12. [2] Ep. 56, ad Diosc.

animas ad salutem, quæ sine magno studio laboreque non revocantur. Difficillimum est enim avellere homines e rebus humanis, revocare ab inveterata consuetudine usuque vitiorum, eripere de faucibus Sathanæ, qui animarum prædæ quotidie imminens circuit quærens quem devoret. Quod sathanas ipse in animarum perniciem semper excubat, quantum vigiliarum suscipiendum nobis est, quantum studii adhibendum in eis servandis et recuperandis: non enim sedendo ac dormiendo servantur, sed "impense," ut Constitutio monet, in earum salutem ac perfectionem incumbendo. Sed quinam sunt, qui impense seduloque in hanc procurationem incumbunt?

Restat igitur hoc postremum, ut quibus signis ii, qui in animarum salutem excubant, eamque valde sitiunt, internoscantur, breviter exponamus. Quinque autem possunt esse signa. Primum est, nullis neque laboribus, neque incommodis animarum causa parcere. Patet id in Apostolo Paulo, qui impense in animarum salutem incumbebat. Quid enim ipse de se scribit ad Corinthios?[1] "In laboribus," inquit, "plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter:" et reliqua quæ enumerat. Et alibi plus se cæteris Apostolis laborasse testatur, nempe in rem animorum. Et eadem epistola:[2] "In omnibus," inquit, "tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus:" et alibi "Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus;"[3] nam infra sic dicit, omnia enim propter nos, nempe Magistrum suum ac ducem sequi placuit, cujus sunt noti labores ac sudores, notæ peregrinationes et contentiones, nota vitæ discrimina ac pericula pro animarum salute suscepta.

Secundum signum est nullum tempus quærendi juvandique animas prætermittere, sed opportune, importune

[1] 2 Cor. 11. [2] 2 Cor. 4. [3] 1 Cor. 4.

instare, ut idem Paulus Timotheum suum hortatur:[1] id quod ipse quoque facere solitus est. Cum, enim, loquitur ad majores natu Ephesinæ Ecclesiæ,[2] "Vigilate," inquit, "memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum." Ecce nullum tempus excipit, neque diurnum neque nocturnum. Idemque Troade dicitur protraxisse sermonem usque in mediam noctem, ubi Eutychus adolescens, somno oppressus, cecidit de cœnaculo. Quinimo in ipso carcere vinculisque terra marique evangelizandi occasionem nactus nequaquam dimittebat, ut ex ejus Epistolis et ex Actis Apostolicis planum est.

Tertium signum est non esse uni loco dumtaxat affixum, sed alienæ salutis amore omnem locum ac regionem alacriter perlustrare. Fuit id omnium Apostolorum proprium, de quibus dicitur:[3] "In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum." Qui et quidem Paulus, ut cæteros sileam, non ignoramus quam multas provincias, terras regionesque peragravit, ut merito vas electionis sit appellatus, qui Christi nomen portaturus esset coram gentibus et regibus et filiis Israel. Hæc est vocatio nostra, ut noster Pater in Constitutionibus dicit, "diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur." In quo quidem ducem nostrum Jesum imitamur, qui nostræ salutis sitientissimus circuibat vicos et castella: quem cum turbæ requirebant et detinebant ne discederet ab eis, aiebat:[4] "Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum."

Quartum signum est nullam animam respuere, sed omnes perinde quærere, ac si essent omnes ejusdem pretii, ut vere sunt: omnes enim eodem Christi pretio, eodem sanguine sunt redempti. Non enim est distinctio Græci

[1] 2 Tim. 4. [2] Act. 20. [3] Ps. 18.
[4] Luc. 4

et Judæi, non pauperum et divitum, apud Deum. Imo pauperibus magis Filius ejus evangelizabat: quid enim ipse dicit apud Matthæum?[1] "Pauperes evangelizantur:" ideoque, cum turbis atque mendicis frequentius agebat, ut de eo vere videatur esse prædictum[2] "evangelizare pauperibus misit me." Nec erubuit Samaritanæ congressum, nec publicanos et peccatores, quibuscum etiam cibum non raro sumebat. Quid ejus Apostolus Paulus,[3] animarum ipse quoque sitientissimus, nonne de se ipse dicit, "Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum?" Et cum ad Corinthios scribit:[4] "Factus sum," inquit, "Judæis tauquam Judæus, ut Judæos lucrarer; iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: et factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos." Ergo qui a perditis et facinorosis abstinent, quoniam in iis ad frugem reducendis sæpe est desudandum; aut qui pauperes negligunt, ut paucis divitibus operam suam navent, ne illi nequaquam satis impense in salutem ac perfectionem proximorum incumbunt.

Quintum signum est longanimitas et patientia in quærendis lucrandisque animis. Omnia quippe tentanda sunt ei, qui impense navare velit operam animis, nec unquam abjiciendus est animus, etiam si prima et media non succedant. Qua in re imitanda est piscatorum patientia, qui piscibus capiendis intenti, per totas noctes laborantes nihil sæpe capiunt; et tamen artem suam non deserunt, animos non abjiciunt, sed retia passim explicant, et semper aliquid prædarum sperant. Ut non sine causa sapientissimus Dei Filius mundum ad agnitionem sui nominis traducturus, piscatores potissimum elegisse videatur, ut qua patientia animantes rationis expertes capere didicissent, eamdemque piscatores hominum facti intelligerent sibi esse in capiendis lucrandisque hominibus adhibendam. Ad hanc animi magnitudinem

[1] Matth. 11. [2] Luc. 4. [3] Rom. 1. [4] 1 Cor. 9.

et patientiam discipulum suum Timotheus hortatur Apostolus, cum ait :[1] "Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina." Omnem autem, non aliquam patientiam requirit in eo, qui navaturus est operam animabus.

Hisque igitur notis atque indiciis intelliget qualis quisque sit in studio et procuratione alienæ salutis. Sed quo planius hujus Constitutionis posterior pars explicetur, objiciet aliquis primo : quomodo fieri potest, ut nostræ saluti ac perfectioni æque impense atque alienæ, ut Constitutio jubet, operam demus ; non enim videmur satis nobis vacare posse, et eadem opera in salutem ac perfectionem proximorum incumbere.

Respondeo primo : Constitutionem intelligere, oportere prius quemque, quantum satis sit, privato perfectionis studio vacare, quod in novitiorum domibus præcipue fit ; deinde ubi se in virtutibus confirmavit, prodire etiam ad alienos. Secundo : Constitutio non tollit, quin quotidianis studiis, etiam tum, cum proximorum saluti servimus, nobis etiam ipsi vacemus, præsertim orationis ac precationis, sine qua nemo fere perfectus evadit. Orationis autem nomine, discussio quoque sui pectoris continetur, optimum ad perfectionem præsidium. Quisquis igitur precationi cæterisque ejusmodi studiis sedulam quotidie operam dat, is satis suæ saluti ac perfectioni vacat etiam tum, cum consulit alienæ.

Objicies secundo : Quid est in proximorum perfectionem incumbere ? Nonne satis fuerit dicere in salutem ? Cur id igitur addit Constitutio ? An forte jubet ita nos in eorum salutem incumbere, ut eos ad religiosam hanc vitam et perfectionis sequenda consilia cohortemur ?

Respondeo : non id potissimum Constitutio videtur sentire, ut ad Religionem proximos incitemus. Neque id temere aggrediendum est : cum res ista tota sit vocationis afflatusque divini. Sed quod Constitutio potissimum intelligit, id videtur, ut in suo quemque statu vitæque

[1] 2 Tim. 4.

genere perficiamus, et, ut ad Colossenses ait Apostolus, "Exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu."[1] Hoc est, in suo quemque vitæ genere ac conditione, sive sit liber sive servus, sive princeps sive privatus, sive paterfamilias sive sacris alligatus.

Objicies tertio: Quomodo in hac parte Constitutionis, fratres nostri Coadjutores finem Societatis attingunt, qui in proximorum salutem ac perfectionem minus videntur incumbere.

Respondeo primo: dum eos, qui incumbunt, adjuvant, eorumque necessitatibus præsto sunt, etiam ipsi in id studium putantur incumbere, faciunt enim per alios, quod ipsi facere non satis possunt; nam absque eorum opera nulla esset procuratio alienæ salutis, nulla animarum fere lucra. Est autem par conditio, ut ait David,[2] euntis ad bellum, et remanentis ad sarcinas: et idcirco in distribuendis spoliis æqua etiam conditio meritorum.

Secundo: etiam ipsi pro sua facultate captuque debent et possunt, si velint, in proximorum salutem incumbere, non exemplo solum, quod est illis commune cum multis, verum etiam sæpe verbo congressuque familiari secundum virtutem, quam Spiritus Sanctus operatur in eis. Scimus enim idiotas interdum homines, Deo plenos, uno verbo animarum saluti maxime profuisse. Quare cum fratres nostros necesse sit in publicum sæpe prodire, sive ad domesticas necessitates, sive ad eorum, qui ad animarum lucra mittuntur, opem et auxilium; quid ni possint etiam ipsi, si velint, privatis sermonibus atque colloquiis, pro sua, ut diximus, facultate, proximis opportune consulere? Licet igitur et ipsis, si velint, finem suum juxta Constitutionem assequi, aucupandis, inquam, opportunitatibus familiarium sanctorumque sermonum, quibus sæpe plus proficiunt, quam qui ad eam rem doctrinis et literis instruuntur. Atque hæc de gemino Societatis fine juxta Constitutionem.

[1] Col. 1. [2] 1 Reg. 30.

OPUSCULUM TERTIUM.

DE DIVERSIS REGIONIBUS ANIMARUM CAUSA PERAGRANDIS ET IN QUAVIS MUNDI PLAGA DEGENDO JUXTA TERTIAM SUMM. CONSTIT. EX 3 P. C. 2.

QUONIAM duo continet Constitutio, alterum de variis locis peragrandis, alterum de degendo in quavis mundi plaga divini obsequii et animarum causa, sunt namque hæc inter se satis distincta atque sejuncta; idcirco de utroque singillatim agendum erit. Primum de priore; deinde de posteriore. Quod priorem spectat partem, duo item videnda. Primum, explananda breviter Constitutio, quam sit proprium nostrum diversa loca peragrare. Deinde, quid in ea servanda fraudis possit incidere.

§ I.—QUOAD PRIMUM.

Societatis nostræ proprium esse diversa loca animarum causa peragrare, ex quatuor rebus intelligitur. 1° quidem ex eo, quem sibi ducem sequendum proposuit, et a quo nomen accepit. Is est Christus Jesus, de quo scriptum est: "Circuibat totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni;"[1] et: "Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens et prædicans;"[2] nam et ad hoc se venisse testatur apud Marcum: "Eamus," inquit, "in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem, ad hoc enim veni."[3] Quin et hoc ei ab inimicis crimini datum est, quod virtuti et laudi dandum erat. "Commovet," inquiunt,

[1] Matth. 4. [2] Matth. 9. [3] Marc. 1.

"populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc."[1] Si igitur dux noster, cujus nos oportet ex Instituto insistere atque hærere vestigiis, diversa loca animarum causa peragravit, vocationis et institutionis nostri erit, nusquam sedem stabilem et fixam habere, sed varia loca peragrare, ubi major spes alienæ salutis affulserit. Nam qui de Christi cœtu ac Societate fuerunt, ii relictis patriis sedibus atque fortunis, totum terrarum orbem pro animarum salute peragrarunt; quibus ipse dixit: "Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ."[2] Et, ut Chrysostomus ait: "Manendo posset Christus ad se omnes attrahere, ut ejus prædicationem audirent: non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, ut perambulemus et requiramus pereuntem; sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum."[3]

2°, Potest intelligi ex eorum, qui ad Societatem aggregantur, delectu atque institutione, nam et ii deliguntur, qui idonei aliquando his profectionibus sint futuri, et jam delecti quotidianis ad id ipsum literarum et virtutum exercitationibus instituuntur. Tria autem in his hominibus Constitutiones nostræ requirunt; primum, singularem quamdam obedientiam, qualis in castris atque in disciplina militari exigi solet, ut nutu imperatoris ad omnem expeditionem moveatur exercitus: nam ad similitudinem militaris cohortis ab homine militari instituta Societas est, ut et ipsa italica, et hispana vox indicat, cui latine melius cohors forsitan responderet. Obedientia ergo militaris atque castrensis, hoc est, perfecta ac singularis, ab iis qui ad animarum lucra mittuntur, exigitur, et ad hanc continenter exercentur, quia ut in sexta parte dicitur,[4] "parati esse debent ad discurrendum per quasvis mundi partes, quo fuerint a Summo Pontifice, vel a suis Superioribus missi." Et ideo in octava sic admonent Constitutiones: "Qui foras ad laborandum in agro dominico ex domibus mittuntur, quoad ejus fieri potest, in eadem

[1] Luc. 23. [2] Marc. 16. [3] Chrysost. in id. 1. [4] C. 3. § 5.

sint exercitati,"[1] scilicet obedientia; nempe ut quo vis gentium sine ulla retractatione vel recusatione contendant, quod fieri sine magna obedientiæ exercitatione non facile potest: atque idcirco primam hanc Constitutiones requirunt. Secundum autem, quod requirunt, est vitæ probitas, ut dicitur in proœmio quartæ partis; eaque duabus præcipue de causis: 1ª, est quia qui ad animarum auxilium foras prodeunt, ii habere debent, ut Basilius ait, "sensus ad discretionem boni et mali exercitatos, atque adeo perfecto corde in via Domini profecisse, ut nihil eis ab horum congressu societateque metuendum sit;"[2] quod si id ubique necessarium est, multo magis cum per varias mundi partes salus quæritur animarum, ubi nec tot custodum oculi nos observant, nec sexcenta ex innumeris occasionibus pericula desunt; 2ª, vero est quoniam, qui foras ad id mittuntur persuadere sibi debent, se et bonum Christi odorem esse oportere probitatis et sanctitatis exemplo, ut eorum prædicatio Christo ipsi sit grata, et universæ Societatis sustinere personam, cujus famam existimationemque nisi vitæ probitate tueantur, magnam ei notam inurant. Tertium quod requiritur a Constitutionibus est eruditio doctrinæque præstantia, ad eos passim edocendos erudiendosque qui ignorant et errant, ut sint, inquiunt, "literarum eruditione ad id officii idonei;"[3] eademque de causa volunt ut Professi quatuor votorum, quorum præcipue munus est diversa loca peragrare, sint "doctrinæ selectæ, et in variis probationibus perspecti."[4] Sunt enim præcipua arma, quibus hujus spiritalis cohortis milites instructi esse debent, si in rem utilitatemque proximorum magna gerere in his missionibus ac profectionibus velint.

3°, Ex Professionis forma atque ratione id intelligi potest, loquor autem de ea quæ quatuor constat votis, quæ quidem præcipuum obedientiæ votum continet Summo exhibendæ Pontifici, circa Missiones. Nam

[1] C. 1. § 3. [2] Instit. aspir. ad. Vit. Perf. [3] P. 4, Procem. [4] P. 10. § 7.

Constitutiones ita aiunt: "Animadvertendum est, quod eo fertur intentio voti illius, quo se obedientiæ summi Christi Vicarii sine ulla excusatione Societas obstrinxit, ut quocunque gentium ad majorem Dei gloriam et animarum auxilium, inter fideles vel infideles, nos mittendos censuerit, nos conferamus. Nec intellexit Societas particularem aliquem locum; sed ut per orbem in diversas regiones et loca spargeretur."[1]

Planius etiam id apparet in ipsa formula Professionis, quæ traditur in Quinta Parte. In Quarta etiam dicitur:[2] "Professa Societas, quoad ejus fieri potest, expedita ad Sedis Apostolicæ Missiones obeundas esse debet."[3] Et ob hanc causam Professi ipsi dicuntur habitationem stabilem non habere. Qua in re maxime a cæteris Ordinibus familiisque sejungimur, quarum pleræque aut domi resident, aut si quæ animarum causa per varia loca suos interdum alumnos mittant, tamen nec in eo infrequentes sunt, nec ei studio ita addictæ, ut ad id sponsione voti se alligent. Sola Societas tota in eo est, interposita etiam peculiaris voti religione, ut quod sibi maxime proprium esse voluit, perpetuum ac sempiternum sit.

4°, Intelligitur ex fine Societatis, qui cum alius non sit nisi propriæ, atque alienæ saluti ac perfectioni servire, angusta sit caritas proximorum, si unius tantum loci terminis coarctetur. Quæ causa fuit, cur primi illi nostri Patres peculiari se Obedientiæ voto obstringerent Romano Pontifici, ut ille decerneret, quo quisque mittendus esset, et ubi quisque animaram causa laboraret, ut Constitutiones ipsæ significant. "Cum enim," inquiunt, "qui primi convenerunt in hanc Societatem ex diversis provinciis et regnis essent, nec eis constaret, inter quas regiones fidelium vel infidelium versari deberent, ne in via Domini errarent, promissionem illam vel votum emiserunt, ut Summus Pontifex eos ad majorem Dei gloriam, et juxta ipsorum intentionem per orbem discurrendi, distribueret."[4]

[1] P. 7, c. 1. § 1. [2] P. 5. c. 3. § 3. [3] P. 4, c. 2, § 4. [4] P. 7, c. 1.

Ex his igitur perspici potest, quam sit Societatis nostræ proprium diversa loca peragrare, ubi majus Dei obsequium, atque auxilium fuerit animarum.

Sequitur alterum, ut quid fraudis interdum incidat cum ad Constitutionis praxim actionemque ventum est, indicemus.

§ II.—QUOAD SECUNDUM.

Triplex autem fraus seu vitium in hujus Constitutionis usu atque praxi potest incidere. Primum quidem, cum languet animus, minusque est alacris et prompta voluntas ad peragranda diversa loca. Solet namque humani generis hostis, ut tanto animarum præsidio se opponat, torporem quendam nobis afferre, ut pigeat pedem efferre domo, et pro animarum salute peregrinari. Objicit molestias itinerum, locorum, quo pergimus, asperitatem atque pericula, tenuitatem virium, valetudinis imbecillitatem, denique vitæ omnis incommoda. Sed quemadmodum fugandus sit hic spiritus, mox ostendemus. Alterum vitium est, cum in his peregrinationibus suscipiendis minus est recta nostræ mentis intentio. Satanas enim cum torporem animis nostris afferre non potest, ne permolesta suscipiamus itinera, mentem certe nostram, finemque nobis propositum pervertere atque immutare conatur; ut non tam animarum causa peregrinari delectet, quam aut libertatis amore, aut ambitione quadam sese ostentandi et magna patrandi, aut etiam curioso quodam studio visendi res novas. Peregrinatio enim notitias dat gentium, novas nobis montium formas ostendit, inusitata camporum spatia, et irriguas perennibus aquis valles, ut Seneca ait.[1] Tertium vitium est, cum in his missionibus seu locis quo mittimur intepescimus, et a proximorum quærenda salute vitæ hujus illecebris avocamur. Studet enim vigilans adversarius, quando inflectere ac detorquere

[1] Ep. 104.

rectam mentem non potest, saltem nobis creare pericula ex frequenti hominum consuetudine, et libertatis occasione, ut dum aliis prodesse volumus, nobis ipsis potius noceamus. Duplici namque ex capite pericula imminent cum varia loca peragramus; 1°, quidem ex vitæ libertate ac solitudine, cum extra cœnobii disciplinam, fratrumque cœtum agimus, quorum societate et communione juvamur, ut enim dicitur Eccl. 4: "Væ soli; quia cum ceciderit, non habet sublevantem se." Quanquam enim comes aliquis semper adjungitur, plus tamen multi, quam unus potest. Præsertim quod sæpe accidit, ut a comite is, qui mittitur, disjungatur, maxime apud Indos; neque enim perpetuo simul esse possunt. Imo et ob hanc causam comes additur, ut non modo solatio, sed etiam auxilio ei futurus sit, Apostolorum videlicet more, quos scimus a Christo binos ad prædicandam fuisse missos, cum possent singuli plures populos obire; quod observatum deinceps, quoad fieri potuit, ab Ecclesia legimus apud Lucam in Actis, cc. 8, 14, 15.

2°, Pericula imminent ex sexcentis, ut significatum est, occasionibus secularis congressus. "Quis enim ambulat super prunas ut non comburantur plantæ ejus?"[1] Nam, in Collationibus patrum, Abbas Abraham rectius esse ducit "eremi tenuissimum fructum indirupta jugitate sectari, quem nullæ sæculares curæ, nulla cenodoxiæ ac vanitatis arrodat elatio, quam affectare lucra illa majora, quæ etiam si parata fuerint quæstuosissima conversione multorum, necessitate tamen mundanæ conversationis et quotidianis distentionum diminutionibus absumentur."[2] Ut non sine causa vetuisse videatur suis discipulis Dominus adhuc imbecillibus et infirmis, ne in viam gentium abirent, aut in civitates Samaritanorum intrarent;[3] et post Resurrectionem suam, ne ad Evangelium prædicandum prius prodirent, quam induerentur virtute ex alto.[4]

Hæ sunt igitur præcipuæ fraudes atque vitia, quibus

[1] Prov. 6. [2] Coll. 24. c. 13. [3] Matth. 10. [4] Luc. 24.

communis hominum adversarius huic tanto animarum præsidio se opponere consuevit. Quibus singillatim et breviter occurrendum est, ne in ea forte nos cum quopiam destinamur, impellat. Ac torporis quidem vitio atque desidiæ, quo piget labores itinerum cum aliquo valetudinis incommodo suscipere, partim meditatione finis nobis initio propositi, partim contemplatione singularis fructus, qui ex his profectionibus in animis fere consequitur, occurremus. Meditatione inquam nostri finis ; quia cum finis Societatis sit, majus Dei obsequium, et animarum auxilium spectare, quis non omnem laborem itinerum, molestiamque suscipiat, modo Dei, et animarum charitate aliqua teneatur ? Amor enim, ut Gregorius ait, nunquam est otiosus, operatur enim magna, si est ; sin autem operari renuit, amor non est. Præsertim autem si ante oculos Ducis nostri versetur exemplum, qui Dei, et hominum charitate flagrantissimus, cum perfacile posset animas ad se attrahere, ut ex Chrysostomo diximus, maluit tamen, ut pereuntes requireret, diversas regiones et loca peragrare. Contemplatione vero singularis fructus, qui ex peregrinandis variis locis consequi solet, excutiendus est torpor ; quia si Dei beneficium cognoscimus, id de nostrorum Missionibus inficiandum non est, plus ex iis ad alios utilitatis redire, quam ex ordinariis usitatisque Parochorum præsidiis. Quatuor autem præcipue rebus, quæ Apostolorum propriæ fuerunt, nostrorum Missiones tam frugiferæ et salutares sunt : Despicientia rerum humanarum ; Benignitate ac mansuetudine ; Studio delendi remittendique peccata ; et divini Verbi administratione. 1°, Nostri enim cum conentur hominibus exemplo esse probitatis et continentiæ, cupiditateque omni circumcisa, nihil pro suis laboribus non modo petant, sed ne accipiant quidem ultro oblatum, omnium animos ad se rapiunt : neque enim facile invenitur, qui desperatis emolumentis et commodis unam animarum salutem quærat. Admirantur quippe homines, ut rem novam, tantam abstinentiam, et magnam quandam opin-

ionem de nostrorum integritate ac virtute concipiunt, ex quo facilis eis patet aditus ad salutem. Hoc, inquam, Apostolorum proprium fuit, quorum nos vestigiis conamur insistere, nam de se ipse Paulus apud Lucam ita dicit: "Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis;"[1] et ad Corinthios: "Gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis; et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui. In omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo."[2] Christus autem Dominus eisdem præcipiebat Apostolis, ut quæ gratis accepissent, gratis darent;[3] et ne aurum argentumve possidere vellent, neque pecuniam in zonis suis. Cujus rei causam reddit Hieronymus in Matthæum: "Ne si divitias," inquit, "habuissent viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicasse."

2°, Perutiles sunt nostrorum Missiones propter eorum benignitatem et comitatem. Nam cum errantes solentur animas, et in spiritu lenitatis, non severitatis ut sæpe Parochi, eas suscipiant, studeantque de omnibus bene mereri, sublevandis etiam corporum egestatibus, per eleemosynas conquisitas, homines hac allecti humanitate facile se se nostris adjungunt, iisque se se dant atque credunt. Cujus mansuetudinis et benignitatis exempla ab Apostolis videlicet acceperunt. Quid enim Paulus ait? "Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, et meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est dare quam accipere."[4] Et Corinthiis ait: "Alias ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum."[5] Idemque suis laboribus testatur non modo sibi, quæ ad vitam tuendam necessaria essent, sed etiam iis, qui secum erant, subministrasse. Et ad Thessalonicenses ita scribit: "Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium

[1] Act. 20. [2] 2 Cor. xi. [3] Matth. 13. [4] Act. 20.
[5] 2 Cor. xi.

Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis."[1] Quis hac comitate et benignitate non afficiatur erga Paulum? Quis huic se totum non credat atque dedat? Et ob hanc causam Dominus turbas esurientes etiam pavit, et discipulis potestatem dedit conferendi hominibus sanitates; ut hac benignitate homines sibi adjungerent, et ad salutem facilius vocarent.

3°, Frugiferæ sunt nostrorum profectiones propter studium delendi ac dimittendi peccata, Apostolorum etiam more,[2] quorum erat prædicare in Christi nomine pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, eaque dimittere; itaque nostri, dum varia loca peragrant, innumeris per pœnitentiæ sacramentum peccata dimittunt; homines autem, nostrorum tum doctrina, tum etiam probitate perspecta cum comitate conjuncta, facile ad eos convolant, confitentes et annuntiantes actus suos, ut olim Apostolorum tempore multi credentium: et quidem complures anteactæ vitæ universa peccata confitentur, et insignia persæpe facinora diu ante contecta atque in confessione præterita. Neque modo nostrorum benevolentia facile ad id adducuntur, ut se se totos pandant atque aperiant; verum etiam quia apud viatorem et cito prætereuntem sacerdotem, quem non semper ante oculos habituri sunt, non est grave admodum pudorem paulisper ponere, et sua dedecora confiteri: quæ causa fuit, cur etiam Concilium Tridentinum jusserit extraordinarii confessarii copiam sanctimonialibus fieri, quo scilicet liberius sua auderent aperire peccata.[3]

4°, Denique salutares et utiles sunt nostrorum in deserta loca profectiones, ex administratione divini verbi. Quæ quidem triplex est: Una quæ concionibus continetur publicisque sermonibus: Altera quæ catechismo ad pueros rudesque populos, de qua in Actibus ita legimus: "Aquila et Priscilla assumpserunt Apollo Judæum Alexandrinum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini:"[4] Tertia, quæ

[1] 1 Thess. 2. [2] Luc. 24. [3] Sess. 25. § 10. [4] Act. 18.

privato colloquio atque congressu, de qua in Actibus ita Paulus: "Per triennium nocte et die non cessavi unumquemque vestrum cum lacrymis monere;"[1] et ad Thessalonicenses: "Scitis qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos), deprecantes vos et consolantes testificati sumus, ut ambularetis digne Deo."[2] Qua triplici divini verbi administratione tam uberes ex animis fructus in his profectionibus colliguntur, summopere gratulandum ut sit; præsertim tertia atque postrema. Hinc enim pro suo quisque captu privatim instituitur, hinc dubitationes animi et conscientiæ solvuntur, evelluntur scrupuli, adjuvantur re et consilio pastores, conciliatur inter dissidentes pax, restitutiones fiunt æris alieni, excitantur oratoria ad perpetuandam institutam bene vivendi consuetudinem, denique sexcenta hujusmodi in rem et commodum geruntur animarum. Si quis igitur quantum prodesse possit animis peragrando secum ipse perpendat, ipsa spe tam uberum frugum excutiet omnem continuo torporem atque desidiam, et se ipsum acriter excitabit, ut non modo non pigeat, sed vehementer delectet animarum causa peregrinari. Atque ex his interim potest intelligi, quales nostrorum profectiones ac missiones esse oporteat, ut salutares et frugiferæ sint. Ita igitur primæ fraudi occurrendum est.

Secundæ vero ut occurramus, radices erunt potissimum, quibus recta mens depravatur, expendere, ut eas exscindamus atque evellamus. Eæ erunt præcipuæ tres: Libertatis amor, Ambitio, Curiositas. Amor quidem 1° libertatis, quia, cum pigeat in tam arcta disciplinæ custodia perpetuo vivere, honesto nomine exitus aliquis et relaxatio quæritur; quæ quidem in his plerumque missionibus tanta est, ut nisi ipse qui mittitur sibi ipsi sit lex ac disciplina, ad sæcularis vitæ libertatem proxime accedat. Sed quisquis hoc fine ducitur, meminisse debet primum, quam periculosa sit religioso libertas, quæ omni eum religione spoliat, cujus proprium est intra disciplinæ cancellos se continere:

[1] Act. 20. [2] 1 Thess. 2.

deinde quam vehementer noceat quærendis animis ipsa libertas, nam dum hæc suadet omnia commoda, dissuadet autem incommoda, necesse est studium illud requirendi animas intepescat, cum simul esse non possit una cum studio quærendi quæ sua sunt; ideo enim Paulus: "Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi;"[1] quia duo hæc simul esse non possunt, ut quis sua simul quærat, et Christi Jesu. Alii vero, 2°, profectiones expetunt in loca diversa, ambitione quadam et gloria ducti; quia cum domi resident, videntur sibi non satis posse suam prodere et declarare virtutem, præsertim si humilioribus domi muneribus occupentur. Contra vero cum foras exeunt, tum demum animas sumunt ad magna gerenda, quibus existimationem aliquam ac famam colligant, seu gnavi strenuique viri, seu præstantis concionatoris. De qua gloria et ambitione Cassianus in Instit. Mon. "Facit etiam," inquit, "hæc scilicet inanis gloria, in solitudine vel cellula commorantem diversorum domos ac monasteria mente atque animo circumire, et plurimorum conversiones sub incitamento imaginariæ exhortationis acquirere."[2] De eadem Bernardus in Canticis: "Interdum bene proficientis cujuspiam, cum sibi profusius aliquid supernæ gratiæ senserit irrorari, subit animum desiderium prædicandi, non quidem ad parentes et propinquos, juxta illud: Continuo non acquievi carni et sanguini, sed quasi purius, fructuosius, fortiusque passim ad extraneos, et ad omnes."[3] Hanc fraudem vulpeculam Bernardus appellat, eique recordatione finis, qui nobis in his profectionibus est propositus, occurrendum. Qui quidem est, ut Constitutio ait, majus Dei obsequium, et animarum auxilium, non nostra gloria atque ambitio. Ut cum Paulo liceat dicere: "Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis."[4]

Qui vero, 3°, has missiones expetunt inani quodam visendi studio, propterea quod pulchrum sit multas obiisse regiones, et mores hominum multorum et urbes vidisse,

[1] Philip. 2. [2] L. II. c. 14. [3] Ser. 64. [4] 1 Thess. 2.

habeatque admirabilem jucunditatem tot terrarum spectaculum, tam multiplex rerum novarum varietas ; ii cogitare debent, nimis humilem finem sibi statuere in re tanti momenti, et inanissimæ rei causa laborem peregrinandi suscipere. Quem nulla alia consequitur merces, nisi spectaculum levissimæ voluptatis, ut merito postea audituri sint illud : "Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram." His igitur radicibus, quibus recta mens vitiatur, evulsis, præsto est illico temperatio secundi vitii atque fraudis. Restat 3ª, cum in ipsa profectione medioque cursu rei Christianæ gerendæ Satanas se se nobis opponit, ut dum proximis prodesse volumus, potius ipsi detrimenta spiritus non exigua capiamus. Sed adversus hanc fraudem duplici ratione muniendum pectus erit.

Primum quidem, ut has profectiones atque itinera obedientiæ virtute freti suscipiamus, non ipsi ea quæramus ac procuremus. Nam si Deus ea nobis imperat per Superiores nostros, tribuet etiam gratiam atque auxilium imperata faciendi, nullo nostro periculo, magno animarum bono. Ideo Constitutiones nostræ vetant ne quis se ingerat ad Missiones Par. 7, c. 1, § 2. Et videmus ita olim ab Apostolis usurpatum. Nam Act. 15, aliqui ex primis illis Christianis, sine mandato Apostolorum Antiochiam exisse dicuntur, et in Syriam ac Ciliciam profecti, ibique obfuisse potius animis, quam profuisse. "Quoniam audivimus," inquit, "quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus, placuit nobis collectis in unum, eligere viros, et mittere ad vos, cum carissimis nostris Barnaba et Paulo." Et cap 13, de iisdem Barnaba et Paulo dicitur : "Imponentesque eis manus, dimiserunt illos ;" quibus quidem nisi missis prædicare verbum Dei non licuisset. "Quomodo vero prædicabunt," Paulus ait, "nisi mittantur ?"[1] et Christus septuaginta discipulis dixit : "Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos."[2] Ubi Glossa :

[1] Rom. 10. [2] Luc. 10.

"Erat inter omnia pericula solatium virtus mittentis." Ergo expectandum est dum mittamur; non ultro nos ad Missiones ingeramus. Quanquam Missiones aliquæ, ut Indica et Japonica, et aliæ hujusmodi, quæ plus laboris et molestiæ, quam honoris habent et commodi, etsi nimis quæri ac curari non debent, cum laude tamen, adde etiam cum merito, postulantur: indicant enim plerumque animum terrenis exutum affectibus, et Christianæ Crucis amicum, et talis voluntas ac postulatio grata est etiam iis qui præsunt, et Christi vices apud nos obtinent.

Deinde, oratione ac deprecatione nos maxime muniamus, cum in varia loca mittemur, missionem nostram ardenti studio Domino commendantes, ut sit proximis salutaris, nobis autem minime noxia. Ideo Constitutiones ipsæ jubent pro missionibus præsertim majoris momenti missas et preces indici:[1] id quod etiam ab Apostolis fuisse servatum, testis est Lucas; nam de Saulo et Barnaba in eisdem Actibus ita dicit: "Tunc jejunantes, et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos."[2] Ecce non modo preces, verum et jejunium ad Missiones adhibebant: tanti refert ad eas se comparare ac præmunire.

Quare si tam proprium est Societatis nostræ diversa loca animarum causa peragrare, si nostrorum hominum profectiones adeo sunt animis totique Ecclesiæ salutares: Si ex altera parte vigilat Satanas, et nostris conatibus se opponit, si perpetuo circuit quem devoret, et quotidie perambulat ad perdendas animas: Cur nos item ad eam perambulandam non accendimur, ut prædas illi eripiamus e faucibus, feramusque pereuntibus opem, quorum infinitus est numerus? Nam si in eo obtorpescimus, si languemus, neque hunc in nobis animum studiumque sentimus, qui dici possumus de Societate nos esse, cujus est proprium diversa loca pro animarum salute peragrare!

[1] P. 7, c. 2, § 1. [2] Act. 13.

PARS II.

DE VITA AGENDA IN QUAVIS MUNDI PLAGA.

Hactenus de priore Constitutionis parte. Sequitur ut de posteriore, hoc est de agenda ubique vita dicamus, quod proprium etiam Societatis est : nam in cæteris familiis, ut plurimum, ubi quisque in eas semel cooptatus est, ibi fere perpetuo permanet. Foras autem nisi ad breve tempus non progreditur ; at Societas nullum habet proprium locum, et quisquis in ea degit loco animum non addicit, ubique sedem suam putat esse, ubique patriam. Quod ut nostrum et proprium perpetuo tueamur, duo videnda erunt. Primum quæ causæ nos impellant ut hunc magis quam illum locum amemus. Deinde perpensis causis adhibenda remedia, ne alii alio magis efficiamur, sed æque ad omnem locum propenso animo simus.

Octo autem possunt afferri causæ.

Prima est natio vel regio. Quia natura duce suam quisque nationem magis amat quam alienam ac peregrinam, nisi forte in hac diu versatus atque educatus fuerit, a qua æque ægre divellitur ; vel quia unius nationis mores cum alterius moribus non satis congruunt ; vel quia in sua quisque natione magis est notus atque perspectus, apud exteros autem obscurus latet atque ignobilis, sæpe enim cum ad eos migramus, novi accipimur, ignoranturque nostri labores, talenta nostra, bona nostra : ex quo fit ut nullo habeamur in pretio, nullo numero, atque hinc loci mutandi cupiditas.

Secunda causa est civitas vel oppidum ; usu nam fere evenit, ut in nobili civitate, ubi agnoscamur, esse malimus, et ubi campus aliquis nostræ pateat industriæ vel facultati, quam in humili obscuroque oppido. Videmus enim industrios homines, et qui pollent ingenio atque virtute,

non in angulis delitescere, neque in humilibus versari locis, sed in celeberrimis primariisque civitatibus studiose retineri. Ergo cum in illis nos magis, quam in his detinemur, videmus nobis quodammodo despici, ac pro nihilo haberi.

Tertia causa est collegium, seu domus, si dives aut inops, si commodum vel incommodum, si celebre vel solitarium sit; natura enim rerum inopiam, et incommoda, et solitudinem respuit, contra vero rerum copiam, et vitæ commoda, et frequentiæ celebritatem adamat.

Quarta mutandi aut tenendi loca causa solet esse Superior, si is asper, lenisve sit, si durus aut mitis, si severior aut blandus. Omnes enim Præpositorum facilitatem amamus, duritiem odimus, ideoque aut illius consectandæ gratia, aut hujus fugiendæ causa, solum libenter vertimus sedemque mutamus.

Quinta causa est munerum officiorumque conditio; nonnulli enim dum munus aliquid obeunt, quod non eos valde delectat, nec melius aliquid et suis rationibus opportunius hic sperant, de mutatione loci cogitare incipiunt, ut illuc migrent, ubi optatis fungantur officiis.

Sexta est valetudo, quæ cœli alicujus gravitate vel salubritate aut læditur, aut juvatur. Facit autem Constitutio nobis copiam ac potestatem eos qui præsunt, cum peregrino cœlo lædimur, admonendi: idcirco justissima causa videtur manendi vel abeundi cœli clementia vel inclementia, nisi forte valetudinis prætextu subsit alia causa.

Septima causa potest esse profectus spiritus ac virtutis; quia enim sentio me hic ubi dego ad virtutem non satis progredi, seu propter varias aberrationes et impedimenta quæ hic potissimum oriuntur, seu propter aliquas animi perturbationes ac molestias quæ me hic Deo vacare pro voluntate non sinunt, idcirco de mutatione loci consilium capio.

Octava et postrema causa, quæ magnam præfert pietatis speciem, potest esse salus proximorum; quia enim adverto

me sic proximis valde prodesse, et plurimos habere qui me quotidie consulunt, et me ducem ad animæ salutem potissimum volunt, propterea non libenter hinc migro. Contra vero, si paucis hoc loco mihi videor posse prodesse, et inanem meam operam collocare, continuo ubi habito me loci tœdet, et alio secedere in mentem venit, ubi operam tempusque non perdam.

Hæ sunt præcipuæ causæ, cur locus aliquis delectet, aut non delectet. Sed expendendæ sunt singulæ, et earum inspiciendæ radices, ut remediorum opportunitas afferatur, reperiemus enim fere omnes, aut ex prudentia carnis, aut ex tumore fastuque superbiæ, aut ex inopia devotionis ac spiritus ortum suum habere. Prima quidem causa quæ nationis erat ac regionis, partim ex prudentia carnis oritur, quæ patria magis, suaque natione, quam aliena delectatur; partim ex superbia, qua quis illuc non libenter migrat, ubi obscurus futurus sit. Remedium igitur peropportunum est duplex: alterum quidem ut affectum omnem carnis et sanguinis exuamus, illius præcepti memores, quod Abraham patriarchæ a Deo datum est, cum ei dixit, "Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi;"[1] aut ejus quod per os David sponsæ animæ datur, cui dicitur: "Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui;"[2] neque enim fieri potest, ut quis Deum bene sequatur, aut ejus decorem ex animo concupiscat, nisi patriæ, nationis, populique sui, quorum affectu retardatur, voluerit oblivisci. Docent enim Sancti Patres apud Cassianum,[3] patriæ parentumque viciniam iis, qui nondum perfectam animi mortificationem possident, noxiam esse. Debet igitur, quisquis ad perfectam vitam studiose contendit, in peregrino solo atque natione non gravate versari; quia, si Sanctorum sententia patriæ vicinitas obest, ejus profecto longinquitas prodest. Alte-

[1] Gen. 12. [2] Ps. 44. [3] Coll. 24, c. 9.

rum vero remedium, quod tumori mentis opponitur, est ut Sanctos viros nobis ante oculos proponamus, qui quidem, religiosæ humilitatis studio, apud exteros latere inglorii, quam domi suæ cum gloria esse, maluerunt. Nam B. Pynuphium narrat Cassianus,[1] cum presbyter et Abbas esset celeberrimi in Ægypto cœnobii, amore humilitatis incensum, eo relicto in longinquum Thebaidis profugisse cœnobium, ubi triennium totum delituit ignotus, in hortorum nempe cultura glebisque versandis, velut abjectus atque indoctus agricola; repertumque a suis, iterum in Syriæ partes occultandi sui gratia secessit, tanta humilitate flagrabat. Nos vero, qui eandem profitemur humilitatem ac disciplinam, si forte apud exteros sumus, ostentandi nostri gratia redire festinamus ad nostros, ita nos inflat superbia; sed consimilibus retundenda erit exemplis.

Secunda causa, quæ in oppidi nobilitate vel obscuritate versatur, etiam ipsa ex ambitione oritur et superbia; quid enim aliud nos stimulat, ut relictis obscuris loca nobilissima perquiramus, nisi quædam ostentationis ambitio, existimantes aliquid in nobis esse hominum laude atque admiratione dignum! Non enim desunt interiores quidam spiritus cœnodoxiæ, qui nobis illud idem suggerant quod olim Christo Domino fratres ejus: "Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo."[2] Agebat enim tum Christus in Galilæa, humili videlicet civitate, et in ea miracula ac prodigia patrabat: ideo fratres ut in clarissimam Judeæ civitatem se conferret, ubi edendis miraculis agnosceretur, hortantes aiebant: "Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis."[3] Augustinus autem fratres Domini dicit, ambitione quadam inductos, Christum fuisse cohortatos ad hanc mundi gloriam quærendam, quod et ea in ipsos quoque velut proximos redundaret, propterea quod in locis celeberrimis major gloria ex admirandis operibus comparatur. Ut igitur Christus non audiendos fratres

[1] L. 4. Instit. 30; et Coll. 20. [2] Joan. 7. [3] Joan. ibid.

putavit, sed expectandam dixit horam suæ in Hierusalem profectionis; sic et nos insidiantem spiritum cœnodoxiæ, cum ad celebriora loca nos incitat, repente fugabimus, expectandumque dicemus tempus, quo in ea mittamur, si ita tulerit divina voluntas. Atque hoc erit hujus secundæ causæ remedium.

Tertia vero causa, quæ est paupertas ac solitudo collegii vel domus, ex prudentia carnis oritur, et inopia spiritus; nam si spiritus cœlestis abundat, paupertas mihi solitudoque molesta non erit, imo eas in deliciis habebo, ut quæ sunt materia segesque virtutum, "cujus rei gratia ad cœnobium me contuli, quare Hugo, si tibi videtur, inquit, locus, ubi habitas, pauper esse, id totum Dei causa æquo animo ferre debes, memor te ad cœnobium accessisse, non ut deliciis viveres, sed ut tibi salutem pareres et virtutes."

Audi etiam, quid de hac carnis prudentia Bernardus dicat, cum ad nepotem suum, qui locum mutarat, et ex ordine Cisterciensi scilicet arctiore, in Cluniacensem migraverat laxiorem.

"Quid?" inquit. "Salus ergo magis in cultu vestium, et ciborum est opulentia, quam in sobrio victu vestituque moderato! Si pelliciæ lenes et calidæ, si panni subtiles et pretiosi, si longæ manicæ et amplum caputium, si opertorium sylvestre et molle stramineum sanctum faciunt, quid moror et ego quod te non sequor! Sed hæc infirmantium sunt fomenta, non arma pugnantium. 'Ecce enim qui in mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.' Vinum et simila, mulsum et pinguia corpori militant, non spiritui. Frixuris non anima saginatur, sed caro."[1]

Quod autem attinet ad solitudinem, quæ quosdam sæpe deterret, id quoque non leve est inopiæ spiritualis indicium, nam qui cum Deo colloqui et sermocinari didicit, alterius sermonem non requirit: quanquam nulla est tanta solitudo, vel in exiguis parvisque collegiis, quin

[1] Epist. 1.

habeamus aliquem, quo cum esse et colloqui jucunde possimus, nam etsi cum iisdem sæpe agendum est, in frequentissimis etiam Collegiis interdum fit, ut non nisi uno aut altero relictis cæteris continenter utamur. Verum iis, qui spiritu divino sunt prædíti, grata potius est solitudo hæc quam molesta : desunt namque occasiones delictorum, quæ in multitudine sæpe abundant. Et quanquam Instituti nostri non est arctam quandam solitudinem persequi, tamen quando ea nobis præparat Deus, existimare nos oportet eam nobis pernecessariam esse, ut quæ mentis solitudinem adjuvet, quæ quidem quanti sit facienda Bernardus indicat Ser. 40 in Cant., "Sancta," inquit, "anima sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam tibi velit indulgere præsentiam præsentibus cæteris! Secede ergo, sed mente non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu." Hoc igitur pacto tertiæ causæ occurri potest.

Quarta erat causa Superioris severitas aut lenitas, quæ ipsa quoque ex iisdem radicibus ortum habeat; quippe ex vitio subditorum, qui vel nondum cordis humilitatem didicerunt, vel nimia sui corporis teneritudine atque indulgentia student adhuc commodis suis, vel ad perfectionem spiritus non contendunt, fere oritur hæc mutationis cupiditas vel molestia. Nam qui vere humiles sunt, nec vitam amant laxiorem, contentoque cursu ad eam quam dixi perfectionem nituntur, ii cujusvis Præpositi severitatem atque duritiem non solum æquo animo ferunt, verum etiam boni consulunt, et beneficii loco ducunt, cum ab eis arguuntur et increpantur, et ad exactissimam legum normam sine ulla indulgentia diriguntur; hi inquam nihil cum suis unquam moderatoribus habent litium, utuntur iis placatis atque tranquillis. Imo quo duriores fuerint, eo ipsi magis in spiritu ac virtute proficiunt, quia, ut ait

Bonaventura,[1] "Plus nocet prælatus misericors, abjiciens rigorem disciplinæ, quam prælatus rigidus sine misericordia." Dicitur enim Eccl. 42. "Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens," hoc est prælatus cum se virum corrigendi pravis moribus præbet, quam cum feminæ instar subditorum mollitudini indulget. Id quod docent exempla Sanctorum. Nam Joannes Sabaites,[2] ut scribit Climacus, cum in Asia senis cujusdam in disciplinam se tradidisset, ejus facilitatem expertus, moleste ferens se a magistro potius honorari quam corrigi, veniam ab eo petiit; qua impetrata, simul cum literis commendatitiis ad cœnobium quoddam Provinciæ Ponti, in id adscriptus est, ubi multis laboribus et ignominiis tredecim ipsos annos patienter exercitus est. Ad hunc cum venissent aliquando tres adolescentes, ejus sanctitatis fama commoti, ut moniti aliquid acciperent, is, cum unicuique dixisset aliquid singillatim ac proprie, tertium ita monuisse dicitur. "Tu hoc in animo reconde tuo, quod apud Matthæum Salvator dicit, 'Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.' Eas igitur," inquit, "et quæras tibi magistrum omnium durissimum ac molestissimum: ejusque reprehensiones, objurgationes, et exprobrationes constanter suscipe, ut lac et mel." Cui adolescens: "Quid si magister hic vixerit dissolutius, quid te auctore agam?" "Etiam si," inquit ille, "eum videris fornicari, ne discedas ab eo, sed tecum ipse sic disputabis: Amice cur huc venisti? Profecto, non ut ejus exemplo vitam duceres, sed ut ejus duritiem, asperitatem, ac reprehensiones ferres; ita senties superbiæ tumorem minui."

Ac de aliis hujusmodi apud eundem Climacum legimus, quos commemorare longum esset, qui sua humilitate, cum magistros præpositosque duriores perferrent, brevi ad perfectionem evolarunt, ut Acacius ille, qui novem annorum spatio a magistro suo plagas et verbera constanter pertulit; aut Joannes Ammonis discipulus,[3] qui ab Abbate suo duo-

[1] In lumin. Eccl. [2] Grad. 4. [3] Ibid.

deviginti ipsis annis ne verbum quidem ab eo blandum, aut usitatam communemve salutationem accepit. Sed dices: hic quem nactus sum Rector ac Superior, humilem me semper habet atque in postremis, et studio insequi me videtur, quinam igitur illum diu feram! Nempe beneficium ejus erga te narras, qui tibi virtutis materiam et facultatem præbet; in hoc enim sita est omnis disciplina virtutis atque profectus. Et communis est SS. Patrum sententia eos, qui suscipiunt regendas animas, debere eas humilitate potissimum exercere, neque pejus esse rectore illo qui subditorum voluntatibus obsecundat. "Quisquis autem," Climacus inquit, "misericordiæ aut clementiæ nomine subditorum voluntatibus morem gerit, faciet ut, cum ad mortem illi pervenerint, suis magistris ac præpositis maledicant, quod ab iis potius decepti quam adjuti videantur."[1] Proderit etiam ad tollendam hanc mutationis causam, meminisse quam, ad extenuandas minuendasque peccatorum pœnas, Præpositorum sit opportuna severitas; nam cum durior Præpositus nihil impune patiatur abire in his Religiosæ vitæ claustris, Purgatorii profecto pœnas elevat atque imminuit, quibus nostræ expiandæ sunt noxæ. Ideo B. Bertrandus, ut alibi dicemus, solitus esse dicitur cum cuidam cœnobio præesset, suorum vel levissimas noxas graviter vindicare, ne purgatoriis essent ignibus expiandæ. Nam, ut Gregorius in Moralibus ait, "Subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, divino procul dubio judicio reservantur."[2] Quod confirmat Bernardus ad Sororem Serm. 18. "Multo melius est nobis in hac vita a prælatis nostris pro negligentiis corripi, quam in futura vita damnari. Melius est nobis in hoc sæculo a propositis nostris pro transgressionibus castigari, quam in futuro sæculo puniri." Propterea jubet sororem ei gratias agere, qui eam castigaverit, et ei qui increpaverit gratias rependere.

Quinta quoque, si recte perpenditur, reperietur causa,

[1] Epist. ad Pastorem, c. 14. [2] L. 25, c. 35.

aut ex superbia, aut ex indulgentia sui corporis ortum habere. Nam idcirco tædet nos muneris nostri, aut quia minus habet honoris; aut quia plurimum laboris habet; aut quia minus est constans atque perpetuum, modo nam ad hoc, modo ad illud repente traducimur; aut denique nostris viribus est inferius minimeque par, quæ quidem ex alterutra illarum causarum oriuntur omnia. Primum enim et postremum ex humilitatis oriuntur inopia; primum quidem, quia si vere humilis sim nihil mea interest, utrum quod mihi demandatum est munus honorificum, aut humile sit, quanquam in Religione quidquid Dei causa geritur, licet infimum sit, plurimum habet honoris; propterea enim et emunctoria in tabernaculo volebat Deus ex auro esse purissimo,[1] ut significaret in domo Dei nihil esse tam vile, quod aureum preciosumque non sit, si Dei causa et charitate geratur, sed tamen licet hominum opinione ita sit, et minus honorificum sit munus meum, nihil tamen movere me debet, si vera humilitate sim præditus. Præest aliquis confessionibus audiendis: tædet illum continuo muneris sui, quod splendorem fortasse non habeat, et mavult ad populum verba facere, aut aliis in administratione præesse, quod si id alibi sperat, continuo illuc mentem cogitationemque convertit. Quid est autem hoc nisi detestanda superbia, et ex sanctis exterminanda locis. Nam de concionandi regendique cæteros cupidis (quæ splendidiora vocantur munera) ita Bernardus:[2] "Tantæ," inquit, "charitatis sunt, per quos nobis fluenta cœlestia emanant, ut ante effundere, quam infundi velint; loqui, quam audire; paratiores et prompti docere, quod non didicerunt; et aliis præesse gestiunt, qui si ipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, quem sapiens posuit dicens: 'Miserere animæ tuæ placens Deo.'"[3]

Periculosissimum porro est, ut ait Basilius,[4] gloria

[1] Exod. 25. [2] In Cant., Ser. 28. [3] Eccl. 30. [4] Instit. cænob. vitæ.

decipi, et ob brevis honoris dulcedinem velle honore perpetuo privari. Constitutiones vero nostræ jubent nos in iis muneribus versari libentius, in quibus præcipue charitas et humilitas exercetur, non ubi plus est splendoris ac gloriæ. Non est igitur quod ulla muneris aut honoris ambitio sedes mutare vel tenere nos cogat, nam, ut ait S. Ephræm,[1] hoc est dedecus velle fugere. Postremum etiam quod est inani aut levi munere perturbari, ambitione non vacat, idcirco non perturbamur, cum nequaquam pro facultate et viribus occupamur, quia actuosi et strenui videri volumus, non desides atque inertes.

Sed hic potius fuerant agendæ gratiæ Deo, quod otii aliquid ad se fruendum et contemplandum dedit, non autem tot curarum multitudine implicavit, quarum pulvere fœdaremur: "Sæpe enim misericors Deus," Gregorius inquit, "quo suos tenere diligit, eo solicite ab externis actionibus abscondit."[2] Nam et plerumque paterfamilias ad eum laborem servos suos dirigit, a quo utilius filios suspendit, et inde filii sine vexatione decori sunt, unde servi in pulvere fœdantur. Idque ait recte ipsa olim tabernaculi constructione significatum, ad Moysen[3] quippe divina voce præcipitur ut ad tegenda interius sancta sanctorum ex bysso, cocco atque hyacintho vela texantur, jussumque est ut ad protegendum tabernaculum vela cilicina et pelles extenderet, quæ nimirum vel pluvias, vel ventos, vel pulverem tolerarent. Cilicia autem et pelles, quæ tabernaculum protegunt, ait esse prælatos et superiores, qui externis exponuntur incuriis. Byssum autem, coccum et hyacinthum subditos esse, qui latent, qui dum caute in tabernaculo sub ciliciis et pellibus absconduntur, sua integra pulchritudo servatur. Quod quidem valde solari eos debet, qui parent, quique nec speciosis nec operosis muneribus occupantur.

Secundum vero quod est labor muneris et officii fortasse molestior nec tamen splendidior, partim ex

[1] Paræn. 26, t. 2. [2] Lib. 25, Mor. c. 16, in Job 34.
[3] Exod. 25.

obsequio sui corporis oritur, partim ex aliquo fastu superbiæ, nam neque qui carnem suam odit, neque qui humilitatem possidet, laboris recusat onus. Quisquis enim humilis est, memor delictorum suorum, humilitatem et laborem amplectitur, ut possit dicere cum propheta:[1] "Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea." Labor quippe reddit humilem animam, ut SS. Patres testantur, et ex labore et humilitate remissio fit peccatorum. Et qui carnem suam odit, eam laboribus atterit, ut faciebat Paulus, qui corpus suum non modo inedia et fame, verum etiam plurimis laboribus castigabat. Tertium autem quod est munerum officiorumque inconstans varietas, ne id quidem loco movere nos debet, si quidem in eo magna vis meritorum sita est. Imo id Societatis est proprium, ut quemadmodum minime afficitur locis, ita nec muneribus. Repetendi sunt memoria varii B. Mennæ labores, quem scribit Climacus,[2] sexaginta prope annos in cunctis sui cœnobii muneribus fuisse versatum. Eoque defuncto suavissimum ex ejus sepulchro odorem extitisse; quo patefacto inventas esse pedum plantas unguentum mittere pretiosum, testes sudorum atque laborum. Hæc et similia meminisse, laboris tolerantiam, non fugam suadet. Quanquam ad levationem laboris, quid charitate præstantius, quæ omnia reddit facilia? Ideo Bernardus Claravallenses suos ut in charitate serviant, hortatur, "quæ timorem," inquit, "expellit, labores non sentit."[3] Sed de laboris patientia alibi fusius.

Sexta mutandi aut non mutandi loci causa est valetudo, quæ quidem, si peregrino cœlo vere lædi-tur, justam habet excusationem. Sed cavendum ne nostræ mollitudini indulgeamus, et cum alia insit causa, valetudinem prætexamus. Si vere cœlum officit, justa, inquam, causa est et ad Superiores referenda, consulto prius per orationem Deo; deinde silendum, existimandumque quidquid illi statuerint, statutum esse

[1] Ps. 24. [2] Gr. 4. [3] Ep. 143.

divinitus, et in rem nostram propterea Constitutiones admonent P. 3 c. 2 relinquendum id esse Superiori, nec volunt id ab ægroto postulari, ut dicemus infra opusc. de tuenda valetudine? Verum Paulo clementius aut gravius cœlum, non debet esse nobis inconstantiæ causa; ubique mors oppetitur sive tardius sive maturius. Basilius[1] certe nimiam hanc corporis diligentiam in Dei servis minime probat, et Platonis ethnici philosophi affert exemplum qui pestilentem Academiæ locum sibi delegit, ut nimiam corporis prosperitatem veluti vite palmitem luxuriantem amputaret. Idemque in regula quadam monet, servo Dei non id spectandum, utrum locus, ubi degit, sit salubris, an insalubris; sed utrum bene maleve agendi occasiones suppeditet. Quanquam ad tuendam in gravi cœlo valetudinem nihil frugalitate ac temperantia melius. Idcirco enim nobis obest cœli gravitas, teste Plutarcho,[2] quia nos plenos ac redundantes offendit, humorum enim in corporibus, velut materiam quandam aëri externisque causis suppeditat ægrotationis ac morbi.

Septima erat mutationis causa profectus spiritus ac virtutis. Quæ ipsa licet specie videatur honesta, et re ipsa interdum ita sit; sæpe tamen oritur ex animi levitate ac pravitate, nam bene affectus animus ubique semper est idem suique simillimus. "Navibus," Horatius inquit, "atque quadrigis petimus bene vivere, quod petis hic est." Et Seneca ad Lucilium. "Quid prodest mare trajicere, et urbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris effugere, non alibi sis oportet, sed alius."[3] Socratem quærenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: "Nimirum," inquit, "tecum ipse peregrinabaris."

Climacus autem quanquam videtur ei veniam dare ex eo discedendi cœnobio, ubi aperte perspicit se nihil

[1] L. de legend. libr. gentil. [2] Opusc. de tuenda valet.
[3] Ep. 104.

in virtute proficere, illud tamen addit,[1] "Animadverte ne tua culpa id fiat, quo minus proficias, nam quocunque perges, te ipsum feres: mutatio enim loci non est eadem ac cordis mutatio, quisquis enim in aliquo loco improbus est, in omnibus talis est, ut etiam qui alicubi bonus est, ubique bonus erit." Idemque, "Qui proni inquit, ac faciles ad migrationem mutationemque locorum sunt, improbi omnino judicarunt. Nihil ita boni operis fructus consuevit obtundere, ut locorum crebra mutatio."

Basilius[2] autem, ne occasione quidem sanctius agendi, in alium locum migrandi potestatem facit, imo ait hoc pacto toti congregationi infamiæ notam inuri. Alterius se dicunt, inquit, vitare contagium, et propriam ostendunt inconstantiam, inde alibi id genus hominum tanquam instabilem vitandum monet.[3] Ephræm etiam non probat eorum excusàtionem, qui dicunt velle se scandala et obtrectationes fugere, nam quocunque, inquit, abierimus, in nobis portabimus a quibus oppugnemur.[4]

Bernardus autem non solum suspectam habet hanc animi levitatem sed, cum scribit ad fratres de monte Dei, dicit loci mutatione effici animum leviorem ac mobiliorem. "Qui ægritudinem," inquit, "animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est sicut, qui fugit umbram corporis sui se ipsum fugit, se ipsum circumfert, locum mutat non animum, eundem ubique se invenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas; sicut lædere solet ægrum, qui circumferendo concutit eum, ægrum nam se sciat, et vacet circa causarias partes ægritudinis suæ."

A Seneca videri potest hæc mutuatus, is nam Ep. 27, sic ait. "Vadis huc et illuc, ut excutias insidens pondus, quod ipsa jactatione incommodius fit: sicut in navi onera immota minus urgent, inæqualiter convoluta citius eam partem, in quam incubuere, demergunt, quidquid facis, contra te facis, et motu ipso noces tibi, ægrum nam

[1] Grad. 4. [2] De Instr. vitæ cœnob. [3] Instit. mon. c. 10.
[4] Paræn. 26 tom 2.

concutis at cum istud exemeris malum, omnis mutatio loci jucunda fiet. In ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariæ angulo colloceris, hospitabit tibi illa qualiscunque sedes erit."

Ultima restat causa, salus proximorum, quæ si alibi speratur uberior, illuc omni studio ac desiderio contenditur: sin minor ægre disceditur. Sed hic quoque latet interdum fraus, et quidem cœnodoxiæ atque superbiæ, seu quod hic, ubi nostram navamus operam animis, in pretio habemur, et in oculis omnium sumus; veremurque ne, si alio migrare contingat, non æque accepti gratique hominibus futuri simus; seu quod alibi plus nobis gloriæ existimationisque pollicemur, quam hic, ubi pro animis desudamus. Sed tam speciosæ causæ facile occurremus, si hujus rei judicium nostris moderatoribus relinquamus, qui quidem multo melius, quam nos, intelligunt ubi nostra opera collocetur utilius, tum quia illi perturbatione animi, qua impedimur ipsi, de quibus agitur, liberi sunt, omnia enim divini obsequii regula et animarum bono metiuntur; tum quia nos jam optime perspexerunt, totosque tentarunt, et quanti sit unusquisque nostrum non ambigunt; tum denique quia Deus prælatis adest, ut ait S. Marcus Anachoreta, et per eos potissimum suam nobis mentem voluntatemque declarat, tanquam per interpretes atque internuncios, pro certo habendo, ut Constitutiones loquuntur, quod ea ratione potius, quam re alia quavis quam præstare quis possit propriam voluntatem ac judicium diversum sectando, divinæ voluntati respondebit P. 6, c. 1, § 1, in fine. Permittenda igitur eorum judicio tota res est, ut cum nuntiatum fuerit alio migrandum, omni eis animi propensione parendum, eademque æquitate animi insistendum, ubi jam sumus, quamdiu nihil nuntiatur novi.

His rationibus atque præsidiis nos muniamus oportet, si forte loci, in quo degimus, tædere nos cœperit; aut ab eo ægre divellimur. Summa est enim hæc, studendum esse primum veræ cordis humilitati, frangendisque volun-

tatibus suis. Deinde mortificanda membra sua, quæ sunt super terram, si quis in quavis mundi plaga, quod Societatis est proprium, æqua animi propensione versari velit. Omnis quippe migrationis mansionisve molestia hinc fere oritur, ut hactenus demonstratum est, vel quia elato animo sumus, vel quia ab obsequio nostrorum corporum indulgentiaque non discessimus. Omnium autem optimum, quodque extrema Constitutio significat, præsidium est, ut divinum obsequium, et salus animarum perpetuo nobis ante oculos statuatur, et hac demum regula locorum studia metiamur. Nam si Dei obsequium mihi semper ita propositum sit, nihil mea interest, utrum hic potius, quam illic degam, utrum nativa sit regio vel peregrina, utrum civitas sit obscura, utrum pingue tenueve Collegium, utrum blandus durusve Præpositus, utrum speciosa aut humilia sint munera quæ mandantur; modo enim studeam me probare Deo, et ad eum vocare quamplurimos, ubicumque id gentium consequar, non magnopere laboro. Sed quoniam in rebus nostris, ut diximus, cæci sumus, neque nos ipsi satis dijudicare possumus hoc Dei obsequium, relinquitur ut ejus judicium, locorumque delectus ad eos dumtaxat spectet, qui nobis sunt loco Dei, et quibus nos moderandi regendique nostri potestatem tanquam habenas dedimus ac permisimus.

Atque haec de vita agenda in quavis mundi plaga juxta Constitutionem tertiam; ac de toto hoc Opusculo Tertio.

OPUSCULUM QUARTUM.

DE RATIONE VIVENDI SOCIETATIS NOSTRÆ JUXTA CONSTITUTIONEM QUARTAM SUMM. EX CAP. I EXAM., § 6.

TRIA continet hæc Constitutio: 1um, rationem vivendi Societatis in exterioribus communem esse, nec ullas ordinarias habere pœnitentias a lege præscriptas; 2um, posse quempiam approbante Superiore pœnitentias sua voluntate suscipere ad progressionem spiritus ac virtutis; 3um, posse et a Præpositis eundem ob finem eas cuilibet irrogari. De quibus singulis quam planissime disseremus.

DE VITA COMMUNI.

Cur Societatis vivendi ratio in exterioribus sit communis multæ possunt afferri causæ, sed præcipue sex; quæ quidem fere omnes ex Societatis fine petuntur, qui est suæ, tum alienæ saluti servire. Prima est, ut vitæ similitudine quoad exteriora tanquam omnibus omnia facti, facilius nobis homines, quibus prodesse volumus, adjungamus. Hac enim de causa negant Theologi oportuisse Christum aut solitariam, aut asperam in hoc mundo vitam agere, quod Incarnationis fini contrarium esset, si cum ad homines hominum causa descendisset, non cum hominibus una viveret; nec cæterorum more vitam ageret; et id ipse significavit apud Matthæum,[1] cum dixit: "Venit Filius hominis manducans et bibens," ut communi victu se uti significaret; sicut contra, Joannes Baptista dictus ab eo est "neque manducans, neque bibens," quia, ut ait Augustinus

[1] Matth. 11.

contra Faustum,[1] eo victu quo Judæi utebantur, non utebatur. Experimento autem usuque planissimum fit, quam haec vivendi communis ratio apposita sit ad id quod Societas spectat, quod animarum est lucrum. Quia homines sæpe refugiunt ab iis qui asperiore vitæ genere uti volunt, et plerique hominum cultus insolentia deterrentur, ac monachorum præsertim vestitus horrent. Quoniam vero Lutheri sub initia Societas orta est, cum passim monachi, qui cæteris prodesse poterant, contemnebantur, nulloque in pretio erant præsertim apud Germanos, et ultra Alpes, recte noster excogitavit Ignatius, ut communem vitæ rationem tam in victu, quam in cultu corporis, ab omni tamen luxu remotam secuta Societas, sine ullo horrore hominum, inter homines versaretur magno illorum bono atque commodo. Sed dicet aliquis: victus aridus, asperumque vitæ genus adjumento potius est ad animarum lucrum atque salutem. Plerique enim magis permoventur exemplo quam verbis, exemplum autem summæ frugalitatis, et abstinentiæ, pœnitentiæque, magnam habet ad persuadendum vim: cerni licet id in Antonio, Hilarione et similibus, quorum exempla multa monachorum millia ad eandem vitæ rationem traduxerunt. Ergo, si asperam quandam durioremque vivendi rationem teneremus, tutiorem facilioremque nobis viam ad servandas tuendasque animas muniremus. Respondeo: non omnes permoveri vitæ austerioris exemplo, licet eam suspiciant et admirentur omnes, imo multos, præsertim ex hæreticis et facinorosis hominibus, qui vitam illam irrident atque exsibilant, magis capi liberali convictu vitaque communi. Satis liquet in Joanne Baptista qui cum nec manducaret, nec biberet, ut Christus loquitur,[2] dicebant tamen Judæi, quia dæmonium habet; legimusque in vitis Patrum, viros sanctos de severitate jejunii remisisse nonnunquam, ut facinorosos ad pœnitentiam allicerent; et Abbatem Paphnutium, qui cum latronibus vinum bibens unum ex eis

[1] L. 16. [2] Matth. 11.

reduxit ad frugem; et Patrem nostrum Xaverium accepimus consuevisse interdum ultro se offerre conviviis, ut animis periclitantibus opem ferret. Imo tota Societas hoc experitur, quæ hac vitæ communitate, conjuncta tamen cum veris solidisque virtutibus, incredibile est quam prosit universis. Totum quippe mundum in manu habet.

Porro Antonii, aut Hilarionis exempla non satis ad rem faciunt. Nos enim de ordinario et usitato hominum genere loquimur, non de iis, quos interdum adhibet Deus ad salutem multorum per exempla durioris vitæ, et miraculorum ostenta, quem enim non moveant divina prodigia, præsertim cum pœnitentiæ rigore conjuncta! Respondeo deinde: integrum semper esse Societatis hominibus vitæ asperitate proximorum saluti consulere, quoties ita senserit expedire. Et idcirco licet non habeat illa quidem pœnitentias aliquas a lege præscriptas, sit tamen eas adhibendi cuique potestas, quoties charitas et necessitas admonuerit. Imperare autem pœnitentias et certa lege præscribere non oportuit, ne, dum metuimus leges infringere ac violare, hac quasi libertate privemur adducendi homines ad salutem.

Secunda ratio est, quia vita communis aptior est tuendæ valetudini, quam dura et aspera, præcipua autem cura debet esse nostris hominibus valetudinis, cum se toti porrigant atque explicent utilitati proximorum; relinquitur igitur, ut eam sequi vitam potissimum debeant, quæ ad id maxime accommodata est. Quod autem talis sit vita communis, planum est ex universorum approbatione atque consensu qui eam vulgo amplectuntur, et quia subministrat vires idoneas quotidianis laboribus pro animarum salute ferendis. Et quia vita communis certo quodam ordine constat, ordo autem valetudini valde prodest, corpus nam assuescit ordini, idemque perturbatione ordinis violatur: vita autem aspera modo inediam suscipit, modo respuit, crebrisque est interrupta jejuniis. Multo autem melius est, ut ait Hieronymus,[1] "quotidie

[1] In reg. mon. t. 9.

parum, quam raro satis sumere: pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram, subitus et nimius imber in præceps arva subvertit."

Denique, quia vita communis moderata est, loquor autem de civili, et bene morata, vitat enim extrema, quæ noxia sunt, nam ut ait Basilius: "In victus genere optimus canon mediocritas est." Satanas autem studet semper nos ad extrema vocare, ut vel excedamus in capiendo cibo temperantiæ limites, vel ab eis nimium recedamus; utrumque autem bellum, Cassiano teste, adversarii factione consurgit. Itaque legitur in vita B. Dominici,[1] cum sese ei dæmon per visum obtulisset, ab eoque per totum esset deductus cœnobium, ubi ad cœnaculum ventum est, cœpisse dæmonem gaudio efferri, quod eo quoque loci partem suam agnosceret, quum fratres illi alii aliis plus minusve de cibo caperent, quam necesse est. Solet tamen astutus hostis famulos Dei magis ad inediam et nimiam cibi abstinentiam, quam ad voracitatem trahere; tribus de causis. 1°. Quia eos specie recti facilius decipit, ut decepit Jordanum discipulum S. Dominici cum magister esset ordinis, persuaserat enim illi ut, ad aliorum exemplum quibus præerat, sine stragulo nocte cubaret, et carnibus abstineret, cum esset æger; qua vitæ asperitate brevi fractus ac debilitatus adeo est, ut non longe a mortis abesse periculo putaretur. 2°. Quia perdendis religiosorum hominum viribus majora tentat impedire bona, propterea Augustinus libro de moribus Ecclesiæ, cum de quibusdam cœnobitis, quorum moderata vita erat, mentionem facit, "Nonnullos," inquit, "recusantes vinum fraterne admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Et B. Vincentius[2] docet diabolum, cum quempiam spiritu ferventem animadvertit, suadere illi immoderatam inediam atque vigilias, ut tandem fractus debilitatusque reddatur inutilis. 3°. Quia nimia in victu parcitas plus habet periculi quam edacitas, teste Moyse apud Cas-

[1] Coll. 2, c. 17. [2] Tr. vit. sp.

sianum, ubi sic ait: "Perniciosius continentia immoderata, quam saturitas remissa supplantat."[1] Et Gerson Parisiensis idem affirmat, "Scio," inquit "et Patres sic determinant, quod ad deteriorem exitum, et cui minus est remedii, trahit abstinentia indiscreta quam edacitas immoderata."[2] Et recte, quia huic medicina præsto esse potest, detrahendis quæ plus æquo ingesta sunt ventri; at abstinentiæ inediæque damno quæ medicina præsto esse potest, aut id, quod de viribus humidoque vitali consumptum est, reparare? Sæpe etiam imbecillitas læsioque cerebri, et perturbatio rationis quæ curari vix pharmacis potest, ex nimia oriente inedia, ut et idem Gerson observat, et testatur verbis hisce Hieronymus: "Novi ego in utroque sexu propter nimiam abstinentiam cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam."[3] Narrat et Joardanus Saxon[4] de sorore cujusdam Archiepiscopi, quæ se fratrem in mediis inferorum flammis vidisse dicebat, quam, cum Archiepiscopus ex inanitate cerebri visa illa ei suspicaretur accidere, curandam multorum dierum pleniore cibo mandavit, et visa illa inania conquieverunt.

Quare, ne ad hos scopulos offendamus, et in curando corpore extrema vitemus, sapienter institutum est ut communem hominum vitam in exterioribus consectemur. Quod autem præcipua cura debeat esse valetudinis iis qui Ecclesiæ et animarum saluti deserviunt, ac propterea communis eis vita maxime congruat, planissimum est; nam et Apostoli, quorum toti orbi terrarum utilis vita futura erat, quamdiu cum Christo fuerunt, communem vitæ rationem secuti sunt, nullis adstrictam jejuniis, nullis studiis asperioribus deditam, de his nam ita Christus apud Matthæum. "Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt."[5] Ita et in Societate professis veteranisque plus datur in jejuniis et cæteris

[1] Coll. 2, c. 17. [2] L. de Abst. [3] Reg. mon. c. de temp. jejun.
[4] L. de co. spir. [5] Matth. 9.

asperitatibus veniæ, quam novis ac tironibus dum se parant ad bella. Propterea et Bernardus, cujus sunt duriora instituta vitæ, fatetur, si alterum Timotheum tam Ecclesiæ necessarium nactus sit, velle eum et auro, si opus sit, cibare, et potare balsamo. Nam cum frustra sibi ejus monachi blandirentur de Pauli auctoritate, discipulum cohortantis ne frigidam biberet, sed modico vino uti vellet propter stomachum, "Isti," inquit, "attendere debent non monacho hoc intimari, sed episcopo, cujus vita teneræ adhuc et nascenti Ecclesiæ per necessaria esset;" quæ ratio in nostris item valere hominibus debet, qui se ad animarum lucra totos tradiderunt, ac propterea sapienter, ut dixi, a Patre nostro communis vita cæteris anteponitur.

Tertia ratio est quia e divina re, et Christianæ reipublicæ est, ut in ea Religio sit quædam, quæ, cum in interioribus sit usquequaque perfecta propter voluntatis abnegationem ac singularem obedientiam, in exterioribus etiam omnium hominum generi consulat, nec quisquam a religiosa vita deterreatur sive tenuitate victus, sive horrore vestitus, sed specie quadam vitæ communis allectus, ad omnem sanctitatem traducatur. Societas quippe consulit summis, infimis, mediis, et sic instituit suæ vitæ rationes, ut eas inire et sequi vel regius filius non gravate possit: argumento est, quod multi, qui se ad Societatis disciplinam appellunt, nunquam se forsitan ad illam appulissent, nisi has vitæ rationes adeo moderatos, congruentesque cum suis naturis ac moribus invenissent. Ardua namque compluribus solitudo et cellæ videtur assiduitas; aliis nocturna psalmodia, et interpellantis necessarie quietis; aliis asperitas cultus, et insolentia vestitus; multis etiam est horrori cucullus, et monachorum amictus; plurimisque frequens inedia, et prolixa jejunia: quæ omnia cum ex lege institutoque non habeat nostra vivendi ratio, nemo est, quin, si religiosam vitam sequi deliberatum est, hanc inire, et ad extremum usque tenere facile et sine metu possit.

Hæ rationes proximorum ferme salutem, et bonum spectant alienum; reliquæ nostrum ac proprium.

Quarta igitur ratio est propter concordiam mutuam religiosamque disciplinam, quæ in his vitæ rationibus, quas suscepit Societas, magis conservantur, quam si durum aliquod vitæ genus atque insolens sequi mallet. Cum enim multa complectatur hominum genera, qui non omnes easdem vires habent easdemque naturas, profecto necesse sit, si non omnes hac comitate vitæ quasi quadam æquabilitate contineat, quotidie plurimos a communibus legibus excipere, ut in quibusdam aliis familiis usu venit. Laudat Climacus[1] Abbatem quemdam cujusdam arctioris cœnobii, quod non omnibus eadem dispensari juberet, sed aliis alia pro cujusque necessitate ac natura. Et B. Benedictus non omnes etiam in sua familia æquabiliter tractandos præcipit, sed tum puerorum, tum senum in dispensandis iis, quæ ad corpus pertinent, propriam jubet haberi rationem. In Societate vero multo major varietas est quam in ulla alia familia, non ætatum modo ac naturarum, verum etiam nationum ac munerum; quibus singulis, non sine domesticæ disciplinæ perturbatione, certa sit quoad victum habenda ratio, nisi ipsa vitæ communitate, ut diximus, æque omnibus consulatur; haberi enim talis ratio sine magna legum relaxatione atque exceptione non potest, in illa aspera duraque vita. Quod si nulla hujusmodi relaxatio, occasio datur infirmis aut rapiendi aut obtrectandi. Ita obedientiæ aut paupertatis disciplina periclitatur, ut in multis ordinibus usuvenit, in quibus sibi quisque privatim aliquid seponit, unde suæ vel necessitati, vel voluptati prospiciat. Necessaria est igitur immunitas, legumque solutio, jam perfecta illa disciplinæ ratio constare non potest. Imo sensim labitur et laxatur in dies, cum quotidie alii aliis excitentur exemplis, qui lege item excipi volunt. Hinc porro animorum dissociatio atque dissidium, dum alii aliis videntur in dispensatione præferri.

[1] Epist. ad Pastorem, c. 15.

Quisquis enim nondum satis in spiritu ac virtute processit, offendi facile solet, si non eadem æquitate contineri se cernat. Sibi nam quisque videtur egens, cui danda immunitas sit, sibi dignus æque atque alius. Quod quidem B. Benedictum impulit,[1] ut in conscribendis regulis suos monachos præmoneret, ne quis obmurmuret, si pro necessitate cuique succurritur. Ex altera parte, quibus plus aliquid meliusque fuerit dispensatum, iis etiam sese efferendi præbetur occasio, quod item discordiæ seges est atque disidii. Quo circa præmonet idem Abbas ut qui plus indiget humilietur pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia, et ita, inquit, omnia membra erunt in pace. Hujus concordiæ causa scimus B. Bernardum de pristina sua severitate, qua fratres senserat vehementer offendi, remisisse non parum, et communem cum cæteris instituisse vitam ; et noster Pater non modo victum, verum etiam cultum corporis, ad animorum conjunctionem atque uniformitatem, unius modi, uniusque formæ omnibus in Societate esse voluit, ut in octava Constitutionum parte monet. Ergo ut geminum hunc scopulum Societas effugeret et disciplinæ laxandæ, et concordiæ minuendæ, satius duxit Beatus Pater medium quoddam genus inire vitæ, sine disciplinæ interioris incommodo, salvisque legibus, quam, crebra legum exceptione si durius illud arripuisset, ad dissolutos sensim mores licentiamque defluere.

Quinta ratio est humilitatis tuendæ causa, solidæque adipiscendæ virtutis, in quo summam religiosæ vitæ positam Beatus Pater existimavit. Vita quippe aspera atque dura superbiæ ac cœnodoxiæ patet insidiis, cum in admiratione sit vulgi. Imo universum genus hominum, ut Cyrillus ait, jejunium et duram vitam admiratur : eaque de causa Judæi tantum Joanni Baptistæ tribuebant, ut quanquam nullis fulgeret miraculis, eum tamen propter asperitatem vitæ Christum suspicarentur; Christum autem

[1] C. 34.

ipsum tot prodigia quotidie patrantem, quoniam vita communi utebatur, pro Christo agnoscere atque habere noluerint. Eadem asperitate vitæ sanctitatis nomen aucupabantur apud homines Pharisæi, crebro enim jejunabant ut apud Matthæum discipuli Joannis dicunt,[1] fimbrias vestimentorum protrahebant, tibias pedesque nectebant, ut inanissima hac ostentatione pœnitentiæ singularis sanctimoniæ famam sibi colligerent, ut scribit Hieronymus in Matthæum.[2] Ideo igitur inflati, ideo tumidi superbique erant, meritoque a Christo "sepulchra dealbata," et "hypocritæ," ut qui solidis atque interioribus carerent virtutibus, appellantur. Talis quippe vitæ ratio tam speciosa magni est tumoris occasio. Quanto enim apud Lucam Pharisæus ille tumore se jactat, cum et Publicano præsenti et cæteris hominibus sese præfert, cum crebra eructat jejunia, cum justitiam suam tam injuste commendat? Qui quidem sua fretus justitia atque jejunio, et male sibi placuit, ut ait Augustinus, et alios præ se superbe contempsit.[3] Gregorius etiam docet in Pastorali abstinentium cogitationes non numquam superbiæ culpa transfigi.[4] Et S. Marcus Anachoreta idem in inedia periculum objicit, "Quia incipimus," inquit, "tanquam aliis in exercenda pietate præstantiores nobis ipsi placere, et cæteros despicere, atque aspernari."[5] Qua propter memoriæ prodidit Cassianus, in Collatione Abbatis Sereni, consuevisse monachos illos veteres in muria, quæ quotidianæ refectioni solebat apponi, olei guttam instillare, "Non ut ejus ex ea re guttur suavitatem quandam perciperet, quippe quæ vix faucibus pertransibat; sed ut hoc usu jactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blande solet et latenter obrepere, et stimulos elationis obtunderent."[6] Ideo in Societate, quibus a moderatoribus est facta potestas crebro jejunandi et abstinendi, ii caveant etiam atque etiam fraudem hanc, quæ tanto est perniciosior, quanto occultior. Sapi-

[1] Matth. 9. [2] Hier. in Matth. 23. [3] Luc. 18.
[4] P. 3, c. 19. [5] Orat. de Jejun. [6] Coll. 2, c. 1.

enter igitur mihi videri solet beatus noster Pater, et divino prope fecisse consilio, ut communi vitæ genere deligendo, superbiæ occasiones amputaret; præcipit namque Cassianus,[1] "Ut ea, quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus." Et quidem nos ipsi valde demittimus cum intelligimus non haberi nos homines abstinentes, aut in nos ipsos severos, sed indulgentes potius, et nostris commodis obsequentes, vinum et carnes ad satietatem gustantes, linteo laneoque utentes amictu, mollique in strato ad necessitatem cubantes, nulla interpellatione vigiliæ precisque nocturnæ. Hæc, inquam, nos valde demittunt, premuntque spiritus coram hominibus, a quibus nihil nos differre conspicimus. Cumque rebus non differamus externis, damus operam, ut re saltem aliqua interiore, solidisque virtutibus distinguamur: et externa hac communis vitæ specie propriam atque interiorem religiosi hominis probitatem laudemque tueamur. Quemadmodum enim voluit Deus, ut Sancta Sanctorum bysso, cocco, ac hyacintho tegerentur, ad protegendum autem tabernaculum pelles animalium et vela cilicina extenderentur, quæ pluvias, ventos, ac pulverem arcerent: sic Societatem nostram ita instituit, ut extrinsecus quidem pellibus animalium protegeretur, dum cæterorum hominum more quasi vitam agit animalis; intus autem bysso, cocco, ac hyacintho fulgeret, quæ sunt ornamenta virtutum, quæ haud ita forsitan coruscarent, nisi communi hac tanquam animalis vita protegerentur extrinsecus.

Postrema ratio est, quia hæc ipsa externa communitas de religionis perfectione nihil omnino detrahit. Non solum quia studio perfectæ virtutis, et tribus votis substantialibus continetur, verum etiam quia religiosæ disciplinæ ratione ita temperatur, ut longe differat a vita communi cæterorum hominum. Percurramus, si placet, id breviter. Externa omnis vivendi ratio tribus rebus potissimum constat:

[1] De cœnob. Instit. lib. II. c. 18.

necessaria quiete corporis, cultu, atque victu. Quæ tria, quamvis nobis cum cæteris hominibus et secularibus sint communia, tamen, quia disciplina quadam reguntur externa et quasi temperantur, magnopere differunt. Nam quod attinet ad somni quietem, secularis homo nullos habet in capienda quiete cancellos, arbitratu suo cubitu surgit, arbitratu discedit: apud nos autem statutum a Constitutionibus est certum cubandi tempus; nec, quia fesso laboribus somnus obrepit, cubandi tempus anticipatur; nec, quia mane expletus usquequaque somnus non est, continuari pro voluntate potest. "Lassus ad stratum venias, ambulansque dormites," Rustico monacho Hieronymus ait, "et necdum expleto somno surge compellaris."[1]

Ipsa vero lecti ratio quantam continet disciplinam, quæ culcitra constat non amplius una, eaque perangusta minimeque molli; nam culcitrarum multitudinem ac mollitudinem, qualem secularis habet, Societas semovet, et vix geminam concedit ægrotis.

Quanquam autem de nocte non surgimus, nec instar aliorum ordinum licet illud usurpare de nobis:—"Media nocte surgebam ad confitendum tibi;" illud tamen aliud usurpare certe possumus:—"Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua,"[2] quia diluculo, et micantibus adhuc astris, ad orationem et cœlestia meditanda consurgimus. In cultu vero corporis quam a seculari differimus! non modo quod spectat ad formam, quæ quadam nos necessitate secernit; verum etiam quod ad materiam attinet et elegantiam, quia seculares, nisi premantur inopia, et nitido et eleganti utuntur amictu. Nos autem ex Constitutionibus decenti quidem certe, minime tamen pretioso utimur, nec vanitati ut plerique hominum in vestiendo corpore, sed necessitati servimus. Itaque quod præcipit Cassianus, id arcte tenemus ut "ea sit nostra vestis, quæ verecundiam nuditatis repellat, et frigoris retundat injuriam; non quæ seminaria vanitatis

[1] Epist. 125. [2] Ps. 118.

aut elationis enutriat."[1] Nec loci aliquid in nobis habet reprehensio illa Bernardi, qua quosdam perstringit monachos. "Jam quæritur," inquit, "ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inveniatur; non quod frigus repellat, sed quod superbire compellat."[2]

Deinde secularis vestitur ad arbitrium suum, et quo cultus genere delectatur, eum adhibet. Nos autem illud Hieronymi ad Rusticum audimus: "Vestiare quod acceperis." Illas enim vestes induimus, quas accipimus, non quas volumus. Præterea secularis, qui modo extrema non urgeatur inopia, habet fere multitudinem vestium quas commutare pro voluntate potest. Nos vestium plura genera non habemus, nec nos cædit vox illa Bernardi.[3] Quorsum tot mutatoria, vel extensa in porticis, vel plicata in manticis?

Victus quoque etsi cum seculari videtur nobis esse communis, efficitur tamen disciplinæ temperationi proprius; seu materiam spectes, seu formam, seu denique finem. Nam quoad materiam, non ciborum nobilitas apud nos appetitum movet, non exquisitæ dapes, sed iis escis utimur quas ad monachorum victum postulat Cassianus: "Nempe ut ad parandum sint faciles, quæque ad comedendum vilioris pretii compendium præstent."[4] Secularis autem, si et ipse interdum id ciborum genus adhibeat, non disciplina aliqua spiritus ac virtute, sed necessitate fere ac voluntate ducitur; et quod ad stomachi facit jucunditatemque palati, id sibi secularis ad cibum parat. Nos autem quod jubemur, id edimus; quod faciendum monacho Hieronymus ad Rusticum scribit: "Comedas quod juberis," nunquam enim explere cupiditatem ullam cuique licet. Semper autem id esse convenit, quod apponitur, etiamsi stomachus sensusque reclamet.

Quoad formam, ubi maxime cernitur ordo, ea ab seculari homine valde differt. Nam in victu ordo

[1] De cœnob. Instit. lib. 1 c. 3. [2] Apol. ad Guliel. Abb. c. 10.
[3] Ibidem. [4] De Cœnob. Instit. lib. 5 c. 23.

primum temporis, deinde quantitatis, tum apparatus habetur; postea temperantiæ, denique decentiæ, cum interioris, tum etiam externæ, quarum rerum nullam secularis habet. Ac temporis quidem minimam in capiendo cibo rationem habet, cum modo citius, modo serius accumbat; tempus ei aut fames, aut negotia præscribunt. Apud nos autem certum definitur escæ tempus, verbi gratia, sex horas ex quo surrexerimus. Scripturæ autem edendi horam valde commendant, et beatam terram illam appellant, "cujus principes vescuntur in tempore suo:"[1] contra vero minitantur ei "cujus principes mane comedunt," inordinate ut Glossa dicit, et ante tempus. Nec quantitatis, aut mensuræ secularis rationem habet, sive ea sit discreta, sive continua: non discreta, quia modo pluribus, modo paucioribus epulis mensas instruit. Apud nos autem fere tribus ferculis mensa struitur, quemadmodum et B. Benedictus in suis regulis jubet, ut duo sint cocta fercula, tertium ex pomis caseove, pro anni tempore; Festis autem diebus unum additur. Neque continuæ rationem habet, quia non singulis ferculis modum ponit, ut nos. Apud nos enim certa carnium pisciumque mensura præscribitur, et omnia præbentur ad pondus: Carnes, pisces, caseus, et id genus alia; mensuram vero secularibus cujusque dapis aut præscribit cupiditas, aut facultas.

In apparatu vero ciborum seculares saepe "infinita decoctionum, et frixurarum, et condimentorum genera excogitant," ut Hugo loquitur;[2] in eaque regulæ magis quam necessitati serviunt: merito ut "terræ filios," qui varietates tam multiplices consectantur, Clemens Alexandrinus appellet. Ac in nostris mensis non cocorum refulget industria, non apponuntur incentiva libidinum, ut Hieronymus loquitur.[3] Et tamen legimus in monachos quosdam hac de causa Bernardum acriter invehi.[4] "Tanta,"

[1] Eccl. 10. [2] Instit. nov. c. 19. [3] Hom. ad Monach.
[4] Apol. ad Guliel. Abb. c. 9.

enim inquit, "accuratione, et arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediunt novissima, nec satietas minuat appetitum." Et ibidem, "Quis dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola ova versantur ac vexantur, quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur?"

Jam temperantiæ quam rationem habere secularis potest, ubi nec ferculorum modus est, nec condimentorum varietas deest, nec oblectamenta sermonis? Apud nos nihil tale est quod ultra temperantiæ limites prodire compellat, quia ad disciplinam externam spiritus etiam mortificationis accedit, dum domandæ gulæ studio aliquid etiam de necessitate subtrahitur, et parata cibi dulcedine fraudatur genium atque venter. Quod viris sanctis familiare fuit, ut et de S. David Scripturæ commemorant, qui siti æstuans repertam non gustavit aquam, sed Domino obtulit. Et is qui pomorum omnium primitias Deo libabat, et qui optatas cum invenisset halicas recusavit ægrotus. Qua de re Vincentius Ferrerius, Tract. de vit. spir. Illustris igitur est temperantia nostrorum quam studium adjuvat imperandi gulæ, et repugnandi cupiditati, quæ virtus in communi mensa atque in escarum indulgentia multo clarior ac difficilior est, quam in carentia atque penuria. "Facilius enim," Cassianus ait, "vidimus victos, qui ab escis corpulentioribus omnimodis temperarent, quas moderate usus pro necessitate concedit; quam qui, eas sub infirmitatis occasione sumentes, mensuram sufficientiæ custodirent."[1] Et Gerson Parisiensis. "Quis nesciat in multis, et de multis desiderabilibus facilius esse totaliter abstinere, quam usu moderari."

Decentiæ vero, ne ea quidem ratio a secularibus haberi solet, atqui habetur a nobis. Nam si quam illi habent, eam fere petunt ex Galathæi præceptis, aut ex aula, non ex disciplina Spiritus ac virtute. Hæc decentia a Constitutio-

[1] Instit. lib. 5. c. 7.

nibus exterior, interiorque requiritur. Interior requiritur, cum sine ullo vitio cupidinis vel voracitatis appositas epulas degustamus, quod Scripturæ monent: "Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam."[1] Contra quod faciunt plerique hominum secularium, cum bene paratis dapibus irritati prosiliunt ad escam, et toto pectore iis incubant. Tanti autem faciendum est hoc decorum, ut qui aviditatem in mensa continent ac dissimulant, quamvis non modo communibus, verum etiam preciosis utantur escis, eis longe præstent, qui cum asperam vitam agant, voracitatem suam et cupidinem produnt. Testis est Augustinus. "Fieri potest ut, sine aliquo vitio cupediæ vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissima gulae flamma in vilissimum ardescat. Et sanus quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus utuntur escis: nam in omnibus hujusmodi rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi et modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum quod facimus."[2]

Cum igitur in Societate, et causa communis vitæ, et appetendi modus virtute nitatur, non est, quod hæc vita invideat vel austeræ in materia et facultate virtutis: maxime vero ejus, quod tractamus, decori. Affer exemplum Ægyptiorum Scytharumque monachorum, qui cum ferre diutius non possint inediam, cum ad cibum accederent, prodebant esuriem.[3]

In externa vero decori ratione planissimum discrimen est; ea enim tribus in rebus posita cum sit, silentio, lectione, gratiarum actione, nemo non videt ea propria esse religiosæ vitæ. Seculares quippe et cibum una terunt, et inania verba simul eructant; iidem lectionis bono carent, et gratiarum obliti persæpe, tanquam porci, ut Chrysostomus loquitur, de mensa consurgunt.

[1] Eccl. 37. [2] L. 3. de doct. Christ. c. 12. [3] Ex lib. 3. Vit. S. P. c. 61.

Denique fine quoque, ut verbo dicam, communis hæc vita a vulgari et seculari secernitur, quia plerumque secularis, naturæ impetu aut etiam famis, cibum sumit, tanquam cæteræ animantes, quæ cum homini deserviant, ad hominem tamen curam suam pastumque non referunt, sic ne ille quidem ad Deum. At nos in capiendo cibo Deum præ oculis audemus habere, ad Eumque cibum nostrum pastumque referre, ut, ex Apostoli præcepto, sive manducamus, sive bibimus, omnia in gloriam Dei faciamus.

Potuit igitur hæc externa vivendi ratio, quam Societas sequitur, ab vulgari hominum vita sejungi, longeque distare, si disciplinæ accederet temperatio. Ideo sapienter beatus noster Pater eam quam asperam sequi maluit, quando quidem tanta esse religiosæ disciplinæ vis poterat, ut hæc ipsa communis vita, et ab seculari longe multumque, et ab austera cæterorumque ordinum vita non ita multum, differret.

Hæc sunt justæ causæ, aut esse possunt, cur Societatis vivendi ratio in exterioribus sit communis. Atqui hoc erat primum de tribus, quæ hac Quarta Constitutione contineri dicebamus. Sequuntur alia duo: nempe de Pœnitentiis sua voluntate susceptis, et de impositis ab iis qui præsunt; de quibus nunc singillatim agendum, et explicanda Constitutionis sunt verba.

OPUSCULUM QUINTUM.

DE PŒNITENTIIS.

§ I.—QUOAD ULTRO SUSCIPIENDAS.

"SED illas assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur, cum approbatione Superioris, ad majorem sui spiritus profectum convenire."

Quoniam pluribus jam ostendimus ex Constitutionibus "rationem vivendi in exterioribus justas ob causas esse communem ; nec ullas ordinarias habere pœnitentias," etc., quod primum propositum erat: reliquum est, ut quas habet extraordinarias, explicandis reliquis duabus Constitutionis partibus, ostendamus. Extraordinariæ autem, ut Constitutio ipsa significat, geminæ sunt: quædam, quas sibi a Superiore deposcit; quædam vero, quas ipsemet Superior imponit. Prius igitur de pœnitentiis ultro susceptis, ut secundo loco disputationis propositum erat; posterius autem de impositis est dicendum, quod erat extremum. Priores quidem his verbis continentur, "Sed illas assumere quivis poterit," etc.

Quibus verbis tres excluduntur errores. Primus est eorum qui pœnitentias libenter illi quidem atque alacriter subeunt, sed tamen, dum eæ sibi a Superiore imponantur, expectant, et accipere, quam postulare malunt. Et hic error iis verbis tollitur, "illas assumere quivis poterit:" facit enim hanc omnibus potestatem Constitutio, ut quivis pœnitentias ultro suscipiat.

Alter error est eorum qui pœnitentias illi quidem ultro suscipiunt, sed Superiorem suum ea de re non consulunt, aut confessarium cui Superior super id muneris delegarit, quemadmodum suo loco dicemus, nec eorum

approbationem expectant; atque hunc removent illa verba: "quæ sibi videbunter cum approbatione Superioris."

Tertius est eorum qui aut pravo, aut certe non optimo fine, in deligenda, et assumenda, et sibi deposcenda pœnitentia ducuntur. Et huic errori, ea quæ sequuntur occurrunt "ad majorem sui spiritus profectum." Quibus verbis pro fine præscribitur, ut eæ deligendæ pœnæ monentur in primis, quæ huc pertinent. Dicamus igitur de singulis, et singulos eripiamus errores.

DE PRIMO ERRORE.

Qui pœnitentias sibi non deposcunt, sed eæ sibi dum imponantur expectant, tribus videntur impelli causis. 1°. Quia melius consuli humilitati putant, et minus inesse periculi cœnodoxiæ, dum se non venditant et ostentant. Dicit enim Gregorius in Commentario suo: "Tales jam facti per corruptionem sumus, ut boni videri etiam ab iis, qui nobis præsunt, sine elatione nunquam valeamus."[1] Sed huic Constitutio occurrit errori dum dicit: sed illas assumere quivis poterit etc. Neque enim metuit in humilitate periculum, dum facit assumendi potestatem, et Superioris approbationem exigit. Et quidem si ab exercitatione virtutis ob cœnodoxiæ periculum cessandum sit, nunquam isto pacto exercenda sit virtus ipsa; imo ab omnibus abstinendum sit benefactis, quia in omnibus se fere ingerit cœnodoxia. Verum quemadmodum in cæteris benefactis, cum ea furtim et latenter irrepit, exploditur et arcetur ingressu, quod faciendum Bonaventura monet, sic in deposcenda et suscipienda ultro pœna, confestim ejicienda est. Velle autem hoc excusationis prætextu dissimulare sanctitatem, non est hominis qui servire debeat ædificationi multorum, quasi vero aliæ desint ad comparandam humilitatem viæ.

2°. Quia meriti possunt esse majoris irrogatas pœni-

[1] Comment. 1. in Reg. lib. 5.

tentias accipere quam postulare. Nam, ut infra dicemus cum de pœnitentiis loquemur impositis, plus hæ difficultatis habent, quam sponte susceptæ ; plus etiam utilitatis et commodi. Verum, si ita sit, non idcirco ab iis deposcendis assumendisque desistendum est, alioquin per raro subeantur, cum eas non semper Superior injungat, interdumque labatur annus, et anni, cum eas ille non irrogat, ut infra dicemus. Neque hæc bona ratiocinatio est : illæ plus habent utilitatis et meriti, ergo illæ subeundæ dumtaxat ; non enim quia minus utilia, minorisque nonnulla sint meriti, idcirco prætermittenda ac pro nihilo habenda sunt, cum innumerabilia pæne sint quæ, quamvis ab aliis et utilitate vincantur et merito, prætermitti tamen nullo modo debeant.

Huc accedit, quod pœnæ a Superiore impositæ, nisi æquissimo et pacatissimo subeantur animo, non semper aut utilitate aut merito præstant iis, quas omni alacritate, Superiore tamen approbante, suscipimus. Quia hilarem datorem diligit Deus, et in voluntatis alacritate studioque omnis est sita meriti ratio. Tollit igitur hanc fraudem Constitutio, dum assumendæ et deposcendæ pœnitentiæ potestatem facit.

3°. Quia putat non esse rem magni momenti, neque in eo sitam esse vim spiritus solidasque virtutes, sed esse res exteriores ; Constitutiones autem solidis nos studere virtutibus, et interiora jubere magis quam externa quædam et adventitia, veramque spiritus progressionem in domandis perturbationibus animi, submittendoque suo judicio sensuque, et in interimenda funditus voluntate positam esse. Qua in fraude plerique versantur, dum sibi ipsi nimium assentantur, et mollitudini suæ nec sentientes indulgent. Sed eam facile exuent, si et ad hanc, et ad alias Constitutiones, et ad ea quæ infra dicentur, attendent. Constitutiones quippe, tametsi propriam rationem solidarum velint habere virtutum, hominisque interioris ; tamen externas etiam pœnitentias et

corporis vexationes, ut expeditissimas ad interiorem hominem vias, approbant ac suadent; ut suo loco demonstrabimus. Tollitur igitur hujus Constitutionis verbis primus error eorum qui pœnitentias malunt expectare, quam poscere. Cur autem ultro potius deposcendæ, quam expectandæ videantur, quinque possunt afferri rationes.

Prima Ratio est, ex 3. part. Const. "ut hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet;" non quod hic debeat esse suscipiendæ petendæque pœnitentiæ finis, sed ut ex ipsa susceptæ pœnæ alacritate hoc consequatur indicium. Idque adamant Superiores et optant, ut qui, quales simus, et quemadmodum in spiritu proficiamus intelligere, nisi aliqua ejusmodi demus indicia, non satis possunt. Postulatas autem et ultro susceptas pœnitentias indicium esse nostri profectus, et ejus quam in divino famulatu gerimus curæ, vel ex eo planum fieri potest, quod spiritum vigere declarant et sensui suique ipsius amori dominari, quippe his pœnitentiæ adversari maxime solent. Et quo quis magis in spiritu proficit, eo se magis pœnitentiæ studio dedit. Id quod cerni licet in sanctis hominibus, qui in suscipiendis sua voluntate pœnis nimii plerumque fuerunt. Apparet etiam in nobis ipsis, qui cum pusillum spiritus ardorisque suscepimus, ad omnem continuo pœnam laboremque corporis exardescimus. Spiritus videlicet agit nos, et qui spiritu aguntur cum sensibus bellum gerunt. Atque hac de causa Christus in baptismate,[1] postquam Spiritus Sanctus specie columbæ supra verticem ejus descendit, ductus Spiritu dicitur in desertum, ibique diebus quadraginta nihil gustasse, et, ut ait Marcus, "Spiritus statim expulit eum in desertum," quoniam proprium est Spiritus Sancti carnis facta mortificare, et hoc corpus atterere, sibique subjicere.

Secunda ratio est, quia electorum proprium est sanctorumque virorum pœnas sibi ultro deposcere, nec expectare

[1] Luc. 4; Matth. 4; Marc. 1.

dum inferantur. David quidem electus Dei, cum vidisset angelum cædentem populum, pœnam sibi ipse a Domino depoposcit ut a suis ovibus eam averteret: "Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, et contra domum patris mei."[1]

Narrat Climacus quendam ex antiquis illis monachis, qui in Alexandrino cœnobio excellenti cuidam pastori parebant, cum nescio quid deliquisset, postulasse ab Abbate, sibi ut liceret agendæ pœnitentiæ causa ad monasterium, quod Carcer Pœnitentium appellabatur, accedere: "Cumque medicum aspiceret, uti se durius dolentem, projecit se in pavimentum, apprehendit pedes, multisque illos lacrymis ubertim rigans, petiit ad eam se quam dixi custodiam carceremque damnari, egitque vi sua ut clementia medici in duritiam verteretur."[2]

Alios etiam narrat,[3] postulasse ut mortui sepultura carerent, et brutorum instar aut in profluentem abjicerentur, aut in patentes campos feris ac volatilibus laniandi; nonnullos autem rogare solitos, ut ferrum ac torques collo imponeretur, pedesque ligno constringerentur, non prius inde solvendi, quam animam exhalarent; alios item ex pœnitentibus a Domino petere consuevisse, ut morbum incurrerent, et aspectum admitterent; et alios ut aliis pœnitentiæ suppliciique generibus afficerentur. Quæ quidem exempla satis indicant, quam sit proprium sanctorum virorum non usitatis religionis oneribus ac laboribus esse contentos, sed ultro novas sibi pœnas assumere ac postulare. Verum est enim quod ait Basilius, "Qui in dilectione erga Deum sincerus est, non esse contentum iis quæ facit, sed semper additionem requirere, et plura desiderare."[4] Quod confirmat B. Gregorius: cum ait, "Electi non nunquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus jubere."[5]

[1] 2 Reg. 24. [2] Grad. 4. [3] Grad. 5. [4] In Reg. brev. reg. 121. [5] L. 15, Moral. c. 11.

Atque hunc fuisse morem antiquorum Religiosorum, ut interdum augerent aliquid ad solitum pensum mortificationis ac servitutis suæ, conjici potest ex regula B. Benedicti, qui per occasionem instantis Quadragesimæ suos monachos ad id hortatur: "His igitur diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam; et unusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat, id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno."

Tertia ratio est, quia nisi quis sibi ipse pœnitentias a Superiore deposcat, per raro eas obibit, non sine nota Religionis quæ domicilium est pœnitentiæ. Superior quippe raro eas quibusdam imponit, abeuntque persæpe anni, ut supra dicebamus, cum intacti prætereuntur aliqui, vel quia pœnarum causas nullas præbent, vel quia si leves præbent, cujusmodi sunt, ut iis videatur esse parcendum. Ergo si expectandum sit dum eas Superior imponat, plerique pœnitentia merito caveant. Religio autem cum pœnitentiæ, ut dixi, sedes sit, crebro ut in ea peragatur, efflagitat; neque enim ulla Religio est quæ in hoc studio non se vehementer exerceat. Ergo nostra una culpabitur, quæ cum ex obligatione nullas habeat pœnitentias, eas perpauci sua voluntate suscipiunt. Jure igitur ab hominibus accusabimur, vere hæc familiæ nostræ nota inuretur. At noster Pater, ut omnes intelligerent ne nostram quidem pœnitentiæ fructu carere, etsi noluit eas ex obligatione præscribere, potestatem tamen omnibus fecit sumendi eas quæ sibi cum Superioris approbatione convenire viderentur, et voluntarias exhortando admonendoque præscripsit. Nam in Constitutione cum dicit: "Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigiliis et abstinentiis, et aliis pœnitentiis," profecto supponit castigationem saltem corporis moderatam.[1] Et

[1] P. 3, c. 2, § 5.

Sexta Parte, nullam veteranis, et qui profecisse jam videntur, in iis quæ ad castigationem corporis spectant, legem præscribit aliam, nisi quam charitas discreta dictaverit."[1] Facit enim his multo quam cæteris ampliorem castigandi sui corporis potestatem. Mox tamen in universum monet, quemadmodum cavendum est cuique ne nimius harum asperitatum usus vires corporis frangat, ita ut prodesse proximis nequeat; sic etiam videndum, ne tanta in illis relaxatio sit ut, fervore spiritus refrigescente, humani atque inferiores affectus incalescant. Ergo cum prohibeat remissionem ac relaxationem asperitatum, profecto eas omnino flagitat ac præscribit. Idem sæpe monet ut in his suscipiendis, Confessarii, vel Superioris stetur arbitrio. Quod non faceret, nisi ea mente fuisset ut studium a suis in assumendis sibi ultro pœnis adhiberetur: et quidem tantum quantum et ferre corporis vires queant (quod etiam in suis Regulis admonet Augustinus: "Carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit"),[2] et proximorum utilitas patiatur; id quod in Sexta Parte præcipit. Jam si quantum duo illa ferant, subeundæ pœnitentiæ potestatem facit, amplam certe facit. Nam in multis et vires corporis, et utilitas alienæ salutis satis acrem castigationem admittit, nullo utriusque rei detrimento. Itemque, si ea mensura debet esse suscipiendæ pœnitentiæ ne fervor spiritus refrigescat, et humani incalescant affectus, profecto magnam potestatem facit, cum, paululum intermisso pœnitentiæ studio, spiritus refrigescat, caro autem sensusque ferveat.

Sed posset objici nobis, satis habere pœnarum religionis incommoda, severitatem disciplinæ, obedientiæ abnegationem, quamvis nullas ipsi pœnas subeamus privatim: imo illis magis effici ac dici Pœnitentiæ sedem Religionem, quam his adventitiis ac sua voluntate susceptis. Respondeo in nostra familia non esse tot incom-

[1] P. 6. c. 3. § 1. [2] Aug. Reg. ad servos Dei.

moda vitæ, quot in plerisque familiis, imo plurimis, ad vivendum commoda abundare, quo perfectius in animorum salutem incumbat ; disciplinam vero, et si illa quidem valde viget, tanta tamen suavitate condiri, ut severa admodum dici non possit, et eam quidem non tam ad corpus quam ad animum domandum pertinere ; pœnitentiam autem non iis dumtaxat rebus, quæ domant animum, contineri, verum iis quæ corpus atterunt et affligunt ; afflictationes autem corporis ex obligatione nullas propemodum ordinarias apud nos esse, ut noster Pater fatetur. Reliquum est igitur ut eas sibi quisque, Superioris concessu permissùque, suscipiat.

Huc accedit quod hæc ipsa disciplinæ severitas et obedientiæ abnegatio, nisi habeant adjumenta pœnitentiæ asperitatisque corporeæ, sæpe sunt imbecilla ; quia cum caro spiritui reluctetur, nisi hic eam coerceat atque premat, non facile in suis illis exercitationibus studiisque versabitur. Carebit igitur et hoc, et aliis commodis pœnitentiæ quisquis expectare velit dum eam Superior imponat ; et, quod gravissimum est, in languorem incidet spiritus, quia Superior raro, ut dixi, non nullis irrogat pœnitentias, ipse vero dum irrogentur, expectat : ergo nihil huic jam erit unde spiritum suum excitet, sublatis stimulis pœnitentiæ, nihil unde se ipsum acuat et melior fiat.

Quarta ratio est, quia cum pœnitentiæ quas sibi quisque sumit non modo privatæ et occultæ, verum etiam publicæ et manifestæ soleant esse, (ut sunt eæ quas aliquoties singulis annis Constitutio peti jubet propter defectum observationis regularis),[1] plurimum valet ad excitandos cæteros vis exempli. Multi enim, qui languere in hoc studio incipiunt, animadverso aliorum ardore ut se ipsi revocant ad fervorem, et qui nunquam soliti erant voluntarias sibi ipsi pœnas imponere, coguntur quodammodo proposita sub oculos tot exempla pro viribus imitari ; quod experimur cum Sanctorum vitas attentius legimus, ad eorum nos jejunia, vigilias, et orationes vehementer

[1] P. 3. c. 1. § 28.

accendi. Atque hæc est causa, cur B. Ignatius jubet in Constitutionibus etiam eum qui cæteris præest, et sacerdotes alios obire ad tempus aliquod intra annum domesticorum officia. Verba Patris hæc sunt: "Quia ad progressum in virtutibus faciendum multum confert antiquiorum exemplum, quo reliqui ad eorum imitationem animentur, qui præest aliis et omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, aliquando intra annum, officium, vel officia eorum qui inserviunt domi, ad tempus aliquod obibunt."[1] Id autem pœnitentiæ genus est, cujus et labore corpus, et humilitate animus exercetur.

Et Bonaventura[2] in quæstionibus circa regulam, inter causas cur Religiones in proclive labantur, hanc potissimam statuit, quia vel subtrahuntur qui primo continebant ordinem in suo vigore, vel debilitati corpore non possunt amplius novis edere rigoris exempla. Novi enim, quia virtutes non norunt internas, externas autem pœnitentias sæpe non cernunt, inter ipsa languent initia.

Ac propterea dictitabat quidam ex antiquioribus Patribus, oportere unumquemque pro viribus id studere, ut; quantum in se esset, salutaris deposcendæ sibi ultro pœnitentiæ consuetudo in Religione retineretur; nam si singuli jaceant, nec inductam sancte consuetudinem tenere studeant, brevi fore ut omnis intercidat; contra vero, si pro sua quisque parte inventæ jam consuetudini diligenter obtemperet, eam fore diuturnam.

Quinta ratio est, quia assuescimus etiam æquo libentique animo ferre pœnitentias illas, quas nec opinantibus Superior imponit, et eas insuper quæ immittuntur a Deo, quæque a fortuna et casu videntur invectæ, dum eas sponte petimus et usurpamus. Comparatur quippe habitus subeundæ placido animo cujusvis pœnæ: quod quidem non est ejus dissimile quod de quibusdam monachis scribit Climacus: "Qui se ipsos injuriis et contumeliis atque ignominiis quotidie afficiebant, ut cum illa sibi ab aliis

[1] P. 3. c. 1. § 19. [2] Quæst. 19.

irrogarentur, hac inquit exercitatione parati invenirentur, tanquam assueti non angi ignominiis." Et hoc voluit etiam Nilus cum dixit:[1] "Patientiam etiam, antequam necesse est, exerce, ut ipsius armaturam paratam invenias etiam in necessitate."

Quotidianus autem docet usus, qui deposcendis sibi ultro pœnis sunt negligentiores, eos non facile ferre solitos quæ a Præpositis imponuntur, quia minime parati hac exercitatione reperiuntur; contra vero, qui in hoc studio exercitatione versantur, modo interiore id agant spiritu, moderato eos animo, imo etiam gaudenti, quidquid vel a Præpositis injunctum, vel a Deo immissum fuerit ferre solitos. Qua in re imitandi sunt nobis milites seculi, qui pacis tempore militares exercitationes non intermittunt, sed secum ipsi digladiantur et certant, quo majorem sibi et animum et usum comparent dimicandi cum hoste, cum cecinerit bellicum.

DE SECUNDO ERRORE.

Alter etiam error eorum, qui pœnitentias sine Superioris approbatione suscipiunt, tollitur iis, quæ adduntur, verbis: "cum approbatione Superioris." Qui quidem error, vel ex inscitia quadam oritur, quod quis nondum munus obedientis novit qui nihil potest in corpus suum; vel ex tacita quadam superbia, qua pudet veniam a superiore perpetuo petere; vel ex ficta quadam humilitate, ut supra dicebamus, ne cœnodoxiæ crimen incurras si quod subiturus es pœnitentiæ tuis Præpositis indices, vel denique ex incuria quadam et negligentia. Multa autem suadent in suscipiendis sibi ultro pœnis superioris expectare consensum. Sed præcipue quatuor.

Prima ratio ex religiosæ obedientiæ natura petitur, quia cum subditus sui juris arbitriique non sit, neque in corpus suum aliquid possit, injuste atque inique faciat si absque Superioris assensu, cui se totum credidit, pœnitentias

[1] In Parænes.

sibi ipse irroget. Ideo Basilius: "Vera," inquit, "perfectaque obedientia subjectorum adversus moderatorem ordinis in eo cernitur, si quis ex ejus consilio non a rebus modo flagitiosis abstineat, sed si ne ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia et omnis corporis incommodorum perpessio utiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis propriæ obsequens voluntati, spretis consiliis antistitis sui, id facere voluit quidquid ipsi collibitum sit, hic plus erit quod faciet mali, quam quod boni."[1] Et ait: "Quin ne in corpore ipso quidem tuo, postea quam illud Deo semel consecrasti, jus tibi ullum reliquum est."[2]

Et quidem Bonaventura, quisquis secus faciat, eum furti spiritualis insimulat, et novitium ita monet. "Nihil facias, sive dicas, quod non magistrum tuum velle præsumas, tu enim te dedisti ei propter Dominum, et propter regnum cœlorum, et jam non es tuus, sed ejus cui te vendidisti, et ideo nihil tibi licet agere de te sine ejus voluntate: ipse enim est dominus voluntatis tuæ, et contrectatio rei alienæ invito domino furtum est. Fur autem cœlo non appropiat."[3] Bernardus quoque in eos qui, in his asperitatibus vitæ sectandis, magistram sequantur suam, non Superioris voluntatem, dicit: "Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?"[4]

Secunda Ratio petitur ex bono corporis, ut sit rationabile obsequium nostrum, ut dicitur Rom. 12, neque modum in assumendis pœnitentiis magno valetudinis incommodo bonique majoris excedamus: Glossa quidem in hunc Pauli locum, quanquam si literam spectes alia est ei subjecta sententia; tamen sic ut rationabile obsequium, cum discretione ne quid nimis sit, sed cum temperantia corpora vestra castigetis. Hujus autem temperantiæ terminos melius Superior, quam subditus novit.

[1] De Instit. Mon. [2] Constit. Mon. c. 21.
[3] De Inform. Novit. p. 1. c. 2. [4] Ser. 19 in Cant.

Propterea is est consulendus, nec propriis motibus obsequendum est. Bernardus præcipit: "Sic de corpore agere sicut de non suo, sed ejus a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro."[1] Quod si hoc Christianis omnibus, quanto magis religiosis præcipiendum est qui totos devovere se Deo? Sæpe enim fervor, qui non est secundum scientiam fallit nos: sæpe nos stimulat Satan, et in eo struit insidias, ut debilitati viribus minus apti reperiamur ad honestos injunctosque labores, ut patet ei qui Sanctorum vitas inspiciat. Propterea monet nos in suis Constitutionibus B. Pater, ut in his externis asperitatibus modo quodam utamur, ut suo loco pluribus explicabimus; eaque de causa vult Confessario detegi, quidquid in hac parte geratur. Multi quippe se perdiderunt, dum nullo duce, nullius rectoris arbitrio pœnitentiis voluntariis indulgent, plusque adeunt nimia vitæ asperitate, quam laxitate periculi, ut de se testatur in Collationibus Abbas Moyses.[2] Imo et B. nostrum Patrem scimus confiteri solitum se in hoc genere fuisse nimium, et tum sensisse cum jam labefactata salus esset; et D. Franciscum legimus supremo suæ vitæ die a corpore veniam poposcisse, quod in eum severior fuisset; et docet B. Vincentius Tr. de vit. spir. Vide quæ dicimus Opusc. in Summ. Constit. 48. ex 3 P. 1. 2.

Tertia ratio est ex Bono animi. Quia cum Superior sit spiritualis pater et medicus, melius ipse, quæ ad profectum spiritus, et ad curandas animi nostri plagas accommodatæ sint pœnitentiæ tenet, quam ipsi nos, ideo ab eo approbandæ maxime. Nam, tanquam pater spiritualis, ejus est examinare ac dijudicare quæ pœnitentiæ genera et quatenus obeunda sint nobis, ne spiritus erroris illudit. Scimus enim multos hoc in genere a dæmonio fuisse delusos, ut de Herone sene memoriæ prodidit Cassianus, qui, post tot labores nimio conti-

[1] Epist. ad Frat. de Mont. Dei. lib. 1. c. 7. § 18.
[2] Coll. 2. c. 17.

nentiæ rigore ab insidiatore delusus, "gravissimo corruens lapsu cunctos in ea solitudine constitutos luctuoso dolore perculit, in altissimum quippe puteum se præcipitem egit;"[1] ut pluribus idem auctor. De quodam etiam narrat Climacus se a sanctissimo Ægyptiaci Monasterii Pastore audivisse,[2] qui dum vehementius currit, offendit ad lapidem pedem suum, et invidia diaboli turpiter lapsus est. Hoc est quod dixit in epistola sua Beatus noster Pater, cautionem adhibendam esse in his causis spiritualibus eo majorem, quo gravius est spiritualis vitæ periculum.

Et Abbas Moyses, apud eundem Cassianum, cum dixisset innumeros acerrime jejuniis seu vigiliis incubantes ita repente fuisse deceptos, ut summum fervorem detestabili fine concluserint, ad extremum hujus fraudis causam enarrans ita dicit: "Nec enim alia lapsus eorum causa deprehenditur, nisi quod minus a senioribus instituti, nequaquam poterant rationem discretionis adipisci." "Quæ quidem institutio seniorum," ut ait infra, "non solum per veram discretionis viam juvenem recto tramite docebit incedere, verum etiam a cunctis fraudibus et insidiis inimici servabit illæsum."[3]

Præcipuæ autem fraudes tres esse solent. Vel ut majora bona, dum modus exceditur, omittantur; quod cavendum admonet noster Pater. Vel ut nimiis austeritatibus fatigatus ad intolerabilem deinde tui corporis indulgentiam obsequiumque descendas; quod observat in Tractatu vitæ spiritualis, B. Vincentius. Vel denique ut intumescas, et tibi esse aliquod videare; quod Patres in collationibus animadvertunt. Quas omnes fraudes facile declinat quisquis, inconsulto Præposito, nihil audet in corpus suum.

Idem vero Superior, ut medicus, melius ipse mores nostros et affectus animique motus novit expendere, et ad illorum rationem suam, ut Basilius ait, dispensationem adaptare, sæpe enim nos, qui non satis ipsi nos novimus,

[1] Coll. 2. c. 5. [2] Grad. 5. de Pœn. [3] Coll. 2. c. 2. et 10.

eas pœnitentias suscipimus quæ morbis nostris non satis admodum congruunt; ut infra dicemus. "Difficillimum autem est se ipsum nosse," Basilius inquit, "et curare propterea quod naturaliter seipsum quisque amat, et quilibet, propterea quod in seipsos propensi sunt, in veritatis judicio fallantur. Porro ab alio cognosci, curarique facile est, cum iis qui cæteris judicant ad discernendum veritatem nequaquam obstat amor sui ipsorum;" hæc ille.[1] Ex quibus efficitur in asciscendis sibi ultro pœnis, quæ sunt animi medicinæ, non nos ipsos consulendos et audiendos esse, sed Præpositum nostrum, ejusque consilium et assensum expectandum, quando quidem is melius pervidet quæ cuique morbo maxime congruat medicina. Quod si lex vetat medicos, cum ægrotant, curare se ipsos ob eandem Basilii causam, quia sui amoris affectus adulterat judicium veri; cur in animis par periculum non extimescat, si quis susceptione pœnarum suo arbitratu se curet?

Quarta ratio petitur ex merito operis, ut constet nobis pœnitentias nostras probari Deo, et apud Deum habere mercedem. Id duplici via constare nobis potest: primum quia, cum Superior sit divinæ voluntatis interpres, ut Constitutiones nostræ dicunt, quidquid is approbat approbare putandus est Deus, modo id Deo non adversetur:[2] deinde, quia pœnitentiæ, quas Dei causa subire volumus, quo minus habent de lepra propriæ voluntatis, ut appellat Bernardus, eo magis Deo ipsi placent. Voluntas enim propria sæpe facit, ut vel ipsa bona nostra, bona non sint, ut idem Bernardus ait, cujus et illa sunt: "Vereor ne et inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quod non redoleant lilia. Etenim si in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed propriæ voluntatis sapit." Et mox, "Nihil omnino, quod propria inquinatum sit volun-

[1] De vita Solit. Const. Mon. c. 23. [2] P. 7. c. 2. § 1.

tate, gustabit is, qui pascitur inter lilia."[1] Quod autem de jejunio dicit nominatim, idem intelligi debet universe de cæteris corporis vexationibus. Et Ser. de sept. grad. Confess: "Quidquid fit pastoris licentia, gratiosius est in conspectu Dei, et illam hostiam singulariter accipit Altissimus, quæ non est de propriæ sententia voluntatis, sed de præcipientis offertur imperio." Jam quæ Deo non probantur, ea quid habere possunt apud eum mercedis? Hinc igitur benefactorum minuitur meritum, si propria voluntas admisceatur. Quod idem Bernardus alio sermone significat, ubi suos perstringit monachos, qui sine spiritualis Patris assensu corpus suum sine modo vexabant. "Non legistis," inquit, "in regula vestra, quod quidquid sine voluntate, vel consensu Patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi? Est autem regula quinta B. Benedicti c. 49."[2]

Et Bonaventura, cum de vigiliis et abstinentiis singularibus loquitur, diserte præcipit eas non licere sine Superioris approbatione suscipere.[3] "Et quod," inquit, "sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur ac vanæ gloriæ, non mercedi." B. autem Benedictus, unde hæc sumpta sunt, cum dixisset debere unumquemque Quadragesimæ tempore, supra mensuram sibi indictam, aliquid voluntarie cum gaudio Sancti Spiritus offerre Deo, et subtrahere corpori suo de cibo, potu, somno etc, ut supra dicebamus; mox ita subjicit: "Hoc ipsum tamen quod unusquisque offert Deo, Abbati suo suggerat, et cum ejus fiat oratione et voluntate, quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, et vanæ gloriæ, non mercedi." Ergo de voluntate consilioque Præpositi facienda sunt omnia, ut ea constet probari Deo, et apud eum haberi mercedem.

Objiciet quisquam magnam videri servitutem ut, quoties pœnitentiæ aliquid Dei causa suscipere collibitum est,

[1] Cant. Ser. 71. [2] Cant. Ser. 19.
[3] Spec. disc. de captiv. prop. vol. c. 4.

toties conveniendus sit Superior, aut ejus requirendus assensus.

Respondet Bonaventura in Speculo disc.: "Felix hæc servitus, imo gloriosa libertas, qua quis sponte in regiam venditus servitutem, Deum et ejus vicarium, potius quam se ipsum, super se regnare constituens, suæ prorsus renunciat voluntati."[1]

Sed quæret adhuc aliquis: An semper expectanda sit Superioris approbatio in suscipiendis ultro Pœnitentiis?

Respondeo duo videntur esse tempora, cum Superioris consensus expressus non requiritur. Alterum cum pœnitentiæ leviores sunt, ut modicæ abstinentiæ, et similia. Satis est consensus tacitus in hujusmodi, et intelligi licet ea non ingrata fore Superiori, quia pœnarum levitas nec valetudini obesse solet, nec bono majori: quæ duo possunt esse causa cur Superioris sit expectandus assensus.

Hæc est sententia S. Bonaventuræ eo, quem dixi, loco ubi, dum enumerat quæ religiosus facere sine Superioris concessu non potest, sic ait:[2] "Nec tamen negaverim ad minima, seu ad exilia quædam, et vix reputanda alicujus momenti, solum sufficere consensum Prælatorum;" et infra docet ad hæc minima subeunda satis esse, si quis putet ea non displicere Prælato. "Quidquid," inquit, "religiosus boni facit, aut dicit, quod suo non noverit displicere Prælato, a veræ obedientiæ merito non fraudatur."

Alterum vero tempus est, cum aliqua tentationis necessitas ingruit, nec Superioris est copia, quia tum rationes illæ, cur non liceat Superioris injussu pœnitentias ultro suscipere, non habent locum. Potior quippe habenda semper est animæ ratio quam corporis. Licet enim aliquid incommodi ad valetudinem redeat, tamen, quando aliter superari tentatio non potest, ferenda est pœnitentia vel gravior, præsertim quando et finis optimus est; cum ideo pœnitentia suscipitur ut quis Deo subjiciatur, et Superior,

[1] P. 1. c. 4. extr. [2] C. 4. ibid.

qui non semper est præsens, cum id rescierit, approbabit. Illud tamen videtur addendum, si quis, inscio Superiore, tale quid usurpaverit, aperiendum id ei mox esse, quæ est aperta Bonaventuræ doctrina in Speculo disciplinæ: "Potest," inquit, "fidelis servus et prudens non nulla pro loco et tempore facere de tacito, vel probabiliter præsumpto Superiorum assensu, ad ipsos denique acta quæque per ausum hujusmodi relaturus."[1] Quibus ex verbis perpendendæ sunt conditiones sex, quas in eo exigit qui tale aliquid inconsultis Præpositis audeat: 1°, ut sit fidelis, scilicet Dei gloriam spectans; 2°, prudens; 3°, ne multa, sed nonnulla, faciat; 4°, rationem habeat loci, ut si longe a Præpositis absit; 5°, rationem quoque ducat temporis, ut si ingruat tentatio; 6°, ut denique referatur ad Præpositum, quidquid ille sit ausus.

DE TERTIO ERRORE.

Tertius est error eorum qui et assumunt sibi pœnitentias, et eas quidem cum Superioris approbatione nutuque, sed tamen ad id non optimo fine ducuntur. Hic error iis Constitutionis refellitur verbis: "Ad majorem sui spiritus profectum." Quæ ad hunc finem convenire videntur, eas Constitutio pœnitentias maxime probat. Duo autem sunt in Pœnitentiis, quæ videntur spiritum augere; alterum quasi materia quæ magni interest, qualis sit ad profectum spiritus; alterum quasi forma, cujus rei gratia pœnitentia suscipitur. Primum magis situm est in potestate Præpositi, cujus est pœnitentiam probare; quam subditi, de quo jam diximus. Secundum totum est in potestate subditi, quem optimo fine duci par est in pœnitentiis sibi deposcendis, de quo nunc dicemus.

Alii autem alio fine impulsuque ducuntur ad postulandas subeundasque sua sponte pœnas. Sed quinque hominum genera observari licet, qui aut pravo, aut certe non optimo, et quem Constitutio requirit, fine ducuntur

[1] Spec. Disc. p. 1. c. 4. extr.

Aliqui consuetudinis dumtaxat æstu, et ne cæteris videantur deteriores, ad id aguntur. Qui finis valde abjectus et humilis est, actionemque sua natura bonam suo fructu et merito spoliant. Quid autem dementius, quam inurere membris suis sine utilitate dolorem, torquere sine merito corpus suum? Hoc fine duci solent, quos jam tepor invasit, nam Bonaventura inter teporis indicia id numerat, consuetudine duci in recte agendo. Alii pœnitentias sibi volunt injungi, ut videantur ab hominibus, bonamque famam colligant, præsertim apud eos qui præsunt. Sentiunt enim magni fieri in Religione virtutem, pietatemque: ac propterea his quasi viis bonæ existimationi famæque consulunt, hi profecto mentem Constitutionis non assequuntur. Similesque sunt sinistri latronis, ut ait Beda, qui cum Christo datus est in crucem.[1] Latrones enim, qui cum Christo acti sunt in crucem, significare eos, Beda dicit, qui quælibet arctioris disciplinæ instituta subeunt: "sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, eos dextri latronis designari fide; qui vero humanæ laudis intuitu, sinistri latronis mentem et actus imitari."

Alii ad deposcendas sibi ultro pœnas impelli possunt, ut cæteris sint exemplo. Diximus enim supra, cum ob alias causas, tum propter exemplum pœnas esse poscendas: qui finis bonus ille, quidem est, sed non optimus, et qualem Constitutio requirit verbis illis, "ad majorem sui spiritus profectum." Sui, inquit, non alieni; nam ad postulandas obeundasque pœnitentias præcipuus et ultimus finis debet esse nostræ utilitas animæ, noster profectus, nostrum bonum magis quam aliorum.

Alii ducuntur studio minuendæ pœnæ quæ peccatis noxisque debetur. "Norunt enim semper homines luere pro suis factis divinitus pœnas," ut ait Augustinus, "sive in hac vita, sive post mortem;"[2] et Gregorius in Psal. Pœn. 4. "Sive sit magna, sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur a Deo judicante." Ut igitur

[1] In Matth. c. 25. [2] De Civit. Dei. l. 20. c. 1.

eas evadant, præsertim quæ reservantur in igne purgatorio, prudenter sibi ipsi pœnas irrogant, et antevertant divinas, quia "Quod flendo insequimur," ut idem Gregorius ait, "nequaquam nobis a venturo judice homini objici certe speramus." Commodus hic quoque finis est, nam ut idem S. Doctor in Moralibus ait: "Sancti viri culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum judicem placatum invenire. Nam qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur." Et B. Augustinus, sic orabat: "In hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatiore igne opus non sit."[1] Ut ergo sibi parcatur a Deo, pœnas illi sua voluntate suscipiunt. Verum nondum est optimus ille finis quem Constitutio significat (non enim dicit ad evadendam pœnam, sed ad spiritus profectum), habetque admixtum amorem sui ipsius, et pœnæ metum quem perfecta charitas foras mittat. Alii denique pœnitentias crebro subeunt, ut cœlestes suavitates experiantur; quas iis tantum esse paratas intelligunt, qui sensibus sunt inimici, carnemque suam atterunt et affligunt: siquidem divina sapientia non invenitur in terra suaviter viventium. Noruntque illud Hieronymi de se ipso testimonium perhibentis: "Ego homunculus sic abjectus, sic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore, angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas nihil sentiens, divinæ visionis intuitu. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis sentiebam?"[2] At hæc dabantur homini, qui durissimam, ut Augustinus ait, pœnitentiam agebat.[3] Id igitur illi cum teneant, alacritati mirabili pœnitentias sibi ultro assumunt.

Verum ne hic quidem finis ille optimus est, quem Constitutio præscribit, dicit enim "ad majorem spiritus profectum:" quanquam autem spiritualis voluptas allicit ad profectum, tamen non in ea major spiritus profectus est

[1] Aug. in Psalm. 37. [2] Lib. 8. in reg. mon. c. 26.
[3] Ad Fratres in Erem. Ser. 24.

situs, habetque et hic admixtum amorem sui, non purum illum amorem Dei, in quo verus profectus spiritus situs est.

Hos igitur fines omnes removet Constitutio, dum, in suscipiendis sua voluntate pœnis, spectari jubet majus sui spiritus incrementum. Quo posito atque percepto, facile est alios quosdam fines optimos magisque consentaneos Constitutionibus investigare, qui tamen omnes ad unum eundemque finem, qui est amplificare et promovere spiritum, referuntur. Statuamus autem totidem fines commodos, et Institutorum regulæ consentaneos. Tres autem primi sumi possunt e libello Exercitiorum B. nostri Patris, hebd. 1. Addit. 10. ubi triplicem exterioris pœnitentiæ distinguit usum. Primus est, ut pro delictis præteritis non nihil satisfiat : quod ego interpretor non tantum ad evadendam culpæ debitam pœnam, quem supra finem non inter optimos numeravimus, quam ad compensandam aliqua ex parte Deo illatam pro peccatis injuriam atque offensam ; et hoc videtur B. Pater innuere eo loquendi modo, ut "pro delictis non nihil satisfiat." Habet enim hanc vim pœnitentiæ bonum, ut non solum pro pœna debita culpæ, verum etiam pro ipsa culpa Divino Numini satisfaciat ; loquor autem de culpis levioribus quæ non necessario sacramentum exigunt Confessionis. Quare Gregorius in Canticorum verba : "Tota pulchra es amica mea," quærens quomodo anima possit dici tota pulchra, cum sine peccato nemo vivat, ita subjicit : "Dum sancta anima a peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, et a majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assidue servat."[1] Et S. Leo præter cætera docet, Jejunium Quadragesimæ ad reparandam mentium puritatem institutum, et ad redimendas aliorum temporum culpas.[2] Hic finis est optimus, quia, qui in spiritu progredi volunt, nihil tam

[1] Cap. 4. [2] Ser. 4 de Quad.

studere debent, quam ut in conspectu Domini mundos se purosque conservent, quoniam autem quotidianæ sæpe noxæ animæ nitorem obscurant, crebræ quoque pœnitentiæ, quibus tanquam ærugo deteratur, obeundæ sunt. Ideo Augustinus in Apoc. "Re vera," inquit, "qui bene considerat se, agnoscit quod, non dicam laici, sed etiam sacerdotes una die esse non debent sine pœnitentia, quia, quemadmodum nullus dies est in quo homo possit esse sine peccato, sic nullo die debet esse sine satisfactionis remedio."

Quod erat solemne P. nostro Borgiæ, ut nullum diem intermitteret sine pœnitentia. Et B. Gregorius[1] in primam Regulam. "Quia sine peccato," inquit, "electi viri esse non possunt, quid restat nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuare quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, et si minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ suavitatis." Sancti igitur viri, quia candori sui pectoris student, et in conspectu Dei apparere quam purissimi volunt, idcirco magno studio pœnitentias consectantur. Ut B. Catharina Genuensis, quæ labeculam in se non ferens, negabat se gratiam aut Indulgentiam optare, sed ultionem, et punitionem peccati; propterea et Indulgentias Pontificum quanquam summo venerabatur honore, plerumque tamen ad evadendas meritas pœnas non adhibebat, adeo justitiam adamabat culpis omnibus adversariam.

Secundus suscipiendæ pœnitentiæ finis seu usus, etiam commodus et Constitutioni consentaneus, est ut vincat, inquit, se ipsum homo, et sensum spiritui magis magisque subjiciat. Ut enim servos contumaces et insolentes domini plectunt, et suppliciis animadversione sibi subjiciunt; ita et spiritus corpus suum, ut sibi subjiciat et obsequens reddat, tanquam servum castiget oportet. Quod faciebat

[1] Cap. 2.

Paulus Apostolus, qui dicebat: "Castigo corpus meum et in servitutem redigo;"[1] et Basilius, ut Gregorius Nyssenus, in Oratione de laudibus ejus, his verbis scribit: "Quasi inexorabilis dominus nullam servo suo corpori relaxationem indulgebat, sed per summam afflictionem et continentiam flagellabat." Et quemadmodum animantes rationis expertes domare verberibus consuevimus, ne detrectent, quod imponitur onus, et nobis obsequentes reddamus; ita et corpus, quod rationis detractat imperium, ut ei subjiciatur "feræ instar," ut ait Basilius, "cohibendum a nobis est."[2] Quod faciebat Hilarion, teste Hieronymo, cum dicebat: "Ego te aselle faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis." Et hoc propositum esse famulis Dei in suis corporibus castigandis, docet pluribus Augustinus de Doct. Christ, ubi sic inter cætera: "Quod autem continentia quadam et laboribus quasi persequi videntur corpora sua, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum et paratum ad opera necessaria: libidines enim male utentes corpore, id est consuetudines et inclinationes animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quandam militiam extinguere affectant." Et mox cum explicat illud Pauli: "Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem."[3] "Dictum est," inquit, "hoc propter indomitam carnalem consuetudinem, adversus quam spiritus concupiscit; non ut interimat corpus, sed ut concupiscentiam ejus et consuetudinem male domitam faciat spiritui subjugatam, quod naturalis ordo desiderat." Id autem persuadet optima ratione: Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omni modo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui."[4]

[1] 1. Cor. 9. [2] Hom. 24. De leg. lib. Gentil. [3] Gal. 5. [4] Lib. 1. c. 24.

Id autem subjiciendis ultro pœnis suppliciisque consequimur; propterea subjicit, "Id ergo agit spiritus in domanda carne, ut solvat malæ consuetudinis quasi pacta perversa, et fiat pax consuetudinis bonæ." In hoc B. Laurentius Justinianus ponit magnam partem spiritualis hominis, si quis carnem spiritui subjiciat.[1] Est igitur optimus finis et constitutione consentaneus in subeundis sua sponte pœnis, ut sensus spiritui subjiciatur.

Tertius finis est ad impetrandum aliquod divinæ gratiæ donum, ut dolorem intimum peccatorum, vim lacrymarum, victoriam tentationum, et cætera hujusmodi, quæ ad progressionem spiritus et fructum pertinent. Ea siquidem cum per pœnitentiam impetrare studemus, cadunt in finem optimum, et Constitutioni consentaneum. Porro pœnitentias habere vim impetrandi patet ex Sacris Literis, ubi habemus exempla de iis qui, ad impetrandam contra hostes divinam opem, afflixerunt corpora sua: ut filii Israel qui habitabant in terra Juda, ad evadendam vim Nabuchodonosor et Holofernis, "humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus," ut dicitur Judith 4, "et induerunt se Sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini;" et mox dicit Sacerdos Eliacim: "Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis." Idem fecerunt Machabæi, cum Mathathia eorum duce contra Antiochum;[2] deinde contra Heliodorum et Seleucum Regem.[3] Et David exagitatus ab inimicis, "Ego autem," inquit, "cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam."[4]

Hinc ad vincendas tentationes et debellandos animorum hostes dæmones, præstantissima ratio est Pœnitentia; ideoque B. Marcus Anachoreta[5] hortatur nos ut sine intermissione eam amplectamur: "Diabolus," inquit,

[1] De Obedient. c. 16. [2] 1 Mach. 2. [3] 2 Mach. 3.
[4] Psal. 34. [5] Tract. de Pœn.

"non cessat impugnare, ergo ne cessare quidem pœnitentia debet." Atque is quidem, quod præcipiebat, agebat: nam extrema jam senectute confectus, et centenarius, in summis deliciis numerabat oleum attingere, et vinum degustare; et modo se ipsum, modo dæmonem accusabat, quod se voluptarium reddidisset, et vinum bibere coegisset.

Gregorius quoque quanti referat ad vincendum diabolum affligere animam suam paucis verbis ostendit: "Afflictio," inquit, "electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis peremptorius mucro est."[1] Ratio id docet, quia Pœnitentiæ usus humilitatem continet, humilitas autem in tentationibus necessaria, cum superbi dæmones impugnantes una humilitate vincantur; Deinde, quia per pœnitentiam placamus nobis Deum, ut in tentationibus ferat opem. Ideo et B. Antonius dicere solitus est ad discipulos suos: "Credite mihi, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem." Danielis quoque exaudita est oratio, qua affligebat se in conspectu Domini, "Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua."[2]

Neque solum ad impetranda nobis ea quæ dixi dona Pœnitentiæ pie suscepta valent, verum etiam ad eadem, vel alia proximis impetranda. Nam et David ad impetrandam deploratam jam salutem parvuli filii jejunavit, et ingressus seorsum jacuit super terram.[3]

Quartus suscipiendæ pœnitentiæ finis, etiam commodus, colligi potest ex Constitutionibus p. 6. c. 3, ne fervor spiritus refrigescat, intendatur et incitetur. Excitat enim pœnitentiæ creber usus dormitantem animum et semisomnem, et experimento jam liquet tantum de spiritus ardore deperdi, quantum de pœnitentiæ studio remittitur: quæ res impulit B. nostrum Patrem ut seniores et Professos moneret, ne pœnitentiæ usum ita remitterent ut, fervore

[1] In 1 Reg. l. 5. in c. 13. v. 6. [2] Dan. 10.
[3] 2 Reg. 12.

spiritus refrigescente, humani atque inferiores affectus incalescant. Ergo ex contrario si pœnitentiæ studium intenditur, fervor spiritus incitatur. Rationem Gregorius ita tangit: "Quemadmodum," inquit, "carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namque delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denique illam lenia refovent, istam vero aspera exercent."[1]

Sed quatuor ex signis intelligi potest hanc in Pœnitentia excitandi vim inesse. Et 1°, ex more consuetudineque Sanctorum omnium, ut supra significavi, qui se crebris solent pœnitentiæ generibus exercere, et corpus suum in servitutem redigere: 2°. Ex usu cæterarum omnium Religionum, quæ multis hujusmodi asperitatibus et pœnitentiis abundant, non enim sine causa eas adhibent: 3°. Ex usu nostro, qui cum paululum ardoris animo concepimus, ad pœnitentiæ studium exercitationemque recurrimus; et initio, cum ex seculo toti ardentes ad hæc nos claustra contulimus, alacriores fuimus ad suscipiendas ultro pœnas, quam cum calor ille deferbuit: 4°. Ex more divinæ sapientiæ, quæ cum oscitantem et dormitantem animam cernit, pœnis eam quibusdam et tentamentis excitat et exercet; nam, ut ait Bonaventura, "ad hoc quandoque permittit Deus hominem tribulari, ut excitetur ad orationis studium, et confugiat ad Dominum."[2]

Quintus finis optimus est, ut suscipiendis obeundisque pœnitentiis Capiti nostro, aut etiam Sanctis Martyribus, et qui multa in hac vita Christi causa passi sunt, quam simillimi efficiamur. Ideo recte ad eorum honorem, cum eorum natalitia celebrantur, sponte aliquid perpetiendum suscipimus. Finis hic propositus semper fuit Ecclesiæ, cum in instituendo anniversario quadragesimæ jejunio, tum in pervigiliis sanctorum, et olim toto anni tempore jejunium quartæ et sextæ feriæ ad honorem inquam passi Christi sanctissime servabatur. Propterea Leo,[3] "Merito,"

[1] In 3 Psal. Pœn. § 17. [2] De Processu relig. 4. c. 13.
[3] Ser. 9 de Quadrag.

inquit, "a sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia, ut per commune consortium Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus."

Sanctus etiam Ignatius Philippenses per epistolam monet ne quadragesimam negligant: imitationem enim, inquit, Dei continet conversationis. Et Augustinus, "Passus est," inquit, "Dominus, quod nullus ambigit, sexta Sabbati; quapropter et ipsa sexta recte jejunio deputatur."[1] Ideoque et aliis viris sanctis solemne fuit sexta quæque feria jejunare, ut B. Dominico, B. Antonino, et aliis pluribus; et Societas hanc ipsam feriam abstinentia, jam tum ab suo ortu, dicandam putavit, quod sancte servatur.

Hi quinque fines ad profectum spiritus pertinent, et hos maxime Constitutio spectat. Sed de Pœnitentiis ultro susceptis et a Præposito deposcendis satis. Nunc quod postremo loco propositum erat, de impositis et irrogatis.

§ 2.—QUOAD PŒNITENTIAS IMPOSITAS.

Sequitur igitur Constitutio: "Et quas propter eundem finem Superiores ei poterunt imponere." Ubi duo videntur agenda: primum de iis qui imponunt; deinde de iis qui ferunt impositas.

Quod ad eos qui imponunt spectat Constitutionis verba duo indicant: 1°, quidem finem quo duci debeant ad imponendas pœnitentias, cum dicit "et quas propter eundem finem;" 2°, autem potestatem imponendi, cum subjicit "poterunt imponere." Quare duo hæc cum brevitate tractanda; quis sit propositus finis Superiori cum pœnitentias imponit; deinde quomodo hæc adhibenda potestas, non enim temere, et ut collibitum est adhibenda, sed prudenter et considerate. Quod quidem significat hic

[1] Epist. 86.

loquendi modus "poterunt imponere," non enim Constitutio dicit imponent, sed poterunt imponere, ut consideratam impositionem innuat.

Quod ad imponendi finem spectat, idem est atque is qui propositus erat in concedendis, hoc est profectus spiritus; quamvis enim finis proximus sit correctio, aut ædificatio, tamen et harum, et aliarum quarumcumque pœnarum finis ultimus est profectus. Ita qui uno verbo finitur, pluribus continetur, si quidem ad profectum spiritus multa pertinent. Ea revocari possunt ad duo præcipua. Alterum est ut per pœnitentias a malo subditus revocatur: alterum ut incitetur ad bonum.

Malum, unde revocari subditus debet, potest esse triplex; scilicet aut malum intellectus, qui proprie dicitur error; aut malum voluntatis, qui defectus nominatur; aut remissionis cujusdam in agendo ex socordia et inertia, quæ negligentia dici potest, qua remittitur animus in agendo etiamsi nihil delinquat. Est enim negligentia speciale peccatum, ut ait S. Thomas,[1] et ex remissione torpor existit et tarditas quædam in iis, quæ imperantur, administrandis et exequendis. Ideo B. noster Pater, propter hæc tria pœnitentias indicat injungendas, cum sic ait: "Pœnitentias pro erratis, et negligentiis, et defectibus injunctas magna cum humilitate subeundo."[2] Ab his ergo revocandus est subditus impositione pœnarum, et hoc spectare Præpositus debet. De his aliquid Bonaventura Opusc. de sex alis præl. c. 3.

Cum autem incitandus est ad bonum, etiam per pœnitentias incitari a Præposito potest, ac debet: quod insinuat B. Pater in Examine cum ait "Pœnitentias omnes adimplendas, quæ propter defectus, et quidvis aliud fuerint injunctæ;"[3] ut videatur facere potestatem Præposito imponendi etiam extra culpam, periclitandi gratia, vel ad exercitationem virtutis. Idemque videtur insinuare cum ait: "Subeundas alacriter pœnas etiamsi propter

[1] S. 2. 2. q. 54. a. 1. [2] Exam. c. 4. § 41. [3] C. 4. § 33.

defectum non culpabilem injungerentur;"[1] ubi potestas quædam videtur relinqui Præposito irrogandæ pœnæ subditis extra culpam. Solum ad exercitationem virtutis, ut dixi, aut ad eam periclitandam atque explorandam, aut etiam publicæ necessitatis causa, ut cum indicuntur jejunia et verberationes, et templorum visitationes ad placandum Deum et avertendas cœlestes iras.

Nec vero novum est irrogari a sanctis præpositis pœnitentias interdum ad periclitandam, seu etiam incitandam in eis, qui parent, obedientiam, humilitatem, et patientiam. Scimus apud Climacum Abbatem illum Alexandrini cœnobii, qui ducentis amplius monachis præerat, religionem sibi ducere consenuisse, nisi quotidie multas patientiæ coronas subditis præpararet, nempe suggerenda et subministranda materia; idcirco citra culpam, citra peccatum, alios alia pœna multabat.[2] Quod Cassianus etiam narrat de Abbate Paulo, qui levissima de causa, tantum ad exemplum patientiæ, monachum juvenem in frequentissimo monachorum conventu simul accumbentium percussisse palma tam insigni nota, ut sonitus etiam, inquit, aversorum vel longius considentium auribus resultaret.[3]

Quoad potestatis adhibendæ rationem, ea est, ex Constitutionum præscripto, adhibenda cum charitate prudenti, ut dicitur P. 3. c. 1. § 15;[4] non tantum cum charitate, sed cum prudenti charitate. Charitas jubet pastoris formam gerere non ex imperio, non aspere, non ex perturbatione. Prudentia vero rationem habet et circumstantiarum et modi.

Circumstantiæ, quarum habenda est ratio, sunt loci, dispositionis, et personarum. Ideo Constitutio, quod ad loci circumstantiam pertinet,[5] jubet publicis noxis publicum irrogari supplicium, seu in loco publico et

[1] Const. p. 3. c. 1. § 15. [2] Grad. 4. [3] Coll. 19. c. 1.
[4] Hæc pars de Sup. in pub. cohortationibus omittetur.
[5] P. 3. dec. in c. 1. § 15.

celebri, "declaratis," Constitutio inquit, "iis tantum, quæ ad omnium ædificationem faciunt." Quoad circumstantiam, habendam rationem præcipit præparationis animi et dispositionis, quia non semper eodem modo compositus et affectus est subditus. Sed tanquam medicus ægro expectata temporis opportunitate, sic Præpositus subdito, correctionis medicinam præbere debet in tempore. Personarum vero circumstantiam attendet, quia aliæ aliis imponendæ sunt pœnæ, his minuendæ, illis augendæ, quibus connivendum, in alios animadvertendum. Nec personarum modo rationem haberi Constitutio jubet, verum etiam communis exempli: "Habebunt," inquit, "dispositionis personarum, et ædificationis universalis, et particularis earum ad gloriam Dei."[1] Hoc est, ut et cæteri unius juventur exemplo, et illi ipsi, quibus pœnarum aliquid irrogatur, exædificentur, et fructum hauriant. Fieri enim potest ut, imponentis vitio atque imprudentia, et qui plectitur, et qui plecti reum vident, ipso pœnæ genere offendantur potius quam juventur. Propterea monet Paulus patres: "Nolite ad indignationem provocare filios vestros."[2] Quod præceptum Patres omnes spirituales tenere debent in corrigendo.

In modo vero prudentia necessaria est, ut delictis pœna respondeat, quod faciebat B. Pater Ignatius, et in quo quis deliquerit in eo plectatur.

Deinde habeat rationem oportet, qui pœnas imponit, primum generis, cujus generis sit ipsa pœna, neque enim novas et inusitatas irrogare licet; deinde magnitudinis, et quantitatis, ne modum excedat. Quia, ut ait Gregorius, "Modum sæpe ulciscendi transgreditur is, qui præest, quia mensura justitiæ non frænatur.[3]

Omninoque cavendum et providendum ne sis præceps, et perturbatione ducaris, cum pœnam irrogas. Nam ut idem Gregorius ait, "Plerumque mentem sub obtentu justitiæ iræ immanitas vastat, et dum quasi sævit zelo

[1] P. 3. c. 1. § 15. [2] Colos. 3. [3] Mor. l. 26. c. 43.

rectitudinis, rabiem explet furoris, justeque se facere æstimat, quidquid ira nequiter dictat;" propterea monet, "ut cum aliena corrigimus prius nostra metiamur, et prius mens a sua accensione deferveat, prius intra semetipsam zeli sui impetum tranquilla æquitate componat, ne peccatum corrigendo peccemus, et qui culpam dijudicando insequimur, immoderate feriendo faciamus."[1] De hoc etiam Bonaventura in sex alis Prælatorum, ubi inter alia docet ponderandam esse culpam pro genere suo. "Nam insipiens," inquit, "quandoque magna pro parvis reputat, et levia quasi maxima ponderat, trabem festucam judicat, liquando culicem, deglutiendo camelum."[2] Sed cum tribus modis revocari a malo subditi consueverunt: charitate, pudore, timore; prudens Rector modo hoc, modo illo modo se geret. Et hoc est quod dicit Constitutio cum in declarationibus ita loquitur: "In correctionibus est advertendum, quod primo in charitate ac dulcedine, qui peccant, sunt admonendi: secundo in charitate quidem, sed eo tamen modo ut eis confusio et rubor injiciatur: tertio amori ea, quæ timorem incutiant, adjicientur."[3] Et recte, quia fieri potest ut quis 1°, errore peccarit, error autem est in intellectu, et hoc peccati genus charitate potius ac suavitate corrigitur; 2° autem, non solum errore et intelligentiæ vitio, sed etiam voluntatis, qui defectus rubore ac verecundia minuitur; 3° autem, potest esse negligentia quædam et remissio, seu incuria, et hæc timore corrigitur, quia ut ait S. Thomas: Timor rationem excitat contra negligentiam.[4] Porro pœnitentiæ quæ irrogantur, aut propter intelligentiæ vitium irrogari solent; aut propter vitium voluntatis; aut propter negligentiam, quæ tria, ut supra significavimus, a B. Patre enumerantur.[5] Perpende autem Constitutionem semper exigere charitatem et amorem etiam tum cum timor incutitur, et severe corrigendus

[1] Ibidem. [2] Cap. 3. § 4 et 5. [3] P. 3. dec. in. c. 1. § 15.
[4] S. 2. 2. q. 53 et 54. [5] Ex. c. 4. § 41.

est quispiam. Quia "justi cum severe corrigunt," Gregorius inquit, "internæ dulcedinis gratiam non amittunt, atque eorum amore ardent in quos aspera correptione sæviunt."[1]

Satis de iis qui pœnas imponunt. Sequitur ut de iis qui ferunt impositas paulo pluribus disseramus, eorum enim causa tota hæc suscipitur disputatio. Sed hic etiam duo videnda: Primum, Quo modo suscipiendæ et subeundæ; Secundum, Quanto sint præstantiores impositæ, æquo tamen animo toleratæ, quam sponte susceptæ.

Quo ad modum subeundæ pœnæ, tres conditiones Constitutiones exigunt: 1°, ut magna cum humilitate subeantur,[2] juxta Bernardum "Humilis quippe et verecunda debet satisfactio, qua emendatur superba transgressio;"[3] 2°, ut prompta cum voluntate;[4] 3°, ut cum vero emendationis, et spiritualis profectus desiderio.[5] Has tres conditiones Instituta nostra requirunt, in omni materia, causa, et gradu pœnæ. In omni materia, quia in omni genere pœnitentiæ, quæcunque illa sit; propterea dicitur in Examine, qui Societatem ingreditur interrogandus est an adimpleturus sit quasvis pœnitentias, videlicet etiam arduas, acerbas, et probrosas. Qua in re præclarus fuit apud Climacum Acacius quidam, qui gaudenti animo peracerbas a magistro sene, cui creditus erat, tolerabat pœnas.[6] Nam, præter reliquas injurias et ignominias pæne quotidianas, sæpe cubitum discedebat incœnatus: nec tamen questus est unquam, aut patientiam rupit, sed sui miserantibus respondebat, patres illos sui periculum velle facere.

Acerbas item sed non acerbo animo pœnas dedit Libertinus ille, cujus in Dialogis meminit B. Gregorius, cum ab Abbate irato scabellum incussum est capiti, ut injuriæ remanerent in ore vestigia, quærentibusque unde livorem contraxisset respondebat pridie se suis exigentibus meritis in scabellum incurrisse, tam sedato tulit animo

[1] Mor. l. 24. c. 16. [2] Exam. c. 4. § 41. [3] Serm. 4 in Cant.
[4] P. 3. c. 1. § 15. [5] Ibid. [6] Grad. 4.

pœnam illam. Arduas item plenasque ignominiæ pœnas pertulit B. Joannes Damascenus, cum in disciplinam traditus seni religioso apud Abbatis Sabæ cœnobium, dum piis quibusdam canticis, clam auscultante magistro, non tam ad relaxandum animum, quam ad incitandum spiritum se oblectat, ab austero sene acriter reprehensus, pœnitentiæ nomine jubetur sordidissima exsequi cœnobii munera, quisquilias universas evertere, et ipsa quæque contumeliæ vasa purgare, et monachorum omnium repurgare cubicula. Quod quidem supplicii genus tanta humilitate, tanta animi alacritate, eo vero sui emendandi et proficiendi in spiritu desiderio persolvit, ut in eo spectare licuerit tres illas, quas in obeundis pœnis B. Ignatius exigit, conditiones.

Porro conditiones easdem B. Pater exigit in omni causa impositæ pœnæ, in Quarto enim Examinis capite, § 41, dicit, Quæ imponentur propter quodvis erratum, defectum, et negligentiam nempe etiam levissimam, id enim est propter quodvis; et paulo ante § 33 dixerat: "et propter quidvis aliud," nimirum etiam si nulla sit causa peccati; et P. 3. c. 1. § 15, dicit: "et propter defectum non culpabilem," nempe cum sine nostra culpa in re quapiam deficimus. Quarum rerum etiam exempla non desunt apud sanctos. Nam propter erratum perleve Abbas quidam Alexandrini cœnobii, ut scribit Climacus, animadvertens quosdam invicem colloquentes, jussit eos per septem dies ad postes ostii cunctis intrantibus et exeuntibus se prosternere, quod illi magna animi summissione et alacritate fecerunt.[1] Propter levem etiam defectum et negligentiam dedit pœnas Abbati suo Paulo is, qui in magno cœnantium monachorum cœtu, quod paulo tardius susceptum ferculum intulisset, ab Abbate ipso insignem colaphum accepit, ut ex Cassiano supra memoravimus.[2]

Propter defectum non culpabilem pœnas cum humilitate et alacritate suscepit apud Climacum Macedonius quidam, primus Monasterii diaconus,[3] qui cum et ætatis

[1] Grad. 4. [2] Coll. 19. c. 1. [3] Grad. 4.

(erat nam senex) et antiquitatis in eo Cœnobio, et officii, dignitate præstaret; tamen quia ex Alexandria, quo necessitatis gratia perrexerat, et eadem necessitate tardius quam spoponderat revertisset, jussus est ab Abbate monasterio cedere, et in ultimo incipientium ordine se tenere. Propter quidvis aliud autem, et nulla culpæ causa, pœnam impositam humiliter et alacriter subiit dispensator quidam Monasterii Alexandrini apud eum, quem dixi Abbatem, vir pudicus ac moderatus, qui jussus est ab Abbate sane intempestive ex Ecclesia facessere; rogatusque a B. Joanne Climaco Abbas ille cur innocentem plecteret, respondit: exercitationis causa, et ut unius exemplo prodesset multis, et ut increpatione illa coronæ materiam et facultatem daret, ut supra significavi.[1]

Eædem conditiones requiruntur ab eodem nostro Patre in omni gradu et processu pœnæ. Tres enim esse possunt in excipienda pœna gradus, quos in Constitutionibus Pater indicat. Primus est in admittenda et accipienda;[2] pœnitentias vero hujusmodi prompta voluntate quisque admittere deberet. Alter est in subeunda et sustinenda; multi quippe sunt, qui prompte initio, et humiliter, et cum desiderio sui progressus impositam pœnam admittunt, qui tamen postea non libenter subeunt, et in agendo segnes sunt. De hoc dicitur in Exam. "Interrogetur an omnino velit subeundo et adimplendo quasvis pœnitentias, scilicet obedientem se exhibere;"[3] et § 41, "Pœnitentias pro erratis et negligentiis et defectibus injunctas magna cum humilitate subeundo." Tertius est gradus in explenda et perferenda usque ad ultimum; quoniam multi subeunt, et ad tempus aliquod sustinent alacriter et humiliter, qui tamen ea diuturnitatis tædio victi non explent, nec ad præstitutam diem patientiam tenent. Ideo de hoc dicitur, ibidem, adimplendo quasvis pœnitentias; prius dixit subeundo, postea adimplendo.

[1] Grad. 4. [2] P. 3. c. 1. § 15.
[3] C. 4. § 33.

Hic tertius gradus exigitur a nobis : et sanctorum virorum est, ut apud Climacum Isidori, qui septennium ipsum ad januam quotidie fratrum genibus, ab Abbate jussus, provolvebatur ;[1] et Macedonii cujus ante meminimus, qui, jussus in infimo incipientium ordine quadraginta dierum spatium consistere, non solum id pœnæ genus explevit, sed cum restitui in pristinum gradum se videret, exoravit Abbatem ut in eadem sibi liceret ignominiæ humilitate persistere. Atque hic est modus suscipiendæ pœnæ, quam in Constitutionibus noster exigit Pater. Sequitur ut, quanto sint præstantiores impositæ pœnæ quam sponte susceptæ, paulo pluribus disputemus.

Beatus Franciscus, Jesu Christi verus imitator, solitus est eum appellare beatum, qui disciplinam, accusationem, et reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet, ut a semetipso. Intelligebat enim hanc patientiam magni esse meriti, maximæque utilitatis. Et nos duobus his nominibus ostendemus pœnas impositas pœnis ultro susceptis longe præstare : Primum quia plus Deo videntur acceptæ, meritique majoris esse : Deinde quia plus habent utilitatis ac fructus.

Quoad primum. Pluris esse meriti conjici potest ex difficultate quam in subeundis experimur impositis. Quanquam enim non omnia, quæ difficiliora sunt, continuo meriti majoris existimanda sunt ; tamen, quia in superanda difficultate charitas elucet maxime, quæ radix est meriti, idcirco quæ sunt magis ardua, ea plerumque meriti sunt majoris occasio. Quinque autem sunt quæ pœnas impositas difficiles perpessu faciant, et difficiliores quam ultro susceptas.

1°. Quoniam impositæ non modo contra sensum, verum etiam contra voluntatem, aut certe præter voluntatem fere sunt : pœnæ vero ultro susceptæ unis dumtaxat sensibus adversantur, voluntati non item ; quæ autem con-

[1] Grad. 4.

tra voluntatem, ea magis urunt quam quæ ex voluntate accidunt; quidquid enim voluntarium est, nostrum est, nostra autem omnia magis nos, quam aliena delectant, etiam ipsæ pœnæ, et quæ doloris inurendi vim habent. Id ex eo liquet, quod plerique se ipsos accusant arguente nemine, et peccatores inclamant, ut animadvertit Gregorius: "Cum vero de culpa sua fuerint correpti, defensionis patrocinium quærunt."[1] Itemque multi multa, sponte sua, aspera et dura suscipiunt, quæ si ab aliis sint imperata, reclament; continuoque experiantur acerba, quæ paulo ante, quia sua erant, minus aspera videbantur. Imo licet multo sint breviora quæ imperantur, quam quæ sponte quæruntur, tamen, quia non ex nobis ortum habent, mordent acrius. Negat Xenophon labores Imperatoris æque graves ac militis esse, quia illius labores facit ipsum imperium leviores, in quo inest sua voluntas, militis autem graviores facit obsequium, et ipsa servitus. Quare, cum voluntas propria delectationem habeat, delectatio difficultatem minuit, qua delectatione cum careant impositæ pœnæ plus difficultatis habent, ac proinde etiam meriti, si Dei causa suscipiuntur alacriter. Imo si proprie loqui volumus, impositæ pœnæ magis dicendæ sunt pœnæ, quam quæ sua voluntate suscipiuntur, idcirco enim pœna peccato debetur, ut ait Thomas,[2] quia per pœnam justitiæ reparatur æqualitas, quando is, qui peccat nimis secutus voluntatem suam, aliquid jam patitur contra voluntatem. Patitur autem quispiam multo magis contra voluntatem suam per pœnam impositam, quam per pœnam ultro susceptam, licet hæc etiam voluntati, scilicet appetitui inferiori repugnet.

Sed objiciat aliquis, Pœnas quas nobis ipsis imponimus vim majorem habere merendi, quia plus habent voluntarii: impositas vero minus habere meriti, quia minus voluntarii, imo sæpe cogimur vel inviti subire. Et confirmatur; quia mortuorum animi, qui purgatoriis ignibus expiantur, quia

[1] Mor. l. 22. c. 14. [2] S. 2. 2. q. 108. a. 4.

necessitate, non voluntate patiuntur, minime merentur. Sed facilis est responsio, quia licet cogi quodammodo videamur cum pœnas subimus impositas, tamen coactio illa voluntaria est. Hoc enim animo ad Religionem accessimus, ut si quando peccaremus corrigeremur, et pœnas legibus solveremus. Deinde pœnas impositas ne tum quidem inviti subimus, cum primo imponuntur, licet enim eas caro refugiat, et initio etiam voluntas, attamen postea recta voluntas amplectitur, et quod erat necessarium, et pæne coactum, efficit voluntarium et quodammodo suum, unde oritur meritum. Qui vero igne purgante vexantur, eorum pœnæ, quamvis voluntariæ omnino non videantur, dum necessario irrogantur; tamen, quia Dei voluntate delectantur et gaudent, et ad illum per eas pœnas cito sperant evadere, idcirco vere sunt voluntariæ. Malunt enim igne illo purgari, quam cum ulla macula, vel tenuissima, in Dei venire conspectum. Nec tamen, quia voluntariæ sunt, idcirco merentur: sed ideo non merentur, quia sunt extra terminum viamque merendi. Viatorum autem tantum est meriti, non eorum qui viæ terminum attigerunt.

2°. Id quod pœnas impositas difficiliores facit quam ultro susceptas, est ignominiæ dedecus quod illæ fere adjunctum habent, nostræ vero laudem potius et decus habent. Imo quod omnium difficillimum perpessu est, quodque maxime urit in irrogata pœna dedecus est, quo sublato non magna admodum censenda pœna est, etiam si corpus excruciet et sensum lædat, quia cruciatus animi, quos infert ignominia, majores sunt quam corporis cruciatus, ut docet S. Thomas.[1] Cujus rei indicium esse potest, quod dolores corporis sponte quis suscipit ut effugiat animi, multique malunt vitam corporis, quam honorem, qui in bonis animi numeratur, amittere.

Oritur in inflicta pœna dedecus triplici ex fonte. Primum, quia cum pœna afficimur existimamus nos par-

[1] S. 1. 2. q. 35. a. 7.

vipendi : ut enim honor testimonium est excellentiæ, auctore Thoma,[1] sic pœna videtur inertiæ. Quo quis autem ætate provectior, eo magis illatæ pœnæ sentit aculeos, quia talis sibi videtur, cui reverentia debeatur non parvipensio, parvipendi autem est iræ fomes et materia doloris, ut docet in Rhetoricis Aristoteles.[2]

Secundum, oritur dedecus ex culpa qua pœna luitur, culpa quippe sua natura turpis ac probrosa est. Argumento est quod, cum leves ob culpas plectimur, quia minus habent dedecoris, minus commovemur ; contra vero, cum graviores ob culpas pœnas damus, licet pœnæ ipsæ sint leviores, exurimur et torquemur. Ideo culpam tegimus et excusamus, cum velut rei deferimur et traducimur, nimirum propter verecundiam, quia probrosa, ut diximus, et indigna homine res est culpa. Deinde, quia reprehensiones ipsæ admonitionesque verborum, licet pœnam non habeant adjunctam, quia tamen culpam continent, erubescimus et pudore suffundimur.

Tertium, oritur dedecus ex ipso pœnæ genere : aliæ enim aliis magis contumeliosæ et dedecorosæ sunt, vel ex sua natura, aut opinione hominum, vel quia probrosis constitutæ sunt culpis : quales erant apud veteres monachos constitui in incipientium ordine, pelli ad dies aliquot monasterio, pro foribus excubare postratum, et ingredientium et egredientium preces suppliciter exposcere. Apud nos autem publica objurgatio, atque exprobratio culparum, verberum disciplina, a studiis literarum amoveri, suffragii jure privari, et id genus alia. Hoc magis cernitur in politicis publicisque rebus, in quibus, pro criminum genere, aliæ aliis minusve infames aut dedecorosæ sunt pœnæ. Dedecus igitur ac nota, quam pœna continet irrogata, difficiliorem eam perpessu facit, in qua difficultate pro Christo vincenda haud dubie multum inest meriti atque mercedis. Nam, ut ait Anachoreta Marcus, "quantamcunque pro Christo ignominiam

[1] S. 2. 2. q. 103. [2] L. 2. Rhet.

quis pertulerit, tantum in centuplo magis a multitudine gloriæ consequetur."[1] Objicies: etiam pro peccatis ultro pœnas damus, easque a Superioribus et præpositis flagitamus; quid igitur hæ pœnæ vindicare sibi laudis et gloriæ possunt, cum peccata ipsa sua natura sint turpia? Respondeo, omnino multum; nam propria animadversio et confessio delicti sua laude non caret, ut Bernardus ait: "Confessio laudabiliter sonat in ore."[2] Laudabile est et suum agnosse peccatum, arguente nemine, et agnitum voluisse punire; quemadmodum pictori suam tabulam corrigenti et vitia ab se, non ab aliis, animadversa tollenti, majori gloriæ ducitur, quam si vitia illa vel alterius admonitione vidisset, vel ab alio correcta atque emendata fuissent.

3°. Id quod difficiles et arduas reddit impositas pœnas, est aliqua interdum iniquitatis opinio, quia sine causa videntur imponi, vel certe levi de causa. Sæpe enim accidit, ut Præpositus vel quia non satis cognovit ex delatore peccatum, vel etiam ad probandam eorum, qui parent, virtutem, sine causa pœnam infligat; sine causa autem plecti vehementer angit. At conscientiæ solatium et innocentiæ minuit potius quam auget dolorem. Respondet S. Thomas:[3] innocentia patientis minui quidem dolorem quoad numerum, propterea quod nocens cum patitur dolet non solum ob pœnam, verum etiam ob culpam, qua cavet innocens; ceterum dolorem innocentis ex ipsa innocentia adaugeri, quia pœnam temere, minimeque sibi debitam sentit illatam. Nocens autem, etiam si doleat ob pœnam simul et culpam, tamen quia jure videt inflictam pœnam, et hanc sibi deberi, paululum acquiescit, et hoc solatii genere, quo cavet innocens, se sustentat. Angitur etiam innocens, quod sons ab aliis et reus, et pœna dignus habetur, non sine magna nota. Testis est mitis ille Paphnutius apud Cassianum, cujus in cubiculo cum codicem inter plectas

[1] De lege Spir. [2] De grad. superb. c. 14. [3] Par. 3. q. 46. a. 6.

palmarum frater æmulus abscondisset, ut eo reperto furti insimularetur;[1] is, ex ecclesia injuria pulsus, continenter lacrymas in oratione fundebat. Levi autem de causa cum inferuntur pœnæ, præsertim graviores, justam videntur querelarum ansam dare, ut de iis monachis supra diximus apud Climacum, qui violati silentii rei, graves septem dierum dedere pœnas.[2] "Correpti autem mens," ut Gregorius ait, "ad odium repente proruit, si hanc immoderata increpatio, plus quam debuit, addicit."[3] Ergo hic patientiam tenere et sibi ipsi imperare, magnæ virtutis est, magni meriti. Pœnæ vero ultro susceptæ nunquam injuria, nunquam sine causa suscipiuntur. Nemo enim in se injustus est, et volenti nulla fit injuria, abest igitur a nostris pœnis hoc arduum, et hoc difficile, quo quis angitur injuria et immerito se pœnas dare.

4°. Alia quæ oritur in subeundis pœnis impositis difficultas, est pœnarum delectus, qui a Præpositis, non ab iis qui eas pendunt et persolvunt, habetur. Nam cum pœnas nobis ipsi deposcimus, sæpe nobis parcimus et ignoscimus, easque deligimus fere quæ nobis ipsis placent. Omnisque earum moderatio ac mitigatio penes nos ipsos est. At cum eas nobis Præpositus et Rector imponit, penes illum est tum magnitudo pœnæ, tum genus; penes ipsum quoque opportunitas aut importunitas imponendi, sæpeque imponet cum minime animo parati sumus, quod in nostris non accidit pœnis. Hæc est causa quare, cum mitius agere cum hominibus voluit Deus, eos interdum ad suscipiendas sua voluntate pœnas, ne Ipse cum fœnore majoresque cogeretur infligere, cohortatus est. Sic Ninivitas, legimus, ad prædicationem Jonæ sua sponte ad luctum et pœnitentiam fuisse conversos, qua perspecta Dominum continuisse iram, ne acerbius eos plecteret.[4] Cum David quoque, qui temere populum numeraret, ut mitius ageret, optionem ei dedit pœnarum

[1] Coll. 18. c. 15. [2] Grad. 4. [3] Reg. pastor. p. 2. c. 10. [4] Jonas 3.

ex tribus propositis generibus. Ubi enim voluntas nostra ad pœnam propensior est, ibi efficitur et evadit pœna ipsa placidior. Quare in eligenda pœna cum habendus sit delectus tum generis, tum magnitudinis, tum etiam opportunitatis ac temporis, isque non ab eo qui plectitur et pœnas luit, sed ab eo qui plectit et punit, multo profecto difficilior existimanda est imposita pœna, quam ultro suscepta, multo majoris illa meriti, quam hæc.

5°, Id quod in pœnis irrogatis difficultatem auget est irrogandi modus, qui triplex esse solet. Unus est cum pœna præter expectationem imponitur indicta causa, et repente opprimitur imparatus, interdumque aliis agitatus curis atque molestiis. Inopinata autem omnia et repentina magis urunt, quam prævisa et expectata. Recte enim in ea verba Job 16. "Ego ille quondam opulentus repente contritus sum," inquit Gregorius, "In eo quod se repente contritum asseruit, infirmorum mentem improvidam designavit. Qui dum mala, quæ futura sunt, prævidere nesciunt; tanto eis graviora fiunt, quanto et ab eis inopinata tolerantur."[1] Jam plerique mortalium mentes gerunt infirmas, et ideo plerique magis inopinatis, quam prævisis anguntur. Inopinatus fuit colaphus ille impactus ab Abbate Paulo monacho ministranti, de quo nos supra ex Cassiano Coll. 19. c. 1.

Alter irrogandæ pœnæ modus est, cum ad pœnam gravis adjungitur objurgatio atque exprobratio, quæ ipsa sæpe fodit animum acrius, quam ipsa pœna. Talis fuit ea qua Alexandrinus ille Abbas, cujus supra meminimus, monasterii affecit œconomum; nam prius graviter in hominem invectus, projici deinde illum ex Ecclesia jussit.[2] Tertius solet esse modus, cum Præpositus eum, qui deliquit, perturbato forte animo non paterno castigat; id enim graviter vulnerat ejus qui corripitur animum, et bilis bilem provocat, et ira iram. Ut autem in iis, qui beneficia conferunt, plus sæpe animus ipse delectat quam

[1] Moral. l. 13. c. 14. [2] Climac. grad. 4.

beneficium: sic, qui pœnas inferunt plus sæpe doloris inurunt commoti animi significatione, quam pœna: perturbati enim exemplum fuit apud Gregorium Abbas ille, quem Libertino diximus incussisse scabellum.

In pœnis vero nostra voluntate susceptis nihil tale est, neque enim repentinæ aut inopinatæ suscipiuntur; nulla exprobratio, aut objurgatio adjungitur; nulla animi perturbatio aut iracundia, nisi forte quam peccati pudor exprompsit, et ea voluntaria ac nostra. Quare cum multo difficiliores irrogatæ sint pœnæ quam ultro susceptæ, si et irrogandi modum, et pœnarum delectum, et injustam sæpe causam, et ignominiæ dedecus, et voluntatis invitæ fugam spectare volumus; relinquitur, ut si placide sedateque ferantur propter Christum, longe majoris meriti mercedisque putentur?

Quoad secundum. Quoniam ex majore difficultate majoris etiam esse meriti pœnas impositas, quam ultro susceptas, ostendimus; consequens est, ut etiam doceamus plus habere utilitatis ac fructus. Sex autem rebus videntur utilitate præstare.

Prima utilitas est quod irrogatæ melius curant animi vitia, quam sponte susceptæ, sicut medicorum curationes plus prosunt ægrotis, quam eæ quas sibi ipsi præscripserint; tum quia Præpositus melius novit quæ cuique morbo admonenda sit curatio, tum quia impositæ cum magis urant, magis etiam memoriæ inhærent. Nam, ut ait Nazianzenus ad Arianos, ejus qui patitur tenacior esse memoria solet, dicit etiam proverbium: "Cui dolet, meminit." Quo admonemur ne in eadem iterum incidamus. Nullæ enim medicinæ, ut ait ille, tam sunt salutares, quam quæ faciunt dolorem. Sunt namque veluti cauterium, ut de objurgatione dicit Climacus,[1] quo noxii avertuntur humores et extrahuntur, ne in eos morbos, quo natura prolabitur, decidamus. Itaque usu ipso didicimus, ab iis nos cavere delictis, quorum causa multati sumus: cum tamen non

[1] Grad. 4.

ita facile caveamus ab iis, quæ nos ipsi voluntaria castigatione punivimus. Hæc est illa virga Salomonis "quæ tribuit sapientiam,"[1] et Augustinus in illud Ps. 38. "Pro iniquitate corripuisti hominem," legit Erudisti; quia correptio eruditio quædam est ut sapentiores in posterum simus, nec velimus iterum, unde corripiamur, admittere.

Secunda utilitas est quod imposita pœna nos nobis et Præpositis nostris perspectos facit: omnis enim correptio, ut Chrysostomus ait, similis est cæteris tentationibus, tentatio autem nos nobis aperit, et cæteris hominibus. Nam si cum quid pœnarum injungitur facile commoveor, si fero graviter et indigne, jam imbecillitatem agnosco meam, jam sentio quam longe adhuc a perfecta virtute absim. Itaque demitto ipse me, nec meæ credo virtuti, studeoque vigilantius in cursu excubare virtutis, ne si minoribus tam facile quatior, majoribus tentationibus omnino dejiciar. Sin autem illatam pœnam moderate fero, si mihi ipsi succenseo, et boni consulo correctionem, jam intelligo mecum adesse Deum, incipioque de meis bene sperare progressibus: quia "Patientia probationem operatur, probatio vero spem."[2] Et, ut ibidem Chrysostomus ait, "Sicut fideles magis tentatio ædificat, ita religiosum meliorem efficit increpatio; et hic est ille qui fit, auctore Paulo, 'cum tentatione proventus,'[3] qua ego spe et consolatione sustentor."

Præpositis etiam nostris irrogata pœna nos aperit, id quod in lucris non exiguis numerandum est, quia per eam vires nostras explorant, et intima quæque perspiciunt, ne qua specie fallantur externa. Non enim ut vulgo dici solet, quidquid splendet et suo nos fulgore perstringit, id continuo aurum est: sæpeque usu venit, ut qui minore videbantur virtute muniti atque ornati, acriore tentati supplicio, reperiantur omni opinione meliores. Contra vero qui prælucere cæteris morum elegantia videbantur, longe deteriores deprehendantur. Et recte in re non absimili

[1] Prov. 29. [2] Rom. 4. [3] 1 Cor. 10.

Augustinus: "Cum ligna," inquit, "deasciantur a fabris et probantur, aliquando in superficie videntur quasi læsa et putrida, faber autem inspicit tanquam medullam interiorem ligni, et si sana interius agnoverit, promittit in ædificio duratura, nec valde erit de superficie læsa solicitus, quando id quod interius est sanum renuntiat.

Eodem modo Præpositus cum cuipiam pœnam irrogat, si animadvertit eum placide ferre, non excusare culpam, non conqueri, non obmurmurare, promittit hunc in Religionis ædificio duraturum; nec externa quadam specie, quæ persæpe fallit, sollicitus erit, modo id quod intus est sanum integrumque cognovit. Sin autem deprehendat secus, admonere curationes incipit, ne qui vitiosus intus sit depravetur amplius, si funditus negligatur. Notitia igitur nostri pectoris, quam per pœnas impositas Præpositus adipiscitur, in nostram redit utilitatem. Quo bono caret illud pœnæ genus, quod nobis ipsis assumimus.

Tertia utilitas inflictæ pœnæ est, quia majorem nobis virtutis facultatem suppeditat ac materiam, quam sponte suscepta. Quanquam enim dum mihi pœnas irrogo, aut humilitatem colo, aut corpus ratione subjicio, tamen major adhuc in imposita subeunda ac ferenda inest exercitatio virtutis. Quisquis enim, quam imponit Præpositus, eam libenter excipit, 1°, voluntatem suam frangit in re sensibus inimica, quæ quidem perfectæ obedientiæ testificatio est. Diximus enim supra, hoc etiam nomine, videri arduas impositas pœnas, quia fere contra voluntatem nostram sunt: frangere autem subito voluntatem suam, eamque ad nutum corripientis accommodare, magna laus virtutis est et genus quoddam heroicæ fortitudinis, ut de hoc potissimum illud Salomonis dici posse videatur: "Vir obediens loquetur victoriam."[1] Vincit enim reluctantem voluntatem, eique acriter imperat.

2°. Idem humilitatem exercet, premitque superbiam multo vehementius, quam cum de se ipse pœnas sumit,

[1] Prov. 21.

quia, ut supra dictum est, imposita ab alio dedecus habet et ignominiam quandam; ignominiæ autem perpessio animi ferociam et fastum omnem deprimit. Quare Climacus, "Modicus," inquit, "ignis plurimum ceræ mollinit, modicumque contingentis ignominiæ omnem sæpe cordis feritatem mollinit."[1] Simile quod scribit Dorotheus: "Sua sponte," inquit, "ad vilia munera currere, non est admodum magni profectus, quin etiam fieri potest ut vana sit gloria; at cum vile tibi aliquid et contemptibile imperatur, neque repugnas, tum vere illud tibi fit ad profectum."[2]

Exercet 3°, fidem divinæ justitiæ quisquis pœna afficitur sive jure, sive injuria, dum ad sua peccata retorquet oculos, et pejus esse meminit quod illa merentur; nam, ut ait Gregorius: "Tunc illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad male perpetrata recurrimus: leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est quod mereremur."[3] Meminit etiam nihil abire impune apud Deum, qui, et quando et quomodo unumquodque peccatum puniendum sit, novit. Cujus rei exemplum luculentissimum est apud Ephræm,[4] de tribus illis qui ob falsa crimina in custodiam inclusi sunt; et de se ipso, qui in eodem versatus est carcere. Et vere qui dicit "Inique patior quod patior," Augustinus inquit, "illum iniquum facit cujus judicio patitur, se autem justum, qui inique patitur."[5] Quisquis igitur injuria plecti sibi videtur, pie se et ex virtute gerit, si in Deum supplicium referat, et ab eo se plecti credat, si non ob eam quæ plectitur rem, certe alias ob culpas, quas pœnitendo non diluit.

Exercet 4°, patientiam et tolerantiam, etiam cum pœna durior imponitur, ut de B. Damasceno diximus, et de Acacio, qui suis a magistris tam severas impositas pœnas adeo sedate patienterque tulerunt. Assuescit etiam 5°, orandi studio et piæ precationi, præsertim cum ex im-

[1] Grad. 4. [2] Serm. 21. [3] Moral. l. 30. c. 10.
[4] Serm. de sui ipsius reprehen. [5] In Ps. 74.

proviso, nec opinantem pœna quæ irrogatur oppressit, ne videlicet subito discrimine prosternatur, et sicut triticum exagitetur a Satana: minima enim nos quæque dejiciunt, adeo imbecilles ubique sumus. Sic faciebat, qui dicebat: "Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi;"[1] quia enim dolorem invenit, idcirco nomen Domini invocavit. Quare Gregorius: "Pia mens," inquit, "cum se adversa ab hominibus perpeti conspicit, in divinæ gratiæ consolatione requiescit; cumque tentationum procellas increscere extrinsecus viderit, secessum spei Dominicæ appetens, intra conscientiæ portum fugit."[2] Et S. Marcus Eremita: "Si volueris," inquit, "indesinenter Dei memor esse, ne averseris ejus correptiones et pœnas, sed velut juste venientes, tolera. Si quidem tolerantia in singulis malis accidentibus Dei memoriam renovat ac refricat."[3]

Impellit igitur nos ad orationem imposita pœna præsertim cum est gravior et repentina. Maxima igitur in ea utilitas inest, si pie sancteque toleretur. Ut non sine causa Joannes Abbas,[4] ei, qui se ad Dei servitutem conferebat, id consilii dederit, ut quæreret sibi magistrum unum omnium asperrimum, sub quo continenter objurgationes et contumelias, tanquam mel et lac, hauriret; tanti erat apud eum hæc, de qua loquimur, exercitatio virtutis. Et in vitis fratrum Ordinis Eremit. memoriæ proditur, cum quidam frater ex cœnobio ubi severior administrabat Abbas, ad aliud se transferre meditaretur, admonitum esse a B. Joanne Baptista, cui præcipuo quodam studio erat addictus, ne discederet, quod ei salutare foret si sub ejus Abbatis disciplina ad mortem usque persisteret.

Quarta utilitas est, quod magis imposita, quam suscepta sua voluntate pœna occultos hostes enervat. Primum, quia diabolo, qui animarum quærit interitum, pœna ad emendationem imposita non potest non esse molesta atque invisa: deinde quia tanta virtutis et humilitatis

[1] Ps. 114. [2] Mor. l. 2. c. 14. [3] Disp. 3.
[4] Apud Climac. grad. 4.

exercitatio ei est inimica, cum ipse sit superbus ; iterum, quia qui pœnam a Præposito inflictam sedate fert, subjicitur libens potestati, potestati inquam legitimæ et ordinatæ quæ a Deo est, imo quæ ipsius Dei est, cui diabolus subjici noluit propter insignem intolerandamque superbiam, velletque omnes homines sui similes esse. Ut autem qui ordinatæ potestati resistit, Deo resistit, ita qui ei se libenter subjicit, ei se subjicit : subjici autem Deo vera humilitas est, quæ est hostibus adversaria, et eorum vires infringit atque enervat.

Quod autem pœna ad emendationem imposita diabolo sit inimica, declarant exempla Sanctorum. Scribit enim Gregorius in Dialogis,[1] B. Benedictum virga usum in monachum vagum, qui suadente diabolo ab oratione discedebat, nigrum ex eo abegisse puerulum, is autem nequam spiritus erat, ac deinceps monachum illum in orandi officio confirmasse. Sic antiquus hostis, ut Gregorius ait, non est ausus in ejus cogitatione dominari, ac si ipse percussus fuisset ex verbere. Idem narrat, alium monachum vexatum a malo dæmone, alapa a Benedicto cæsum, continuoque a maligno et improbo spiritu liberatum. Climacus[2] etiam scribit monachum quendam gravi tentatione jactatum, cum eam indicasset Abbati, levi ab eo alapa liberatum. B. quoque Reginaldus,[3] unus ex primis Dominici discipulis, dæmonem virgis profligavit ex fratre, qui graviter cum tulisset increpationem, nudari eum ad humeros jussit, virgisque cæsum, oculisque ad orationem intentis, revocavit ad frugem. Idem Novitium,[4] fugam adornantem, tamdiu nudis humeris verberavit, dum ille pulsum a se dæmonem sensit, et mente constitit.

Quinta utilitas impositæ pœnæ major etiam est quam ultro susceptæ, quia magis nos a peccatis noxisque perpurgat. Purgat autem expiatque nos, cum a culpa, tum a pœna (loquor autem de iis, quæ necessario sacramentum pœnitentiæ non exigunt). Insunt in omni peccato duo.

[1] L. 2. Dialog. c. 4. [2] Grad. 4. [3] In Chron. [4] Ibid.

Quorum alterum est aversio quædam a Deo Summo Bono; alterum autem conversio ad ea quæ sunt creata. Aversio non est sine ejus qui nos creavit injuria, et ejus honoris diminutione, quoniam ab eo recedimus qui est summum bonum, et bonorum omnium fonte derelicto, fodimus nobis "cisternas, quæ continere non valent aquam."[1] Conversio vero ad res creatas non est sine voluntate ac dulcedine sensus. Ergo id pœnæ genus optimum, quod et honoris Deo oblato injuriam quodammodi sarcit, et voluptarii sensus cupiditatem punit. Tale est illud quod et ignominiam continet et dolorem: ignominiam, qua violatus honos quodammodo compensetur, nec enim plane et vere compensari potest unquam; dolorem vero, quo castigetur et puniatur percepta voluptas. Pœna igitur illa, quæ et plus ignominiæ continet et doloris, ea aptissima est ad dolendum expiandumque peccatum. Jam vero pœnam impositam plus habere dedecoris, eandemque plus doloris inurere saltem animo, quam ultro susceptam, jam ante docuimus, quia et ex improviso, et contra voluntatem fere accidit. Ea igitur magis a peccato nos expiat, et magis purgat.

Quanquam autem imposita pœna sensum sæpe non magis lædit et excruciat, quam ultro suscepta, tamen magis afficit et lædit animum, cum adversetur voluntati. Dolor autem animi major est quam corporis, ut supra diximus. Deinde licet dolor sensus in suscepta sua voluntate pœna major esset, tamen quia in peccato multo major est aversio a Deo, quam ad rem creatam adjunctio, idcirco ignominiam, quæ aversioni illi respondet, multo majorem necesse est esse, quam inflictionem doloris. Cum autem ignominia multis partibus major sit, imo sola sæpe sit in impositis pœnis, quam ultro susceptis, jure dicuntur illæ magis nos a culpis noxisque purgare. Confirmatur ex similitudine sacramenti Pœnitentiæ, in quo sine verecundia, humilitate, et dedecore confessionis non

[1] Jer. 2.

remittitur culpa. Ferre autem pacate sedateque impositam pœnam, præsertim publice, quid aliud est, nisi palam et coram omnibus, ejus se culpæ reum pro qua plectitur, confiteri? Cujus quidem ignominiæ perpessionem legimus tantam aliquando vim habuisse, ut etiam gravissima peccata, nullo adhibito sacramento (neque enim divina virtus perpetuo alligata est sacramentis), plane deleverit. Narrat quippe Climacus latronum quendam resipiscentem, et monachum se fieri cupientem, ab Abbate jussum in conventu monachorum omnium sua peccata narrare; dum imperata facit, commeruisse ut ei Deus omnia vitæ scelera condonaret, visumque esse Angelum Dei unumquodque peccatum, ut ille pandebat, ex ordine calamo inducere et de tabella delere; tantam vim habuit hujus ignominiæ perpessio. Narravitque Abbas ille Climaco idcirco id pœnæ genus imposuisse latroni, ut per temporale dedecus ab æterna ignominia liber esset.

Quod autem ejusmodi ignominiæ perpessio, æquo animo toleratæ, tantam vim habeat docent etiam Sancti; et quidem sæpe is quem nominavi Climacus Grad. 4. "Per salubrem," inquit, "objurgationis potionem, animi lascivia et luxuria purgatur." Et supra dixerat: "Qui increpationem sive cum labore, sive sine labore suscipit, cito suorum delictorum venia et remissione potietur."

Dorotheus etiam, Ser. 21, probat ignominiæ tolerantiam valere ad remissionem peccatorum et debiti, ut apud homines, qui alteri debet, si forte ignominia publice a creditore officiatur quod debitum non persolverit, erubescit, et sic debitum solvit. Itemque Marcus Anachoreta de Lege Spir.: "Probro," inquit, "et contumelia lacessitus ab aliquo, fac ne animo tecum cogites quod est præsens, sed futurum. Atque ita certo invenies eum multorum bonorum tibi fuisse auctorem, non tantum in hoc seculo, sed etiam in futuro." Ex quibus omnibus effici potest eum, qui impositas pœnas humiliter ac libenter admittit, liberum fore a multis

luendis in purgatorio pœnis, aut certe ab iis, quas hic imponeret Deus, haud dubie multo gravioribus. "Quia," ut ait Gregorius, "delictum ille sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit."[1]

Habeamus igitur gratiam impositis pœnis, "quarum interventu (ut de contumeliis illatis Gregorius loquitur) Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur."[2] Ac meminisse debemus quod ad suos fratres scribit Bernardus: "Dum creditis vos cavere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur, usque ad novissimum quadrantem."[3] Existimat autem B. Gregorius illum ignem "omni tribulatione præsenti intolerabiliorem."[4] Et idem affirmat in Moralibus: "Piorum conscientiæ grande sibi conferri præmium credunt, cum de quibusdam modo suis actionibus illicitis arguuntur. Proponunt etenim ante oculos cordis, quia districtum Dei judicium tanto verius tunc super eos mitigabitur, quanto nunc acrius arguente homine prævenitur."[5] Ideo B. Beltranus dicitur eorum, quibus præerat, noxas vel minimas consuevisse punire, ne purgatoriis essent ignibus puniendæ.

Postrema utilitas est quod plus ad exemplum prodest inflicta pœna, quam sponte suscepta; idque dupliciter. Primum, quia cæteros a peccando deterret, ut ait, Gregorius: "Dum peccata asserta objurgatione sanantur, ii qui imitando deliquerint corriguntur;" et, ut ait alibi: "Dum unus corrigitur, plurimi emendantur." Sicut autem meliores sunt quos dirigit amor, Augustino teste,[6] ita plures quos corrigit timor; propterea Paulus Timotheum hortatur, "Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant."[7]

[1] Mor. l. 9. c. 34. [2] Mor. l. 30. c. 10. [3] Ser. de Obitu Humb.
[4] In Ps. 3. Pœn. [5] Mor. l. 26. c. 3. in Job. 34.
[6] Ep. 30. ad Bonifac. [7] 1 Tim. 5.

Deinde, quia solidior patientiæ laus in perferendis impositis, quam in susceptis, elucet. Quos enim tuo non erudias exemplo, cum eas humiliter admittis nec obmurmuras, cum eosdem vultus, eandemque frontem geris, cum de corrigendo peccato continuo cogitas, cum animum non demittis et contrahis, sed constantiam et patientiam tenes? Declarat illius monachi, cujus ex Cassiano meminimus supra, ob acceptam ab Abbate alapam, patientia. Quod "idcirco ab Abbate factum est," Cassianus scribit, "ut cunctis qui aderant juvenis patientiam patefaceret, et omnes, qui interfuissent tali spectaculo, modestiæ erudirentur exemplo."[1] Quam maturo autem id senior consilio fecerit, res probavit, "Nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi lenitate suscepit, ut non modo nullus fuerit ex ejus ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum; sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcumque mutatus."[2] Quid? quod ipsis quoque magistris patribusque spiritualibus discipulorum in toleranda modeste pœna prodest exemplum? Ut cerni licuit in eo, quem supra nominavimus, Libertino, cujus patientiæ ac lenitatis exemplum ferociam fregit Abbatis. Sic actum est, quod in Dialogis Gregorius ait, ut ad magnam mansuetudinem perduceretur pater, et humilitas discipuli magistra fieret magistri. Quod ipsum dici potest de illo, qui supra nominatur Acacio, cujus patientiæ admirabilis recordatio magistrum ferocissimum adeo mansuefecit, ut post discipuli funus sobrie vixisse, et pone ejus tumulum cellulam extruxisse dicatur. Atque hæc de utilitate et præstantia impositæ pœnæ, et de toto genere pœnitentiæ, ad laudem et gloriam Christi Jesu. Amen.

[1] Coll. 19. c. 1. [2] Ibid.

OPUSCULUM SEXTUM.

DE FERENDIS ÆQUO ANIMO DELATORIBUS. JUXTA REGULAM 9 SUMMARII EX EXAMINE C. 4. § 8.

"Ad majorem in spiritu profectum, et præcipue ad majorem submissionem et humilitatem propriam, contentus esse quisque debet etc." In duas partes dividi hæc Constitutio potest, ut altera delationis utilitatem exprimat, altera ejus perferendæ difficultatem indicet. Prior, ab initio progressa, usque ad ea verba pervenit: Contentus esse quisque debet, etc.; posterior ab his ipsis verbis usque ad calcem. Utilitas autem duplex tangitur, altera universalis, ut cum generatim dicitur: Ad majorem in spiritu profectum; altera particularis, ut cum nominatim adjungitur: Et præcipue ad majorem submissionem, etc. Utraque igitur utilitas explananda.

Et "ad majorem quidem in spiritu profectum" valere plurimum si ad Superiorem errores nostros defectusque deferri patiamur, planissimum est; quia cum necessarium sit ad eam rem nosse vitia sua, erroresque qui in via spiritus forte incidunt, nulla profecto melior est ea noscendi ratio, quam si Superioribus indicentur. Esse autem necessarium ad spiritus incrementa progressionemque virtutis sua vitia nosse, statuo id tanquam certum ac fixum, ex usu scilicet atque experimento cæterarum artium, quæ percipi sine vitiorum animadversione non possunt. Quisquis enim eas conetur addiscere, nemine ostendente, quæ admittuntur errata! Is aut non bene eas tutoque perdiscet, aut ad earum perfectionem absolutionemque nimis sero perveniet. Errores enim in omni

facultate sibi comparanda necessarii propemodum sunt, qui cum a peritis fuerint indicati, quantum de vitiis erratisque quotidiana admonitione detrahitur, tantum de arte ac disciplina paratur; ut merito inde fluxerit illud adagii: Errando discitur, quia dum frequenter erratur, et per monitorem corrigitur error, ipsa videlicet disciplina perficitur. Quod idem valere debet in hac una omnium difficillima spiritualis vitæ arte, quæ, nisi ad corrigendos errores, qui crebro ac frequenter incidunt, diligens observator accedat, profecto aut admodum sero, aut non satis commode poterit comparari. Perspicua est igitur sua vitia noscendi necessitas. Quod autem nulla melior ea sit noscendi ratio, quam cum ad Præpositum deferuntur, id hac ratiocinatione conficitur. Nam triplex noscendi ratio fingi potest: prima quidem, cum ea nos ipsi nostro studio atque inquisitione dispicimus; altera, cum æqualium aut amicorum admonitione ea cognoscimus; postrema, cum ad Superiorem, qui ea in nobis corrigat, deferuntur. Hæc duabus antecedentibus, quamvis optimis, valde præstat; ex his enim alia alia melior est.

Ac prima quidem, quæ nostro studio comparatur, partim in sui pactoris discussione, partim in pia precatione posita est. Nam et examen speculum est conscientiæ, ut Bernardus appellat, in quo vitia nostra cernimus, quodque verus pœnitens, ut ille ait, "non cessat quotidie inspicere, tergere, ac tenere."[1] Et sancta deprecatio ad dispicienda peccata lumen affert, juxta illud David: "Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur;"[2] eademque Sanctum Spiritum in nobis gignit, cujus est arguere de peccato;[3] et quem Diadocus "lucernam cognitionis"[4] appellat, propterea quod quidquid est in anima vitii ac tenebricosi ejus splendore deprehenditur.

Hæc igitur optima est illa quidem sua vitia perspiciendi ratio, sed melior adhuc est altera, quæ ex amicorum admonitione proficiscitur; et quatuor fere de causis.

[1] De Inter. Dom. c. 6. [2] Ps. 33. [3] Joan. 16. [4] C. 28.

1°. Quia alii, cum sine animi perturbatione sint, vitia nostra melius cernunt atque dijudicant quam nos ipsi, qui "propterea quod naturaliter se ipsum quisque amat,"[1] ut Basilius ait, non satis illa dispicimus, neque facile nos ipsi cognoscimus. S. Diadocus, "paucissimorum," ait, "esse suos lapsus perfecte nosse, propter cupiditatem mundi mentis oculos perturbantem, quæ tamen ipsa comes est philautiæ." 2°. Quia non omnes studium adhibent discutiendi se ipsos, et in sua vitia semper inquirendi; torquet enim animum solicita sui ipsius inquisitio atque observatio, ut ait Seneca.[2] 3°. Quia non vult Deus ipse nos per se semper instituere atque erudire, ut humilitatem teneamus; sed ita ejus sapientia comparatum est ut homines ab hominibus instituantur ac doceantur. Sicut cuidam ex priscis illis Patribus angelus indicavit,[3] qui cum inter sacrificandum consecrationis formulam perperam pronunciaret, nec unquam ab angelo, qui ei in sacrificio frequenter apparuit, sui errati fuisset admonitus, silentii causam sciscitanti respondit angelus: Ita comparatum a Deo, ut homines ad hominibus moneantur. 4°. Quia, aliis admonentibus, magis nobis ipsi persuademus ea in nostris moribus inesse vitia quæ ab aliis quoque fuerint animadversa; et cum de iis nobis blandiendo forte dubitamus, aliis indicantibus, certiores efficimur et confirmamur.

Melior est igitur sua noscendi vitia hæc secunda ratio, quam prima; sed melior quoque tertia, quam secunda. Cum ea scilicet, ad Superiorem delata, ab ipso nobis fuerint indicata; idque quatuor etiam de causis. 1°. Quia alii minus libere nos admonent, tum ne odium aliquod forte subeant, veritas enim odium parit; tum quia in Religione sua quisque curat, et has admonendi partes Præpositorum curæ relinquit. 2°. Quia non est satis sua vitia nosse, seu proprio studio ac labore investigata, seu aliorum animadversione

[1] De vit. Solit. Const. Mon. c. 23. [2] Lib. de Tranquil. c. 15. [3] In Vit. Patr.

notata; sed requiritur præterea curatio ac medicina vitiorum, quæ non tam in ægroti amicorumque potestate, quam in manu medici sita est. Relinquitur igitur ut Superior ipse persæpe nostri morbi sit conscius, qui nobis aptam et peropportunam medicinam adhibeat. Ideoque Basilius peccatorum revelationem iis præcipit faciendam, qui mederi norunt, quemadmodum et morborum.[1] 3°. Quia ea quæ a Superiore admonemur magis hærent memoriæ, propter reverentiam nimirum et verecundiam, ut quotidianus usus docet. 4°. Quia cum intelligimus non deesse ex fratrum numero, qui ad Superiorem nos deferat, imo passim nos habere observatores vitæ morumque nostrorum, cautius vivimus, damusque operam ut nihil in dictis factisque nostris sit, quod jure quisquam vituperare possit, quæ cautio dum rationem in officio continet, studium atque institutum ingenerat recte sancteque vivendi. Consuetudo enim etiam non sentientes ad rectam vitæ rationem errorumque expertem sensim adducit, ut Plutarchus ait. Quapropter sapienter olim Nasica Scipio, deletis Carthaginensibus et in servitutem redactis Achæis: Nunc, inquit, periculosæ res nostræ sunt, quia neque quos metuamus, neque quos revereamur reliquos nobis facimus. Et sane verissima est vox illa Senecæ ad Lucilium: Aliquem habeat animus oportet, quem revereatur; et, ut idem dicit: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Sed de priore utilitate, quam universalem appellabamus, satis.

Sequitur particularis utilitas, quæ est humilitatis disciplina; sic enim in Constitutione legimus: "Et præcipue ad majorem submissionem et humilitatem propriam." Et vere nihil ita animos nostros spiritusque demittit, ut cum vitia nostra moresque minus commodi notati sunt: quia turpitudo vitii pudorem incutit, pudor modestiam atque humilitatem parit. Ut enim, cum benefacta virtutesque nostræ celebrantur, erigimur et altiores

[1] In Reg. brev. 229.

efficimur; ita, cum vitia erroresque notantur, deprimimur et humiliores evadimus. Pudet autem nos maxime, non tam quia vitia nostra cæteri vident, sed etiam quia acrius illi quam nos ipsi cernunt; quod observavit Climacus his fere verbis: "Istud quoque cum humiliari nollemus, mirabili dispensatione fecit Deus, ut nemo vitia sua melius quam proximus possit intueri; ex quo necessario fit, ut illi ac Deo, non nobis ipsis, sanitatis gratiam acceptam referamus."[1] Idemque laudat Abbatem quendam Alexandrinum, qui exercendæ humilitatis gratia, eos, quibus præerat, probris et increpationibus onerabat. Ideoque et Bernardus increpationem, seu reprehensionem cum fimo comparat, qui etsi sordidus est tamen impinguat agros: sic dedecus reprehensionis impinguat animam, dum "increpatus benigne accipit, mansuete humiliterque respondet, et libenter emendare conatur."[2] Propterea etiam B. Franciscus dedecora et probra consectabatur avidius, laudes et gloriam contentius declinabat. Quod si interdum ob habitam concionem laudabatur ab aliquo, ipse statim suo mandabat comiti, ut se vicissim vituperaret et convitiis afficeret. Sic enim de eo Bonaventura scribet, "Malebat de se vituperium audire quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum."[3] Sic autem secum ipse ratiocinabatur, Si laudem aucupor, in apertum me cœnodoxiæ discrimen objicis; at vero ex contumeliis et irrisionibus anima in spiritu proficit. Eamque ob causam convenerat ei cum Bernardo comite suo, ut alter alterum vicissim reprehenderet atque admoneret, si quando pro humana imbecillitate incideret admonendi necessitas. Valet igitur ad humilitatem delatio propter ignominiam ac dedecus quod habet adjunctum.

Atque hæc de priore Constitutionis parte. Nunc posteriorem, quæ difficultatem indicat ferendæ æquo animo delationis, aggrediamur. Tota autem difficultas

[1] Grad. 25. [2] Ser. 2. Apost. Pet. et Paul. [3] In Vita c. 6.

ad quatuor hæc capita revocari potest; Primum, ad eum qui defertur, cum in Constitutione dicitur: "Contentus esse quisque debet;" Secundum, ad rem quæ defertur, cum illud additur: "Ut omnes errores et defectus ipsius, et res quæcunque quæ notatæ in eo et observatæ fuerint;" Tertium, ad eum qui defert, cum adjungitur: "Per quemvis qui extra confessionem eas acceperit;" Quartum, ad eum ad quem res ipsa defertur, cum demum ita concluditur: "Superioribus manifestentur."

Ordiamur igitur a Primo, et omnem difficultatem, quocumque oriatur ex capite, pro viribus elevemus; cernitur enim difficultas in eo qui defertur nomine, quia proprium est cujusque hominis ferre graviter reprehensiones admonitionesque. Ut enim Salvianus Episcopus ait: "Omnes admodum se laudari volunt, nulli grata reprehensio est; imo quod prius multo est, quilibet malus quamlibet perditus mavult mendaciter prædicari, quam jure reprehendi, et falsarum laudum irrisionibus decipi, quam saluberrima admonitione servari."[1] Radix autem omnis molestiæ ex admonitione susceptæ intima quædam superbia est, qua et suam quisque culpam studet occulere propter ejus dedecus ac turpitudinem, et nemo alteri patitur se esse subjectum; cum admonendi officium præstantiam quandam et excellentiam habeat, ex quo fit ut nemo nisi humilis reprehensionem admonitionemque moderate ferat. Ideo rex Amasias, admonitus a Propheta quod Deos filiorum Seir adoraverat, superbe atque iracunde respondit: "Num consiliarius regis es? Quiesce, ne interficiam te."[2] At sui peccati Sanctus David admonitus, cum vera animi humilitate respondit: "Peccavi Domino."[3]

Altero vero nomine hujus rei difficultas oritur in eo qui defertur, ratione personæ; quæ, si auctoritatem aliquam habeat vel ab ætate, vel a dignitate, vel ab opinione virtutis, multo profecto ægrius delationis dedecus feret, quam qui ab iis rebus nullam partam auctoritatem afferat.

[1] Lib. 8. de Ver. Jud. [2] 2. Paralip. 25. [3] 2. Reg. 12.

Constitutio autem neminem excipit, seu quem religionis antiquitas, seu quem dignitas Prælationis, seu quem sanctitatis commendet opinio; dicit enim: Contentus esse quisque debet. Et qui initio interrogatur, An ejus rei contentus futurus sit? in omne tempus interrogatur quod in religione traducturus est. Quare ipsi quoque Præpositi, et Præfecti inferiores debent esse contenti ut ad suos vicissim Superiores deferantur. Hoc autem haud dubie magna difficultate non caret. Sed quoniam hoc quoque ex eodem superbiæ fonte ortum habet, ad id elevandum ac tollendum eadem præsto esse debet humilitas, vera inquam, minimeque ficta, quæ facit ut delationes æquissimo feramus animo. Si enim vere humiles simus, non solum nos ipsos accusabimus, quod plerique facere suo jam ore non dubitant; sed etiam tum, cum ab aliis accusabimur et deferemur, eorum accusationibus facile concedemus, eorumque sententiæ nostram protinus adscribemus.

Ut enim in Moralibus Gregorius ait: "Multos novimus, qui arguente nullo peccatores se esse confitentur; cum vero de culpa sua fuerint fortasse correpti, defensionis patrocinium quærunt ne peccatores esse videantur."[1] Superbiæ autem vitium est, ut idem ait in Homiliis, ut quod de se fateri quisque quasi sponte dignatur, hoc sibi ab aliis dici dedignetur. In eandemque sententiam Bernardus: "Sunt," inquit, "qui peccata sua sic confitentur ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere, nisi quod ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt."[2] Nimirum id oritur ex ficta et simulata humilitate, non vera atque germana. Quod quidem Monacho illi apud Cassianum exprobavit Abbas Serapion,[3] qui summam sui abjectionem habitu præseferebat ac verbis, seseque tantis asserebat involutum esse flagitiis, ut ne usum quidem hujus communis aeris capere mereretur; nam cum per usitatæ collationis occasionem Abbas ille

[1] Lib. 22. c. 15. [2] De Adv. Dom. Ser. 4. [3] Coll. 18. c. 11.

monere eum benigne leniterque cœpisset, ne otiosus ac vagus instabili levitate per universa discurreret, suoque potius opere, quam aliena mallet munificentia sustentari; is tanta est tristitia et dolore perfusus, ut eum ne vultus quidem dissimulare posset. Cui Senex: "Hactenus," inquit, "O fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas; quid, quæso, nunc est, quod ad simplicem admonitiunculam nostram tanta te video indignatione commotum? An fortasse, dum te humiliabas, illam expectabas a nostro ore sententiam: 'Justus, prior est accusator sui: venit amicus ejus, et investigabit eum?'[1] Proinde vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit." Hac igitur humilitate præditum esse oportet, qui velit æquo animo, imo etiam libente admonitiones delationesque suscipere.

Secunda sequitur difficultas, quæ versatur in ipsa re. Urit autem res ipsa delata quatuor nominibus, ut ex hac Constitutione colligitur. 1°, Quia deferuntur tanquam criminosa, quæ non tam voluntate quam casu accidunt, ut sunt errores; 2°, deferuntur, quæ peccati dedecus adjunctum habent, ut sunt defectus; 3°, deferuntur, quæ nullum omnino peccatum habent, sed ea resciri non facile patimur, ut arcana quæcumque occultæque res; 4°, hæc ipsa non modo fortuito casuque notantur, sed etiam dedita opera studioseque observantur. Hoc est igitur quod Constitutio dicit: "Ut omnes errores, et defectus ipsius, et res quæcumque quæ notatæ in eo et observatæ fuerint, manifestentur." Error enim vitium potius est intellectus quam voluntatis, ut cum quis minus considerate quidpiam agit, licet optima sit agendi voluntas, nullumque in re ipsa peccatum: Defectus autem, cum jam a recto voluntas deficit, et culpam contrahit. Verba vero quæ adduntur: "et res quæcunque" neque in intellectu vitium continent, neque in voluntate peccatum; sed tamen ejusmodi sunt ut nolimus eas prodi, atque a Superiore

[1] Prov. 18.

resciri, quo nomine omnia continentur arcana extra sigillum Confessionis. Adjunguntur autem verba illa: "Notatæ et observatæ fuerint," quia duobus modis fieri potest ut quis ad ea deferenda, quæ in nobis sunt, impellatur: vel quia casu potius quam studio ea in nobis animadvertit, et hoc exprimitur verbo illo "notatæ;" vel quod dedita opera studioque accedente, præsertim Superiorum nutu jussuque, observarit, et hoc significatur verbo "observatæ" quo continentur præcipue Syndici, quibus id muneris et cura committitur. Hæc igitur in re delata difficultatem ferendæ delationis amplificant. Quibus si addas quod hæc non semel, sed semper; non aliqua, sed omnia deferenda sunt (dicit enim Constitutio: "omnes errores, defectus, et res quæcunque," non aliquæ), tum demum cumulatissima difficultas erit.

Sed nihilominus ita tolletur: Primo, si ardenti quodam proficiendi studio teneamur. Qui enim perdiscendarum artium amore flagrant, illud simul toto pectore concupiscunt ut quidquid in earum exercitatione delinquunt corrigatur a peritis, et beneficii loco numerant si ab iis qui plus vident admoneantur, quod olim faciebat Apelles, inter pingendi opifices facile princeps. "Hic enim perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens vitia quæ notarentur auscultabat, vulgum diligentiorem judicem quam se præferens," ut Plinius ait.[1] Sic in vita spirituali ardens quædam cupiditas perfectionis ea demum facit ut non solum sponte oblatos suscipiamus monitores, sed etiam non oblatos ultro quæramus. Et quidem inter nostri profectus indicia hoc Philosophus Plutarchus enumerat:[2] "Si quis peccatum suum vel ipsemet damnare et castigare instituat, vel alio castigante tolerantem se præbeat, vitiis exonerari correctoris opera se libenter sinat. Contra vero, quos minimum studium suæ perfectionis incendit, ii, si quando per delatores aliquid eis de suis moribus emen-

[1] Nat. hist. l. 35. c. 10. [2] Opusc. de suæ virt. prof. sent.

dandum significatum est, protinus excandescunt; cum tamen gratia eis potius habenda esset." Recte enim de his Bernardus: "Si vere," inquit, "mundari desiderarent, non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent."[1]

Secundo, minuit etiam difficultatem hanc si meminerimus nihil nobis, qui Deo nos totos dedimus, regendique nostri velut habenas Superiori nostro permisimus, in arcanis habere licere; neque quidquam clausum, quod non patefieri ac detegi nostris Superioribus pervelimus. Sic enim Constitutiones admonent, præsertim ubi sic habent: "Liberam sui ipsorum, rerumque suarum dispositionem omnes cum vera obedientia Superiori relinquant, nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo;"[2] deinde: "Totam," inquiunt, "animam suam illis integre manifestam esse pergratum habeant."[3] Tertio, si molestum est nimium diligenter, et tanquam ex insidiis, vitam moresque nostros a delatoribus observari, facile repellemus hanc molestiam, si quantum ex ea re lucri nobis accedat, nobiscum ipsi reputemus. Nam, si magistrum morum, custodemque vitæ nostræ habebamus in seculo mercede conductum, quo duce atque censore vitia nostra exueremus: cur tot fratres gratis nos deferentes, eaque ratione nostrorum nos morum admonentes, non hilariter admittemus? Et vero inter alias opportunitates Religiosæ vitæ hæc est una de præcipuis, quod in ea mali vitiosique mores aliorumque delationibus emendantur. Ubi enim sunt tot oculi qui te custodiunt, nullum ibi gravioris est ruinæ periculum. Quarto, plurimum etiam valet ad ferendas æquo animo delationes, illud attente meminisse, omnes homines erroribus esse subjectos, et necesse esse omnes aliquando cadere, dum in hoc seculo detinentur, ut Bernardus ait.[4] Superbiæ igitur vitio, et quidem magno non caveat, si quis aut culpæ se putet

[1] De Adv. Dom. Ser. 4. [2] P. 4. c. 10. § 5. [3] P. 3. c. 1. § 12.
[4] In Psal. 90. "Qui habitat."

expertem, aut talem omnino videri se velit. Quinto, denique valet etiam primi meminisse promissi, quo nos initio spopondimus fore contentos, "ut omnes errores, defectus, et res quæcunque, quæ in nobis notatæ et observatæ fuerint, Superioribus manifestentur;" omnes enim in ipso pæne Societatis vestibulo id interrogati promittimus. Ergo si nunc displicet quod antea placebat, apparet profecto pristinum illud perfectionis studium progrediente tempore refrixisse, quod disciplinæ diuturnitate acrius debuerat inflammari. Hoc autem nostris cum animis reputare, et flagrantissimum illud initiorum studium memoria repetere, plurimum profecto valet ad excitandas nostras animas semisomnes; quia, ut ait Climacus, "Anima quæ viriliter pugnare cœperit, rursumque debilitata cesserit, antiquæ virtutis et studii memoria, quasi quodam stimulo et flagello, vulneratur, atque ex hoc nonnunquam plurimi pristinum vigorem receperunt, prioresque pennas resumpserunt."[1]

Tertia oritur difficultas ex parte eorum qui nos deferunt, tribus fere nominibus. Primum, quia prodi ab iis quodammodo nos putamus, dum contra fidem et amicitiam indicare nos Superioribus malunt, et quodammodo traducere, quam per se ipsos monere. Videtur enim genus quoddam proditionis et fraudis, cum ab eo cui nos credebamus et nostra committebamus arcana, delectos nos repente ac patefactos aspicimus. Idcirco dicitur: "Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum."[2] Hæc videlicet causa est cur tam diligenter investigemus animo delatorem, nempe ut ab eo in posterum, qui nos prodidit, caveamus; simulque gratiam ei aliquam referamus, si quando incidat opportunitas; displicet igitur in delatore, primum, quod parum nobis fiderit, malueritque nos deferre quam ipse nos amice monere. Verum, nihil est quod hoc nomine nobis sit molesta delatio, debemus enim potius apud nos ipsos eum

[1] Grad. I. [2] Prov. II.

qui nos detulit excusare, tanquam non audentem nos libere et sine ambagibus admonere, putantemque id muneris ad Superiorem potius pertinere quam se.

Secundum, augetur ex hoc eodem capite difficultas, quia delator rem, quam defert, amplificat et pro suo sensu interpretatur, aut totam omnino confingit sive errore judicii, sive studio mentiendi. Sed ne hoc quidem valde movere nos debet, 1°. quia, præterquam quod Superior non omnia credit neque amplificationibus patulas præbet aures, sæpe etiam fieri solet, ut quod nobis falso putamus objectum verissimum tamen sit, si vere nos dispicere et sine assentatione velimus, sed cæcis nimirum amore nostri falsum persæpe videtur, quod re ipsa verum est. Nam, ut ait Basilius: "Quemadmodum in corporibus multi sunt morbi quos non sentiunt infirmi, de quibus tamen necesse est ut magis credant medicorum judiciis, quam propriæ stupiditati: sic in animis vitia quædam sunt quæ non satis novimus, sed debemus adhibere fidem magis iis qui plura possunt observare de nobis, quam nos ipsi."[1] Et hoc ipsi quoque Apostoli ostenderunt, cum de suo erga Dominum sincero affectu securi ac certi, tamen dixerunt: Numquid ego sum Domine? Amor igitur sui ipsius adulterat judicium veri, et is demum nobis sic persuadet, quod de nobis delatum est, id niti mendacio, aut plus deferri quam re ipsa commissum sit; quod planum ex eo fieri potest, quod nos ipsi progrediente die ubi ab amore nostro paululum discesserimus, culpam, quam nunc perturbato mentis oculo non agnoscimus, agnoscemus; et fortasse delatoribus agemus gratias, quod vel invitis monstrarunt erratum. 2°. Esto, longe absit a vero quod de nobis delatum est, tamen ne tum quidem delatio ipsa debet esse molesta, cum tota sit utilis ac salutaris; tum quia conscientiæ testimonium nos valde solatur, nam ut ait Bonaventura: "Servus Dei non timet confusionem coram hominibus, ubi eum coram Deo conscientia non

[1] Reg. brev. 301.

accusat;"[1] tum quia cautiores efficimur in posterum, damusque operam ut idipsum vitium cujus insimulamur longissime a nobis absit, quod forsitan aliquando potuisset accidere nisi cautio fuisset adhibita; tum denique quia iniquis delationibus perferendis multas simul virtutes exercemus—patientiam ac tolerantiam, propter falsam atque injustam criminationem, cujus gratia condonat nobis Deus peccata nostra, qui in tribulatione peccata dimittit. Humilitatem deinde ac submissionem exercemus dum non multum ipsi nos excusamus, sed more Sanctorum calumniam sæpe nostram, quam propulsare facile possumus, non repellimus; ut memoriæ proditum est fecisse Paphnutium, cum ei falso furtum codicis objiceretur, aliosque multos quos non attinet nominare.[2] Charitatem præterea virtutum parentem exercemus, dum falsis delatoribus non succensemus, sed pro iis benignas preces fundimus; quod ipsum maximam vim habet ad placandam nobis Divini Numinis majestatem. Fiduciam denique et spem in Deum exercemus, qui innocentiam sæpe nostram, nobis silentibus et in se sperantibus, planam facit; ut ejus quem dixi Paphnutii et aliorum. Quare idem nobis licet dicere de iniqua delatione, quod de detractione æquo animo ferenda Bonaventura dicit: "Immo hoc ipsum ex pugna intus exercitata magnæ utilitatis est, quia est purgatio peccati, vitii lima, exercitatio virtutis, meritum gloriæ, præparatio pacis."[3] Quæ omnia in falsæ delationis calumniæque tolerantia cernuntur.

Tertium, ex eodem capite oritur difficultas; quia nequaquam persuadere nobis possumus eum qui detulit studio charitatis adductum, sed potius perturbatione aliqua aut abalienatione animi propter offensionem aliquam forsitan interpositam, aut certe emolumento vel commodo, sive ut a Superiore gratiam ineat, sive ut famam aliquam probitatis colligat. Verum si te in delatore commovet

[1] De Infor. Novit. p. 1. c. 6. [2] Cassian. Coll. 18. c. 15.
[3] De Infor. Novit. p. 2. c. 11.

alienati aut certe non benevoli animi suspicio, vide ne suspicio ista tota sit inanis. Unde enim nosti odio aliquo adductum fratrem, ut te deferret? Cur tantæ maculæ eum condemnas, quem potius charitate impulsum cogitare debueras, et factum ejus meliorem in partem interpretari? Deinde tollitur hæc alienatio (si qua forte est) Deum pro delatoribus deprecando, quibus, si ex charitate detulerint, hanc videlicet gratiam referas; ut bonus ille Religiosus qui pro omnibus, a quibus monebatur, orabat, ut legitur in Spec. d. 3. c. 40. Sin autem invidia aliqua ducti sint, veniam impetres invidentiæ. Huc accedit quod, licet perturbatione aliqua sit delator impulsus, tibi tamen dum defert nunquam non utilis et salutaris est. Eodem enim modo ratiocinari nobis de delatoribus liceat, ac Plutarcho de politicis inimicis, quos sæpe docet suis esse nobis criminationibus salutares, idque efficit pulchro simili: Nam Jasoni Thessalio, vomicæ doloribus laboranti, dum inimicus vulnus infligit, continuo ejus ulcus aperuit unde virus erupit, et consecuta pro nece salus est, pro morte vita.[1] Ita et tibi delatore dum deferendo putat obesse, certam salutem affert aperiendis vitiorum ulceribus, et commonstrandis spirituali medico animi tui morbis. Quamobrem dicere solitus est Antisthenes, eum, qui salvus esse debeat, opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementissimis; quod illi admonendo, hi criminando a vitiis avertant. Idcirco Divino permissu nutuque sæpe fit, ut inter homines etiam religiosos nonnunquam offensiunculæ interponantur, quæ ad inquirenda mutuo vitia et deferenda prope trahant; propterea quod levius ac tolerabilius malum sit quemquam perturbatione aliqua duci, quæ ipsa cito residet, quam ut vitia nobis continenter adhæreant, adeo ea pandi curarique necesse est. Cujus rei satis appositum habemus exemplum B. Monicæ, S. Augustini parentis, quam adhuc puellulam cum ancilla quædam, in ira pytissandi consuetudinem exprobans, meri-

[1] De cap. util. ex Inimic.

bibulam appellasset, eo puella sapiens percussa stimulo respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit. Ita Deus de alterius animæ insania sanavit alteram, ut dicit Augustinus.[1]

Quarta oritur difficultas ex parte ejus, ad quem res nostræ deferuntur. Primum, enim maxime nos angit atque excruciat, quod veremur ne qua minus commoda de nobis opinio in Superioris mente gignatur; aut, si minus bene de nobis ante sentiebat, augeatur et confirmetur. Hoc, inquam, nos vehementer urit. Quia in Religione secundum Deum toti a Superiore pendemus, in eoque nostra omnia posita arbitramur; atque idcirco maxime etiam nostra interesse putamus, si is de nobis quam optime sentiat. Cujus rei signum est, quod quamvis cæteris patefactus sit error noster, dum tamen is ad Superioris aures non pervenit, non magnopere laboramus.

Secundum, ex eodem capite delatio displicet; quia acrius interdum nos Superior objurgat, pœnasque acerbiores imponit, dum humili loco nos habet, et præter consuetudinem deprimendos existimat. Sed nihil est, quod his nominibus res delata nos torqueat: 1°, quia æquum est existimare, Superiorem ipsum, si ejus nos admonitiones, seu etiam pœnas impositas libenter ac sine recusatione feramus, spe etiam correctionis ostensa, nihil de opinione, quam de nobis habebat, depositurum. Sat enim intelligit nos, ut homines, erroribus esse subjectos, ut supra dicebamus, et humani nos aliquid interdum perpeti; ideoque, si nos humiles in admittenda curatione perspexerit, auctum potius iri ejus de nostra virtute opinionem, quam imminutum. Sæpe enim eorum qui parent virtutem ac probitatem, magis ex confessione delicti, quam ex reliquis benefactis reliquoque vitæ cursu perpendit; valde quippe movet humilis in delicto confessio, circumcisis penitus excusationibus, ut magno emenda fuisse videatur interdum tantæ humilitatis occasio. Facile

[1] Conf. l. 9. c. 8.

igitur, quod de virtutis opinione detrahit, humilitatis confessione sarcitur. Illud etiam ad memoriam revocandum, parvi omnino referre apud homines bonum nomen bonamque famam colligere, si male audias apud Deum. Ac si pudet ab hominibus tuam resciri culpam, cur non magno pudore perfunderis, quod eam in oculis Dei, atque Angelorum conspectu contraxeris? Notum igitur Superiori velis, quod Divinæ jam notum est Majestati; nec latere tuum dedecus hominem metuas, quod tamen Deo nudum atque apertum est. Deinde, 2°, existimare etiam æquum est Superiorem in imponenda pœna, objurgandoque nequaquam esse præcipitem, neque nimis credulum delatoribus se præbere; sed etiam atque etiam rem delatam velle cognoscere, dum veritatem funditus assequatur. 3°. Etiamsi acrius objurget atque corripiat, tamen a patre objurgationem illam proficisci, et ab eo cui animæ nostræ salus antiquissima solet esse, ideoque in beneficii parte reponendam. "Turpe est autem," ut ait Basilius, "eos qui corporibus ægrotent, tantum habere fidei medicis, ut sive urant, sive incidant, sive amaris pharmacis sanent, pro benefactoribus eos habeant; nos vero non eodem præditos esse affectu erga eos qui nostras animas curant, si quando, per laboriosam curandi rationem, salutem nostram studiose procurant."[1] In eandemque sententiam Bonaventura: "Quando nimis," inquit, "austere vel minus juste de aliquo arguuntur, non turbentur animo, sed potius pro fratrum diligentia circa ipsos, qui, quos amant, arguunt et castigant, et exercitio virtutis oblato in Domino gaudeant."[2]

Ex his igitur capitibus videri cuipiam possit hujus Constitutionis difficilis observatio; atque hinc oritur omnis molestia, quæ ex delationibus suscipi solet, cui quemadmodum sit occurrendum pluribus exposuimus. Nihil autem ex his quæ diximus ad hujus rei difficultatem extenuandam minuendamque tam valet, quam

[1] C. 52. in Ascet. seu Reg. fus. disp. [2] In Spec. disc. p. 2. c. 5.

ejus radicem atque ortum inspicere, qui quidem alius esse non potest, uti diximus, nisi sua cujusque ambitio atque æstimatio, propterea quod culpæ quæ defertur dedecus omnes horrent, et peccatum suum cœlatum vellent, ne quid de fama atque existimatione deperderent. Hæc autem apertissima superbia est, velle haberi qualis non es. Id scire, facit ut minus gravate delatorum feramus officium, intelligimus enim continuo magno nos arrogantiæ morbo laborare, si id ferimus permoleste. Quippe in nobis etiamnum dominatur ambitio, etiamnum regnat cupiditas gloriæ, quæ non sine multo ignominiæ dolore solet esse conjuncta. Recte enim Anachoreta Marcus: "Cum videris," inquit, "aliquem in multa ignominia dolentem, scias eum ambitionis cogitationibus impletum."[1] Nam qui Dei, non suam gloriam quærit, submissione sua non modo non angitur, verum etiam magnopere delectatur, ut S. Diadocus ait.[2] Amputanda igitur est strenue ac viriliter totius molestiæ radix, cupiditas gloriæ, atque superbia, et tum demum mœror omnis in delationibus conquiescet. Simul et concipiendus animo Religiosæ perfectionis ardor, studiumque nostri profectus, quem valde promovet, uti diximus, nostrorum delatio vitiorum; tum quia indicata et patefacta curantur, tum quia delationis dedecus ad comparandam et possidendam humilitatem valet plurimum. Atque hoc videlicet perfectionis studium Constitutiones nostræ a nobis exigunt,[3] cum diligenter reputare nostris cum animis jubent, et in Dei conspectu perpendere quantum conferat ad vitæ spiritualis profectum, "omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat et amplectitur: et velle contumelias, falsa testimonia, et injurias perpeti, stultosque haberi, et existimari." Quod si ad hæc, quæ majora sunt, paratos nos tamen exigit Instituti nostri ratio, quanto paratiores ad minora requiret, ut ad ferendas æquo animo delationes, præsertim cum sine peccato proximi, Deique

[1] Disp. c. 3. [2] C. 12. [3] In Exam. c. 4. § 44.

offensa fere sint? Quod si hæc in Religione perpeti minora refugimus, apparet, ne tum quidem, cum ab exteris atque infidelibus expetimus duriora, solidum esse atque germanum patientiæ desiderium; sed potius studium quoddam inanis gloriæ, qua magis ducimur, quam aut charitate Dei aut humilitatis ardore. In Religione quippe contumelias et dedecora perpeti cum minime appareat gloriosum, inde fit ut ea plerique intra domesticos parietes fugiant, cum tamen eadem apud exteros consectantur. At assuescendus his minoribus est ignominiis, et domesticis exercendus animus probris, si vere volumus digni esse majoribus. Ut S. ille Pater,[1] qui bubulcorum verba maledica propulsare redarguendo cum posset, tolerare fortiter maluit, quo majoribus perferendis injuriis sese minorum exercitatione assuefaceret. Cur non igitur studio flagremus ardenti, ut, quemadmodum Constitutio nos admonet, "omnes errores, defectus, et quæcumque in nobis notata atque observata fuerint, per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, nostris Superioribus patefiant." Hinc nimirum facile intelligemus, quantum progressionis ad virtutem pietatemque fecerimus, si quotidie in nobis voluntas hæc crescat, ut quidquid, non modo foris de nobis cernitur, sed etiam in animo latet intimisque recessibus, apertum ac nudum Superiori velimus. Ac profecto, nisi nos ita instituamus, ea etiam, quæ præclare in nobis constructa videntur, ruent omnia. Da mihi enim, qui permoleste delatorem ferat, ecce tibi confestim alienationes voluntatum, mutuæ simultates, suspiciones crebræ, obmurmurationes, detractiones, et timor quidam servorum ac mancipiorum, qui plane exterminari ex filiorum pectoribus atque ex universa Societate debet. Ut igitur ab his saltem malis nos ipsi eripiamus ac vindicemus, totque incommodis occurramus, discamus ferre non modo æquo animo omne delationis ac delatorum genus, verum etiam ultro petere

[1] In Vit. Patr. d. 3. c. 101.

mutuoque ab ipsis Fratribus id deposcere; ut majore quotidie in humilitatis exercitatione versantes, apud Eum inveniamus aliquando gratiam, qui eam unis duntaxat humilibus elargitur. Cui honor in secula seculorum. Amen.

OPUSCULUM SEPTIMUM.

DE MANIFESTANDIS SE MUTUO FRATRIBUS. JUXTA REGULAM DECIMAM SUMMARII IN EXAM. C. 4. § 8.

"BONI etiam omnes consulant ab aliis corrigi, et ad aliorum correctionem juvare, ac manifestare se invicem sint parati, debito cum amore et charitate ad majorem spiritus profectum."

Decima hæc Summarii Regula eodem Constitutionis paragrapho, ac proxima quam explicuimus, continetur; tres autem tribuitur in partes. Prima est, ut boni omnes consulant ab aliis corrigi: Altera vero, ut boni item consulant ad aliorum correctionem juvare: Tertia, ut manifestare se invicem sint parati. In Examine autem sic habet: "Num etiam boni sit consulturus (quod et ipse et quivis alius facere debet) ab aliis corrigi, et ad aliorum correctionem juvare; ac num manifestare sese invicem sint parati?" Interrogatur autem hæc quisquis ad Societatem primo admittitur, quia difficultatem præcipuam habent. Difficile est enim, et naturæ valde repugnans, tum ab aliis corrigi velle, tum ad alios corrigendos operam suam afferre, tum etiam aliorum indicare peccata; ideoque ad ea se paratum spondere debet quisquis hoc Institutum amplectitur. Et quoniam in proxima Regula de perferendis æquo animo iis qui nos indicant, actum est; consequens est nunc ut, reservatis in aliud tempus duabus prioribus hujus Regulæ partibus, de indicandis ac deferendis aliis vicissim agamus.

Tertia autem hæc pars duo omnino continet. Primum enim alios deferendi difficultatem indicat, cum dicit: "Manifestare sese invicem sint parati." Deinde deferendi

rationem tradit, cum ea quæ sequuntur adjungit: "Debito cum amore et charitate ad majorem spiritus profectum, etc." Ergo quoad difficultatem, tria sunt quæ difficilem hanc regulam reddunt. Primum, quia vulgo infamiæ loco ducitur deferre quempiam, exploratoris enim et emissarii id plerisque videtur; quæ quidem opinio, mali dæmonis profecto invidia atque suasu, apud plurimos qui secundum spiritum non ambulant, inveteravit. Secundum, quia ad privatam quietem pertinere plerique putant sua tantum, non aliena curare; præsertim quia non desunt alii, qui id muneris obire queant. Tertium, quia plerique etiam odia hominum reformidant, metuuntque ne iis quos deferunt non satis placeant; propterea quod ex hujusmodi delationibus crebræ animorum alienationes, et simultates existant. Hæc rem difficilem reddunt, ac propterea parandus est animus.

Sed contra has tres difficultates, tria rursus ad indicandos et deferendos fratres impellunt. Nam contra infamiæ metum honor et zelus Dei valere debet, ut Constitutio ipsa significat, cum in extremo dicit: "Ad majorem Dei gloriam." Qui enim Dei gloria ducitur, suam parvipendit infamiam, si qua tamen incurritur. Ac propterea omne delictum, quod contra honorem Dei sit, Præpositis indicare non dubitat. Qui quidem zelus absque mercede non est apud Deum, qui Phinees olim perpetuum sacerdotium dedit, quia zelatus est pro Deo suo.[1] Porro quævis delicta, præsertim quæ indicanda Præpositis videntur, Divino adversari honori nemo est qui nesciat. Quod cum ubique verum est, tum in Religione multo verius; quia, ut ait Bonaventura: "Cum ex familia Dei simus, sicut paterfamilias ex disciplina familiæ suæ honoratur, vel ex ejus negligentia inhonoratur; ita nos quidquid facimus inter homines, id quodammodo redundat vel in laudem Domini, vel in contemptum."[2] Atque hoc satis difficultatem illam elevat,

[1] Num. 25. [2] De Inform. Nov. p. 1. c. 38.

qua quis infamiæ metu a denuntiandis ac deferendis fratribus deterretur.

Contra secundam vero difficultatem ut privatæ quieti consulatur, valet zelus religionis; non enim tam quietem suam atque otium privatus quisque spectare debet, quam suæ religionis bonum. Zelus autem hujus boni geminus est. Alter enim est zelus honoris, quem in sua quisque familia ac religione maxime tueri ac curare debet, non secus atque seculares homines in sua, imo multo magis; quia religionis honos et ad Divinum refertur honorem, quo spectant verba Constitutionis extrema, et ad salutem proximorum. Ideo Bonaventura: "Qui religionis," inquit, "suæ scandalo non occurrit, honori proprio detrahit et saluti. Qui fidelis Religionis est filius, nequaquam ejus scandalum parviducit."[1] Atque hac de causa S. Doctor graviori occulto peccato non dubitat scandalum anteponere: "Quia illud," inquit, "per secretam sanari potest pœnitentiam, scandalum autem vix avellitur a cordibus omnium ad quos forte pervenit."[2] Quidquid autem privatus quispiam indecorum admittit, id ab hominibus non privato illi, sed toti familiæ ac congregationi tribuitur. Ut enim plebeio proverbio jactatur in vulgus: Nunquam dicitur, Mus ille corrosit corium, sed Mures corroserunt. Quin etiam in Scriptura peccatum unius toti congregationi tribuitur, nam "Filii Israël prævaricati" dicuntur "mandatum Domini," et de anathemate usurpasse, cum tamen unus Achan prævaricatus sit.[3] Discipuli indignati effusione dicuntur unguenti,[4] et tamen unus creditur fuisse Judas, (ut est apud Joan. 12.) nimirum quia vult nos Deus hinc intelligere privati cujusque malum in omnem redundare familiam ac congregationem. Et id quidem recte, quia unum corpus cum simus omnes, quidquid de parte membrorum dicitur, de ipso etiam toto corpore dici solet; quare qui zelo ducitur honoris suæ religionis, cum quid-

[1] Spec. Disc. p. 4. c. 2. 3. [2] De sex alis Prælat. [3] Josue 7.
[4] Matth. 26.

piam ei adversari perspexerit, non silebit, sed eo, qui præsunt cæteris, admonebit.

Alter est zelus spiritualis profectus, quem quisque etiam, velut suæ Religionis membrum, maxime ei velle ac curare debet; quia peccata quælibet privatorum totum redundant in corpus, ut modo significavimus, sæpeque ob unius privati crimen tota a Deo communitas plectitur. Id quod ex eodem Josuæ loco quem modo attulimus, planum est, ubi, propter Achan qui tulit de anathemate, iratus est Dominus contra universos filios Isräel. Officit autem spirituali profectui religiosæ familiæ si delicta quæpiam tegantur occulta, quibus nihil adhiberi possit remedii ac curationis; quæ si tegit, cum possit arguere et ad pastores deferre, næ ille expers culpæ, ac proinde ne pœnæ quidem est. Hinc illud B. Bernardi: "Nemo, Fratres, vitia palpet, peccata nemo dissimulet, cum videret ordinem deperire, vel minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cum arguere possis; et scimus quia similis pœna facientes maneat, et consentientes."[1] Atque hoc quidem quod Bernardus ait, Sacræ etiam Literæ disertis nos admonent verbis: "Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.[2] Et Deus justissimus Judex, ut ex proximo Scripturæ liquet exemplo, punit etiam cum sontibus innocentes, cum ab iis culpa, quæ vindicari poterat, toleratur. Quare cum aliquorum in Religione delicta soli perspeximus, si quis zelus, aut si quæ cura communis boni nos tangit, in eo profecto cerni debet, si ea Superioribus peropportune pandamus, ne, silentii nostri culpa, aut ordo sensim pereat, aut ejus disciplina minuatur. Neque enim sine peccato erit, ut dictum est, ac ne impune quidem abire poterit quisquis, prodesse Religioni cum possit aperiendis aliorum Superiori delictis, malit tamen silere quam loqui. Quod et B. Gregorius ita confirmat: "Qui emendare potest

[1] Ser. de Nat. S. Joan. Bapt. [2] Levit. 5.

ac negligit, participem se procul dubio delicti constituit."[1] Quod si in civili Reipublicæ corpore debet unusquisque, auctore D. Thoma, alterius deferre crimen et accusare, cum crimen ipsum Reipublicæ detrimento est; quanto magis in religiosa et spiritali Republica religiosus quisque debet id, unde ea detrimentum capiat, indicare. Atque hoc demum alteram illam difficultatem minuit, qua quis, privata quiete permotus, communi, cum potest, bono non consulit.

Jam tertiam difficultatem, ne odia hominum incurrantur, tollet charitas et utilitas fratris; quam Constitutio ipsa significat cum dicit: "Debito cum amore et charitate," et "Ad majorem spiritus profectum." Nam quia sincere, quæ de amicis novimus indicare, amor quidam humanus interdum vetat, propterea Constitutio addidit: debito cum amore. Ut si quis ægroti amore ferrum illi adhiberi prohibeat, non amat illum debito cum amore; sed amore debito tum amabit, cum ejus curandi causa nec duro ferro, nec amaris pharmacis parcet, propterea additur: "et charitate." Charitas enim amor est vitæ æternæ et supernaturalis, ut intelligat qui fratrem Superiori indicat, vero se amore, qui vitam æternam pariat, duci oportere; non humano ac terreno, qui hæc spectat infima ac perpusilla. Recte autem in hanc sententiam B. Augustinus in Regula: "Nec vos judicetis," inquit, "esse malevolos quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timet secari, nonne crudeliter a te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde"? Ipse vero Augustinus quanto studio teneretur ut sibi suus error, in quo deprehensus forsitan esset, indicaretur, in Epistolis planum facit. "Obsecro te," inquit, "per mansuetudinem Christi, ut si læsi te, dimittas mihi, ne me vicissim lædendo malum pro malo reddas. Lædes autem me, si mihi tacueris

[1] In Regist.

errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis." Sed quantum lædamus fratres noxis eorum non indicandis, docet etiam Basilius. Qui, cum dixisset omne peccatum ad Præpositum deferendum ab iis qui illius conscii sunt, infra hæc subjicit: "Videlicet peccatum abscondere nihil est aliud, quam ægrotanti cooperari ad mortem;" et mox: "Ne alius," inquit, "alii ad occulendum peccatum opituletur, ne pro fraterno amore succedat fratricidium."[1] In eandemque sententiam B. Dorotheus: "Si fratrem conspicias perperam quid facientem, ne illum spernes, ne taceas, ac perire permittas: sed cum misericordia et timore Dei illi revela, qui possit illum erigere." Tollenda est igitur omnis humana verecundia dum veremur ne fratribus indicandis malevoli videamur; et induenda charitas, ne aut eorum spiritualis negligatur utilitas, aut vulnus, quod sanari indicando poterat, deterius occultando putrescat. Atque ita demum tertia tollitur difficultas.

Hactenus igitur de Constitutionis hujus difficultate. Restat ut de modo deferendi dicamus, id quod posteriore loco propositum erat. Quatuor autem conditiones in deferendo ex ejusdem Constitutionis verbis servandæ sunt. Prima colligitur ex eo verbo: "Parati sint manifestare," quo nobis significatur non esse ad deferendos fratres nimis cupide festinandum; non enim Constitutio nos manifestare, sed ad id agendum jubet esse paratos. Ideo sciendum hanc manifestationem triplicem fingi posse: Primam, cum nos ipsi ultro deferimus fratres, nullis Superiorum vel imperiis, vel interrogationibus lacessiti; et hanc contineri regulam verbis, ex adverbio illo, "præsertim," potest intelligi: Secundam, cum a Superiore id imperatum est, et ea nobis cura mandatur; et de hac manifestatione Constitutio dicit, ubi "præscriptum a Superiori fuerit:" Tertiam, cum ab eodem Superiore, delicti cognoscendi causa, interrogamur. Constitutio igitur secundam et ter-

[1] In Ascet. c. 46.

tiam manifestationem proprie videtur amplecti, tametsi primam, ut diximus, non excludat, cum adverbium, "præsertim" addat; potest enim esse ejusmodi causa, ut voluntaria manifestatio prætermitti sine peccato non possit, ut tempore correctionis fraternæ. Copia tamen ampla manifestandi aliena ultro delicta non fit, facultas autem aliqua datur, dum adverbium, "præsertim," additur. Ex quo etiam illud sequitur, non licere cuiquam curiosius fratrum perscrutari delicta, ut Præpositis indicentur: sed si incurrant in oculos, seseque nostris aspectibus ultro objiciant, et alicujus etiam videantur esse momenti, tum demum poterunt indicari. Dicit enim Augustinus in Regula, cum de indicanda alicujus in contuendo petulantia mentionem facit: "Si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete etc.," "ubi adverteritis," inquit: quasi casu, et fortuito, non autem observaveritis, quasi dedita opera ac studio, nisi id muneris ad nos spectet. Et Bernardus etiam jubet non debere nos esse curiosos alienæ conversationis exploratores, aut judices temerarios.[1] Quocirca cavendum est, ne, dum fratri volumus indicando prodesse, consulto in ejus vitam inquiramus. Charitas enim in aliena dicta vel facta non libenter inquirit, nisi muneris nostri ratio, vel Superioris obedientia compellat.

Secunda conditio colligitur in eo verbo: "manifestare." Non enim dicit accusare, "sed manifestare se invicem," quo significatur, in indicandis se mutuo fratribus, simplicem cuique veritatem esse sectandam; non autem amplificationibus utendum, non mentiendum, non pro opinione loquendum, non temere quidquam asserendum, ac ne motus quidem animi vehementiores adhibendos, sed simpliciter, ut dixi, rem enunciandam: hoc est enim manifestare et enunciare quod latet, quodque inest in ipsa re, nihil addendo fingendove. Quod si nihil in re ipsa subest, et tamen ac si subesset, enunciat; jam non manifestare aut enunciare, sed

[1] In Cant. Ser. 40.

confingere ac comminisci istuc est. Cavenda sunt igitur in deferendis fratribus hæc tria præcipue, ut sit simplex manifestatio delicti ; mendacium, amplificatio verborum, motus animi vehementiores. Mendacium quidem, quia mentiendi vitium in alterius detrimentum longissime a religiosis abesse debet, etiamsi nullus sit animus mentiendi. Id enim olim a sanctis viris legimus severissime vindicatum, ut de quodam monacho narrat Climacus, qui expulsus est ab Abbate : "Quod proximum suum, ut nugis et loquacitati deditum, apud illum fuerat criminatus. Qui quidem ad Monasterii januam septem dies perseverans orabat, ut ingressu simul et venia potiri mereretur ; quod cum didicisset studiosus ille animarum custos, nihilque omnino sex illis diebus illum comedisse explorasset, hoc illi denunciat, ut si habitare omnino in Monasterio vellet, statuendum se sciret in pœnitentium ordine. Cum igitur hoc libenter amplecteretur pœnitens, jussit eum pastor ad separatum peccata lugentibus Monasterium deduci, quod et factum est."[1]

Vide igitur quam multa huic aspera et dura unius falsæ delationis crimini imposita sint. Sed sunt aliqui, qui vel imprudentes nescientesque mentiuntur ; sive quia non satis ea, quæ deferunt, animadvertunt ; sive quia rem, aliter ac se habet, animo comprehendunt. Qualis autem est apprehensio rationis ac mentis, talis sæpe oratio atque locutio. His igitur faciendum est ut, antequam quidquam de alio deferant, præmeditatum habeant, idque in conspectu Dei atque in precatione perpensum ; simulque assuescant, non pro opinione loqui, sed, si res quæ deferendæ sunt non satis fuerint exploratæ, malint factum fratris in meliorem sensum commutare, quam celeri damnare sententia. Ideo Dorotheus: "Noli," inquit, "cognoscere malum proximi, neque suspiciosus sis in ipsum, quod si malignitate aliorum aliqua disseminantur, stude ea commutare in meliorem sensum."[2] Et Bonaventura vetat

[1] Grad. 4. [2] Ser. 17.

opinionibus adhærere in fratribus deferendis, "Noli," inquit, "opinando aliquem accusare, quia opinio sæpe fallit."[1] Aliqui vero, etsi vera deferunt et explorata, ea tamen exaggerant oratione, atque amplificant verbis quo facilius credantur, quod eadem animi provisione cavendum est, cum charitati maxime adversetur, quæ perperam nescit agere. Nonnulli etiam animi motum adhibent ad faciendum finem, et quidem sæpe talem, ut credere pæne compellant, quæ non plane videbantur esse credenda; adeo et vocem, et vultum, et omnem motum corporis ad ea quæ dicunt accommodant. Sed monet idem Bonaventura, in accusationibus ac delationibus fratrum, aperienda esse peccata verbis mansuetis et placido vultu, quo quidem et verborum amplificationes removet et motus animi concitatiores.

Tertia conditio est, ut minime commoto atque iracundo animo fratrem judicemus ac deferamus; sed, ut Constitutio dicit: "debito cum amore et charitate." Nam ut Basilius monet: "Qui animo commoto et iracundo fratrem arguit, non illum peccato liberat, sed se ipsum delictis involvit."[2] Et Augustinus, in Regulis, in indicandis aliorum peccatis hoc vult diligenter et fideliter observari, ut ea indicentur cum dilectione hominum, et odio vitiorum. Propterea et Gregorius in Registro: "In correctione," inquit, "hunc esse ordinem noveris observandum, ut personam diligas, vitia persequaris. At vero qui odio ducitur ad deferendum fratrem, videtur non tam vitium persequi, quam personam; imo vitium ipsum diligere, et odisse personam. Quia vitii occasione lætatur, ut quem alio nomine salva religione non potest, honesto delationis vocabulo persequatur. In Religione quippe, cum alia ad rependendam injuriam arma non suppetant, facile persuadet Satanas negligenti tepidoque religioso, ut ulciscendi ansam hinc arripiat. Ergo id etiam atque etiam cavendum, ne dum mutuo nos prodimus et indi-

[1] De Infor. Nov. p. 1. c. 6. [2] In Ascet. c. 30.

camus, odio ad id aliquo, aut occulta quadam perturbatione ducamur.

Sed dices, qui nosse queam, an perturbatione aliqua odioque ducar cum fratrem defero, deque eo aliquid Superiori detego? Nempe "si scruteris cor tuum perdiligenter," Dorotheus inquit, "et si simultatis instinctu aut odio hoc te facere animadvertes, abstinebis utique, neque dices id quod dicendum de fratre decreveras. Si autem, cum viscera tua rimatus fueris, correctionis et charitatis gratia te id facere senseris, impediri tamen a scrupulosa quadam cogitatione, Superiori humiliter et tuum et fratris peccatum prodes, verberarique te a turba quadam cogitationum confiteberis, incertum atque ambiguum an adversum fratrem quidpiam habeas, quo minus loqui nequeas et deferre quæ sentis, ac tum demum deferendum sit, necne quod constitueras planum fiet."[1] Sic Dorotheus admonet. Illud etiam non obscurum erit aut perturbati, aut pacati indicium animi, si tecum ipse reputes num, si is quem meditaris arguere frater esset secundum carnem, vel ex intimis quispiam alius, malles tamen eum deferre ac patefacere, quam privatim amiceque monere. Nam si hunc, quia tibi in intimis est, aut propinquitate conjunctus, præ amore tamen (modo debitus amor sit) non existimas deferendum, profecto apparet, etiam tum cum alterum defers, non purissima charitate te duci.

Quarta conditio a Constitutione requiritur, ut in indicandis fratribus mens sit pura, delatioque omnis tum ad majorem spiritus profectum, tum ad majorem Dei gloriam referatur. Sunt enim nonnulli, ut ait Hugo, qui aliorum redarguunt culpas, non tam ut eas corrigere velint, quam ut odium, quod in corde gestant, exercere possint;[2] adde etiam alicujus emolumenti gratia, vel ut existimationem et famam colligant probitatis apud eos qui praesunt. Quacunque autem mente animoque id fiat præter fratris erigendi consilium et charitatem, graviter peccatur.

[1] Ser. 4. [2] In Expos. reg. Aug.

Sic enim ea de re Dorotheus: "Caveat, quis hoc agat, alia intentione atque animo quam fratris erigendi, non per garrulitatem, non per infamiam, non per contemptum ipsius, non ut in exemplum aliorum trahat, non ut judicet eum. Quod si alio animo, quam ut corrigat, id agit, habens in se quidpe horum, quæ prædiximus, ut scilicet delator fratris sit apud Abbatem, nocendi consilio, non studio corrigendi, peccatum est et infamia."[1] Atque hæc forsitan causa est, si verum quærimus, cur delationes interdum minime prosint, imo frequenter obsint; quia non semper puro ab animo rectaque mente proficiscuntur, sed cum mens prava in iis sit, permittit Deus ut pravo quoque animo iniquove ferantur. At si utilitatem et fratris commodum spectent, majoremque Dei gloriam, ut Constitutio jubet, non patitur profecto Deus, si Dorotheo credimus, eum quem deferimus perturbari, non augustiam, non damnum ei ullum accedere. Sane longe alia in Religione, atque in seculo judiciisque forensibus debet esse delatio. In judiciis enim cum reus defertur, nihil aliud præter ultionem et punitionem criminis spectari solet, in Religione vero culpæ correctio; et in iis proprie accusari reus dicitur, in hac deferri potius ac denunciari. Interest enim inter accusationem et denunciationem, ut ait S. Thomas,[2] quia in accusatione punitio criminis ac rei, in denunciatione vero emendatio spectatur errati. Pater autem Ignatius, quia cum religiosis sibi agendum intellexit, abstinendum putavit a verbis judiciorum ac fori, usurpando vero quæ sunt religionis. Si quis enim Constitutionis verba recte perpendat, animadvertet omnia esse dissimilia judiciorum. Nam, præter rem quæ defertur (quæ quidem in judiciis crimen, hic leve solet esse delictum), reus, delator, et judex dissimili modo se habent. Reus enim in judiciis amaro acerboque animo accusationem suscipit, hic qui

[1] Ser. 4. [2] S. 2. 2. q. 68. a. 1. in c.

defertur æqui bonique consulit correctionem, aut certe ex Constitutionibus ita debet. Illic accusator alio ad accusandum animo, alio fine ducitur, animo quippe inimico, fine vero vel repetendi sua, vel ulciscendi; hîc qui denunciat ac defert, facit id, si Constitutioni obtemperet, cum amore et charitate, et ad majorem spiritus profectum. Illic judex quoque alio animo alioque fine judicat, animo quidem condemnandi si opus sit, fine vero quæstus ac lucri, sive sit pecuniæ, sive etiam gloriæ; hic autem Superior animum paternum gerit, non judicis, et propterea illa addit Constitutio verba: "Qui illorum curam gerit." Gerere enim curam filiorum ad paternum spectat amorem, deinde Superior finem habet ultimum, gloriam Dei et quidem maximam, ideoque additur in extrema regula: "Ad majorem Dei gloriam."

Has igitur conditiones in indicandis fratribus Constitutio requirit. Sed ad pleniorem ejus explicationem, tria adhuc objici possunt. Prima objectio potest esse: In qua nam re manifestatio hæc mutua versari debeat, in peccatis ne dumtaxat unis, an etiam in iis quæ nihil habent criminis ac peccati? Constitutio enim cum dicit: "Manifestare sese invicem sint parati," id non exprimit. Respondeo: In omnibus quæ occulti aliquid habent, sive affinia sint culpæ, sive culpa vacent (ejusmodi tamen sint, quæ secreta esse ac tecta volumus); nihil enim extra sigillum confessionis clausum atque occultum Superiori esse debet, ut alibi Constitutiones docent.[1]

Secunda objectio: Quid ipsa peccata, sunt ne omnia Superioribus indicanda; magni enim sit negotii, si quidquid culpæ vitiique aspexeris, statim deferas? Respondeo: Quæ magni momenti ac ponderis visa fuerint, ut supra significavimus, ea potissimum sunt indicanda; nam quæ levia minimique ponderis, nisi a Superiore interrogeris,

[1] P. 4. c. 10. § 5.

ea prudentius consultiusque silebis. Dorotheus enim, pro peccati magnitudine, peccata fratrum ad Præpositum deferenda præcipit. Magna autem magnique momenti sunt, quæ vel contra divinæ legis ecclesiæque præcepta, vel contra professionem communeque religionis bonum, vel contra salutem, et majus aliquod fratris commodum committuntur. Atque hoc sensu intelligendus est Basilius cum docet indefinite: Quodcunque peccatum indicandum;[1] intelligit enim mortiferum peccatum, quod etiam veneno comparat a pestifera bestia injecto. Venenum autem si peccato inest, jam non leve, sed grave, magnique momenti peccatum est. Præter hæc autem quæcunque conscientiam stimulant, ea sunt indicanda; modo tamen ne sit conscientia morosior et scrupulis assueta, quæ noxas levissimas grandes faciat, et ibi crimina deprehendat, ubi nil sit noxæ. Quod si quis anceps animo sit, ambigatque an ejusmodi sit res, quæ deferenda atque indicanda videatur, Patrem suum scilicet spiritualem consulat, et de ejus consilio, statuat quod optimum in Domino visum fuerit.

Tertia objectio: Quoniam Constitutio non exprimit cui manifestare sese invicem fratres debeant, quæri etiam potest, an hæc manifestatio semper sit facienda Præpositis, an etiam iis qui deliquerint, iis scilicet admonendis corrigendisque, quæ correctionis fraternæ loco sit. Respondeo: Proprie intelligitur, Superioribus ac Præpositis, quos etsi Constitutio hoc loco non exprimit, paucis tamen ante verbis expressit, dum contentum esse quemque jubet: Ut omnes errores et defectus ipsius per quemvis, qui extra Confessionem eos acceperit, manifestentur. Decima quippe hæc Constitutio Summarii, etsi a nona ac proxima numero locoque sejungitur, eodem tamen paragrapho continetur. Verumtamen admonitio mutua inter fratres non modo non prohibetur, verum etiam commendatur a Sanctis, et sane adsentanea evangelicæ videtur esse doctrinæ. Nam apud Evangelium hic correctionis ordo præscribitur. "Si pec-

[1] Reg. brev. 4.

caverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum," etc.[1] Atque idcirco B. Augustinus, in Regula, hunc eundem in admonendo statuit ordinem : "Si hanc," inquit, "de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem iterum, vel alio quocunque die, idipsum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat quicunque hoc potuerit inveniri." Intelligit autem Augustinus prodendum et indicandum esse Præposito. Nec secus præcipit B. Dorotheus qui, cum de eadem re loqueretur, ita subjecit : "Tu te ipse fratrem compella, cum benevolentia et mansuetudine dicens, Da veniam obsecro, mi frater, video quod hoc rei sine dubio non bene agas. Quod si te non audierit, alteri dicas in quo videris eum fidem habere, vel etiam Præposito, aut Abbati pro peccati magnitudine, ac deinde securus esto." Quin Basilius ipse in eadem videatur esse sententia, dum ita scribit : "Quodcunque peccatum ad Præpositum deferendum est, vel ab eo qui deliquit, vel ab iis qui illius sunt conscii, si ipsi illud emendare nequeant juxta quod a Domino præceptum est."[2] Ergo si emendare queant, nihil est quod ad Præpositum referant, satis enim Basilius admonitionem putat esse fraternam. Et vere sic videmur magis consulere famæ atque existimationi fratris, juxta illud Augustini in Reg. : Ut forte possit, secretius correctus, non innotescere cæteris. Quamvis enim apud Superiorem nullum videatur infamiæ notæque periculum, vereque nullum sit (is enim quo facilius animas nostras regat, omnia nostra vel occultissima rescire debet) ; negari tamen non potest quin frater, qui ad eum defertur, existimet se jacturam aliquam facere suæ existimationis ac famæ, præsertim si apud eum, cujus judicium atque opinionem præter cæteros æstimat, bene audit. Huc accedit, quod plus ipse interdum admonendo proficies, quam si Superiori fratrem

[1] St. Matt. 18. [2] In Ascet. cap. 46.

indices; multi enim ea re potius offenduntur, quam ut juventur et corrigantur.

Optanda est igitur vel maxime et hæc admonendi fratris ratio, quæ maxime noscitur salutaris; id quod Sanctis olim viris legimus usitatum. Climacus enim, cum multas et præclaras laudes cujusdam Alexandrini Cœnobii commemorasset, hanc silentio prætermittendam non putavit. "Si quando," inquit, "contingeret, ut eorum aliquis absente Abbate quidquam maledici, aut alias noxii vel otiosi sermonis loqui cœpisset, occulto nutu latenter tum frater alius gravitatis admonens, illum a capto sermone retrahebat: quod si ille fortasse minus animadverteret, jam qui admonuerat, prostrato ante illum toto corpore abibat," Hæc ille. Et certe nisi hæc consuetudo, saltem inter amicos religiosos teneatur, qui tandem fructus religiosæ sit amicitiæ? Animadvertendum tamen est, ut in admonendis se mutuo fratribus decoro serviant, nec quilibet sibi has partes vindicet: non enim omnium est alterum admonere, ut si tiro, et qui huc heri se contulit, admonere seniorem velit. Sed admoneant sane adolescentulos seniores, et qui religionis antiquitate præeunt, recentiores; et se vicissim æquales, quo carior, et rationi consentanea sit admonitio. Atque hæc de mutua fratrum manifestatione, mutuoque deferendi officio, cum necessitas incidit.

OPUSCULUM OCTAVUM.

DE ANTEVERTENDIS TENTATIONIBUS. IN REGULAM 14 SUMMARII.

"ANTEVERTERE oportet tentationes, abhibitis earum contrariis, etc." Sumpta est hæc Regula ex Const. p. 3. c. 1. § 13, et duo continet: primum, necessitatem indicat antevertendi tentationes; deinde, tradit modum antevertendi; supponit autem tentationes nemini defuturas, cum dicit tentationes ipsas antevertendas. Tria igitur et nos agemus: primum, breviter ostendemus quam id jure supponat; deinde, necessitatem; demum, antevertendi modum explicabimus.

§ 1.—QUOAD TENTATIONES ANTEVERTENDAS.

Quam jure igitur supponat tentationes nemini defuturas, magna admodum probatione non eget: nam, præter usum atque experimentum, Scriptura etiam Sacra et ratio ipsa id aperte testantur. Scriptura enim vitam hominis super terram dicit esse militiam, seu, ut Septuaginta vertunt, tentationem. "Annon tentatio est vita hominis super terram."[1] Et Eccl. 2. monet accedentem ad servitutem Dei, quisquis ille sit, præparare animam ad tentationem. Et Christus monet vigilandum et orandum, ne intramus in tentationem. Non quod illuc spectare debeat oratio nostra, ut nulla omnino sit tentatio, hoc enim fieri non potest, ut dicimus; sed ne, in tentationem penitus inducti, ei scilicet succumbamus atque vincamur.

[1] Job. 7.

Ratio porro ipsa perspicue docet tentationes nemini defuturas, quia nemo non habet inimicos a quibus quotidie tentatur: carnem, inquam, suam; mundum; et satanam. Carnem quidem, quia, ut ait B. Jacobus: "Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus."[1] "Unusquisque," inquit, quia nemo non a sua carne et concupiscentia tentatur. Mundum autem, quia bonos continenter insequitur; et, ut ait B. Paulus: "Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur,"[2] "omnes" inquit, neminem excipit. Satanam vero, quia teste Petro: "Tamquam leo circuit, quærens quem devoret;"[3] ubi nota illud "quem;" neminem enim, quem non tentet, excipit, ut infra dicemus. Hi sunt igitur tres hominis hostes, a quibus omnis tentationis fons oritur; et a quibus, lege ordinaria, immunis est nemo. De quibus etiam Bernardus: "Præmuniendus," inquit, "est assidue novitius contra tentationes; ut cum servum Dei, gratis Deo servientem, non cessent sollicitare vitia mercede oblatæ delectationis, diabolo suggerente, carne concupiscente, seculo concupiscenda ingerente."[4] Idem: "Hoc," inquit, "præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet."[5]

Quod si hoc de omni hominum genere verissimum est, ut nemo tentationis omnis funditus expers sit; multo verius id oportet esse de hominibus sanctis, usque qui ad perfectam officii laudem virtutisque nituntur. Quod tribus omnino rationibus planissimum fit. Primum: quia qui perfectæ sanctitati se dedunt, pugnam cum vitiis et cum sua ipsi carne capessunt. Itaque dum suis ipsi cupiditatibus repugnare, quam obsequi malunt, pugnas videlicet ac tentationes perpetiantur oportet, quas non perpetiuntur homines voluptarii ac delicati, qui suis libidinibus atque appetitionibus obtemperant. Hæc enim

[1] Jac. 1. [2] 2. Tim. 3. [3] 1. Pet. 5.
[4] Ad frat. de Monte Dei. l. 1. c. 7. [5] Ser. 5. in Ps. "Qui habitat."

iusa est quamobrem plerique homines seculares agitari ıtationibus non putantur, quia eas obsequendo, non reluctando vincunt; sicut dicit B. Augustinus in libro Sententiarum Prosperi de cœnodoxia: "Quas vires habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui bellum ei indixerit." Altera vero ratio sumitur ex parte diaboli ac mundi; diaboli quidem, quia, ut ait Hilarius in Matthæum: "In sanctificatis maxime diaboli tentamenta grassantur, quia victoria magis est ei exoptata de sanctis." Cujus rei etiam causam fuse ac vere Gregorius exponit in ea verba Job. Qui parati sunt suscitare Leviathan: "Omnes, qui ea quæ mundi sunt mente calcant, et ea quæ Dei sunt plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant, quia ejus malitiam instigatione suæ conversationis inflammant. Nam, qui ejus voluntati subjecti sunt, quasi quieto ab illo jure possidentur, et superbus eorum rex quasi quadam securitate perfruitur;"[1] quod pluribus pergit ostendere. Et alio in loco: "Hostis," inquit, "noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro jure propriæ habitationis expellitur."[2] Ex parte vero mundi, quia ejus semper fuit insequi pie sancteque viventes. Apostolus enim prædicat, ut ait B. Leo, dicens: "Omnes, qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur; et ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis."[3] Et Macarius: "Ea est christianæ religionis via; ubi est Spiritus Sanctus, ibi statim sequatur conflictus et persecutio."[4]

Tertia ratio sumi potest ex parte Dei, qui ad proventum et utilitatem nostram tentari nos sinit: idque tribus fere de causis. Primum quidem, ut per tentationum

[1] Mor. l. 4. c. 23. [2] Ibid. l. 24. c. 11. [3] Ser. 9. de Quad. [4] Hom. 15.

conflictum nosmetipsos noscamus, hoc est imbecillitatem nostram tenuitatemque virium nostrarum; qua ex cognitione gemina redundat utilitas. Altera, ut modestius atque submissius nos geramus in posterum; dicit enim B. Gregorius: "In sanctis tentationem semper aliquam permanere, ne mens in superbiam se dilatet." Altera, ut tentatione oppressi confugiamus ad Deum, ut spem victoriæ ponamus in Eo, clamemusque cum David: "Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum."[1]

Deinde, ut cæteris hominibus nos notos faciat, hoc est nostram virtutem, nostram patientiam, nostram in Deo spem, ut hinc scilicet exemplum petant, quemadmodum in suis tentationibus gerere eos se oporteat. Ideoque dicitur: "Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Tobiæ; nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ."[2]

Postremo ut virtutis exercendæ materiam præbeat, unde nos coronet in cœlo, dum adversus hostes egregie certamus in terra: nisi enim certamen esset, ubi esset corona victoriæ? Recte enim Bernardus: "Necesse est," inquit, "ut veniant tentationes, quis enim coronabitur nisi qui legitime certaverit; aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet."[3] Et Gregorius, "Ne securitas negligentiam generet," ait, "divino permissu tentationis impulsu nos affici, quæ nos exerceat et diligentes efficiat."[4] Quocirca planissimum his rationibus fieri potest viros præcipue sanctos, et qui ad perfectionem sanctitatis aspirant, tentatione pulsari.

Sed objiciet quispiam præsertim e tironibus: Audio tentationes nemini defuturas, et auditis fidem habeo; sed tamen in me ipso nihil tentationis experior. Respondet egregie, ut solet, Gregorius: "Id divinæ gratiæ dispensatione

[1] Psal. 17. [2] Tobias 2. [3] In Cant. Ser. 64. [4] Moral. l. 24. c. 11.

agitur, ne tirones inchoatione sua tentationum asperitate tangantur, quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea, quæ reliquerant, redirent, quam nec longius discesserant."[1] Probat id tum a simili, tum Scripturæ figuris. "Nam et sponsam suam," inquit, "vir quisque prius dulcibus blandimentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis increpationibus probat." Scriptura autem: "Unde et scriptum est," inquit, "cum emisissit Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum."[2] Ex Ægypto itaque exeuntibus e vicino bella subtrahuntur, quia derelinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant, quod evaserunt. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur; post cognitam vero dulcedinem, tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament." Probat id etiam exemplo Petri Apostoli, qui "prius claritatem Dominicæ transfigurationis contemplatur, et tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur." Sed et totius ecclesiæ probari potest exemplo, quæ adhuc tenella per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam habebat pacem;[3] postea vero, magis corroborata, infinitos propemodum atque acerbos persecutores invenit.

Altera potest esse ratio cur tentationibus quispiam non exerceatur, vel quod suis ipse appetitionibus et cupiditatibus non repugnat, ut supra docebamus, sed potius obsequitur et obtemperat; vel quod dæmones dedignantur cum negligentibus decertare. Hanc causam reddit Serenus Abbas apud Cassianum, cur suo tempore quievisse dæmones viderentur, qui superiorum temporum monachis adeo erant infesti: "quia dedignabantur," inquit, "adversus eos illa intentione confligere, qua tunc contra

[1] Mor. l. 24. c. 11. [2] Exod. 13. [3] Act. 9.

illos probatissimos Christi milites sæviebant."[1] Quæ cum ita sint, licet quis suæ conversionis initio nullos tentationum experiatur insultus, non ideo existimare debet jam se esse securum, sed, juxta Scripturæ Sanctæ admonitionem, præparare animam ad tentationem, eamque, ut Ignatius noster loquitur, antevertere.

§ 2.—QUOAD NECESSITATEM ANTEVERTENDI TENTATIONES.

Jam vero cum evitari tentationes in hac vita a nemine possint, jure optimo jubemur eas antevertere; quarum antevertendi necessitas ex tribus maxime rebus colligi potest: — Primo, ex genere ipso quarumdam tentationum,—Secundo, ex imbecillitate nostrarum virium ad resistendum,—Tertio, ex versutia et potentia diaboli nominatim, qui interioris animi tentationes extrinsecus commovet.

Primo, ex genere ipso quarumdam tentationum, quia sæpe incidunt tentationes quædam, quæ nisi omni animi prævisione antevertantur, nulla sapientia ac virtute superari possint. Loquimur autem hic de tentationibus generatim, præcipueque ut ex cupiditatibus nostris pravisque inclinationibus oriuntur; nam de iis, quæ ex satana oriuntur, speciatim mox.

Numerat, ex Bernardo, Bonaventura septem genera tentationum, quarum quinque ad rem nostram maxime faciunt.[2] Missis igitur duabus, quarum alteram dubiam, alteram perplexam appellat, una ex quinque dicitur fraudulitas, quæ animum seducit, et in fraudem suaviter impellit; qualis est tentatio libidinis, quæ vel sapientes et sanctos viros, nisi adversus eam solerter excubent, in fraudem inducit. Sapiens quippe Salomon erat, et tamen alienigenis mulieribus dicitur ardentissimo amore copulatus.[3] Sanctus erat David, Salomonis pater, et tamen

[1] Coll. 7. c. 23. [2] Centiloq. p. 1. sect. 2. [3] 3. Reg. 11.

quia tentationem non antevertit, dum post quietem antemeridianam deambulat in solario domus regiæ, captus est amore Bethsabeæ.[1]

Secunda dicitur violenta tentatio, quæ per vim quodammodo cogit aliquem sibi cedere. Talis est desperationis tristitiæque tentatio, quæ quos invasit, si deprehendit inermes et imparatos, opprimit et manus sibi cogit afferre. Hæc quidem justum Job occupavit in tanto malorum atque ærumnarum cumulo, sed tamen non prostravit, munitum patientiæ thorace, armisque virtutis: "Elegit," inquit, "suspendium anima mea, et mortem ossa mea; desperavi, nequaquam ultra jam vivam."[2] Nonne vides ut desperatione tentetur. Verumtamen quam se ipse contineat ab ultimo desperationis remedio, hoc est a sui ipsius cæde, considera. Postea enim legimus: "Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, et, si corruerint, ipse salvabis."[3] Juxta editionem Septuaginta legitur: utinam possem me ipsum interficere, aut rogare alium ut hoc mihi faceret; nimirum quia intelligebat imbecillis esse animi minimeque fortis desperationi succumbere, et voluntaria sui ipsius nece remedium quærere. Idemque, cum a conjuge tentaretur ut in tantis malis blasphemia mortem sibi accerseret: "Benedic Domino et morere," vide quam forti animo insanam feminam increpaverit: "Quasi una," inquit, "de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus."[4] Ad hanc autem tantam animi fortitudinem ac tolerantiam diuturna meditatione atque exercitatione, ut Chrysostomus ait, sese antea Job comparaverat. "Si antequam," inquit, "cum diabolo certamen Job iniit, non animum exercuisset, non tantopere ex contentionibus clarus ac nobilis fuisset;" et quæ sequuntur. Et paulo infra, probat idem Chrysostomus ex ipso Scripturæ textu, ubi sic loquitur Job: "Quia timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar

[1] 2. Reg. 11. [2] Job. 7. [3] Ibid. 30. [4] Ibid. 2.

accidit."[1] Ideo nihil eorum, inquit, quæ acciderunt illum commoverunt, licet gravia illa atque intolerabilia essent. Hoc ergo fuit tentationem antevertere, comparare se adversus eam, dum, ne in eam incideret, verebatur: et hoc timore semper quisque debet esse, ne imparatum tentationis vis obruat atque prosternat.

Tertia tentationis species appellatur occulta; sunt enim tentationes quædam, quæ deliberationis ordinem præterfugiunt, sensimque irrepunt nobis non sentientibus. Talis solet esse tentatio cœnodoxiæ, quæ occulte sese insinuat, quamvis prudens et oculatus sis. Prudens enim erat David, et tamen occultæ superbiæ tumore deceptus, populum jubet omnem, cui præerat, numerari;[2] de quo Gregorius in Moralibus, "David," inquit, "Deo teste laudatus, secretorum Dei conscius, tumore repentinæ elationis inflatus, populu numerando peccavit, et populus pœnam suscepit, quia secundum merita plebum disponuntur corda rectorum. Quin et ipse David, ubi apertæ cœnodoxiæ crimen agnovit, ingemuit; et post factum corde percussus, 'Peccavi,' inquit, 'valde in hoc facto; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.' Et perierunt de populo, quam numerari jusserat, septuaginta millia: nimirum ne quis levem culpam putet esse jactantiam ac cœnodoxiam." Eadem occultæ cœnodoxiæ tentatio pulsavit Ezechiam, virum sanctum ac prudentem, cum Babyloniorum legatis suos omnes thesauros ostendit, scilicet gloriæ causa et ostentationis inanis. "Lætatus est," inquit, "in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum et pigmenta varia, unguenta quoque, et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis."[3] Propterea reprehensus est acriter a Domino per Esaiam, audivitque hujuscemodi sermonem Domini: "Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ sunt in domo tua, et

[1] Ibid. 3. [2] 2. Reg. 24. [3] 4. Reg. 20.

quæ condiderunt fratres tui usque in diem hanc, in Babylonem."

Quarta tentatio subita nominatur, quæ judicium rationis prævenit, etiamsi occulte et tacite non accedat. Ut solet esse subitæ iracundiæ tentatio, adversus quam nisi quis se armet, quamvis sit virtute et sanctitate præditus, ab iracundia prius occupatur ac superatur, quam ratio prævidere possit. Vir enim bonus et perfectus erat Asa rex Judæ, de quo Scriptura testatur: "Fecit quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui," et "cor ejus erat perfectum cunctis diebus ejus."[1] Et tamen, admonitus ab Hanani propheta, quia habuisset fiduciam in Rege Syriæ, et non in Domino, subita ira incensus "adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum," cumque multa antea præclare fecisset, repentina tentatus ira, ad extremum vertit omnia; "valde quippe," Scriptura inquit, "super hoc fuerat indignatus, et interfecit de populo in tempore illo plurimos."[2] Quod si mansuetudinis et humilitatis exercitatione didicisset iracundiæ tentationem antevertere, nunquam fuisset tantus vir a subita tentatione prostratus. Subita etiam tentatio fuit, cum Princeps apostolorum Magistrum suum, qua nocte tradebatur, semel iterum ac tertio negavit; is, inquam, de quo dixerat paulo ante Christus, "Ecce satanas expetivit te, ut cribraret sicut triticum," cui prædixerat forte ut, prius quam gallus cantaret, ter se negaret; qui millies mori antea malebat, quam ut dilectum magistrum negaret; et tamen prænonitus, edoctus, et in sancto proposito obfirmatus, subita ancillæ voce tentatus negat se nosse Christum, pro quo mortem non dubitabat oppetere. Sunt igitur subitæ tentationes velut hostes quidem repentini inexpectati, qui urbem non satis munitam nullo negotio diripiunt et populantur.

Quinta tentatio dicitur importuna, quæ scilicet pertinaciter insistit; cujus exemplum peti potest ex historia

[1] 2. Paral. 14. et 15. [2] 2. Paral. 16.

Job, quem satanas petiit ut tentaret. Ejus enim tentatio non unius aut alterius mensis fuit, sed annorum, ut testantur Patres aliqui Græci; et certe Olympiodorus, qui in Job scripsit, septem annos asserit eum in tentatione peregisse. Sed vide ex Chrysostomi verbis,[1] quam pertinaciter hæserit satanæ importuna tentatio. "Gravis," inquit, "illi accidit amissio liberorum, sed tamen tragœdiæ huic atroci acerba alia præstolabatur atrocior, nec ulla data respirandi facultate, en tibi vermium fontes, tabifici humoris rivuli, sessio in sterquiliniis, latus lacerans testa, fœtor ulcerum unde lues illa erumpebat, nec attingendi, qui oculis subjecti erant, cibos potestas fiebat, ipsaque peste erat fœtor ille molestior; idque non duodecim, non viginti, non centum dies, sed multos menses. Perpende igitur importunitatem. At Olympiodorus, ut dixi, in catena Græca septem annos ait Job plagæ acerbitatem tulisse, verum, quoniam is, ut ante dixi, diuturna exercitatione ac meditatione se comparaverat, pertinacem satanæ insultum tentationemque superavit. Talis etiam importuna tentatio fuit illa, qua monachus quidam apud Cassianum, post quindecim annorum pugnam, stupri crimen incurrit;[2] et illa, qua monachus alius, post assiduum quadraginta annorum certamen cum pertinaci dæmone, in fornicationem tandem incidit, ut scribitur in vitis Patrum.[3] Quare cum hujuscemodi tentationes ex sua natura vim habeant prosternendi homines vel perfectos ac sanctos, facile hinc intelligi potest, quanta sit necessitas tentationes antevertendi.

Secundo ex imbecillitate etiam humanarum virium colligi potest tentationes antevertendi necessitas. Quamvis enim tentationes ipsæ non essent admodum graves, tamen tanta est infirmitas nostrarum virium, ut vel levissimæ interdum tentationi succumbat. Declarat hanc infirmitatem triplex experientia. Prima est nostra, qua unusquisque nostrum experitur quam, interdum, vel levissimæ res nos conturbent atque concutiant.

[1] Hom. ad Pop. Ant. [2] Coll. 8. c. 16. [3] Vit. SS. Patrum.

Altera est eorum qui nobis ipsis robustiores sunt, et viribus multo superiores, et tamen illos cernimus non magnis admodum tentationibus esse prostratos. Planum est in eo, quem paulo ante nominavimus, apostolorum Principe, quem totius Ecclesiæ petram ac basim constituerat Filius Dei; scimus enim hunc quam levi tentatione dejectus sit, cum Christum ancilla interrogante negavit. De quo Augustinus: "Ecce," inquit, "columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit; ubi est illa promittentis audacia, et de se plurimum præsumentis? ubi sunt verba illa: Quare non possum te modo sequi, animam meam pro te ponam? hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum! siccine anima pro Domino ponitur, ut hoc ne fiat vox ancillæ formidetur." Idem cerni potest in David tam Deo caro, tantaque prædito sanctitate, de quo item sic Augustinus: "Proponunt sibi casum David (loquuntur autem de iis qui nolunt oculos suos figere in pulchritudine carnis alienæ) et ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre unde possint cadere." Et mox, "Carnalis delectatio," inquit, "præsertim usque ad illicita et aliena progrediens, frenanda est et non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda. Attende securus, si non habes unde movearis. Sed respondes: fortiter teneo. Numquid tu fortior quam David?"[1] Eamdem imbecillitatem experiebatur in se Apostolus Paulus cum dicebat: "Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere; sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos."[2]

Tertia est non solum hominum in natura lapsa atque corrupta, verum etiam primorum parentum in natura integra atque sana, qui ipsi a tentatione sunt victi, licet enim naturæ corruptio imbecilliores effecerit vires, homi-

[1] In Ps. 50. [2] 2. Cor. 1.

nisque imbecillitatem auxerit ; tamen ipsa natura hominis, quia ex argilla et luto facta est, hoc ipso infirma est et imbecilla. Et ideo David infirmitatum iniquitatumque nostrarum causam in naturæ conditionem refert, cum ait : "Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se ; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus."[1] Et Job "Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me."[2] Ideo Dominus post peccatum Adæ, cum multas illi pœnas imposuisset, concludit ad extremum : "Donec revertaris in terram, de qua sumptus es ; quia pulvis es, et in pulverem reverteris ;" ut non mirum, si ex pulvere et argilla factus homo cadat et ad nihilum reducatur. Primi igitur parentes etiam ipsi, in tentatione cibi vetiti degustandi, naturæ suæ imbecillitatem experti sunt, et ab ea sejuncti ac separati. Quod si illi in natura integra justitiæ originalis munere prædita atque ornata, in tanto rationis atque intelligentiæ lumine, in tanta concordia ac pace universi hominis, tanto ordine superioris atque inferioris partis, ubi nondum voluptati cupiditas resistebat, tamen de prohibiti cibi usu tentati, levissimum Dei præceptum et observatu perfacile, id quod admiratur Augustinus,[3] violare non dubitarunt ; quid mirum si nunc, cum ad infirmam naturæ conditionem peccati languor accedit, tentationibus homo succumbat.

Tertio in particulari colligitur hæc eadem tentationes antevertendi necessitas ex diaboli tentationis potentia. Licet enim viribus valeremus et robustiores animo, quam sumus, essemus ; tamen adeo versutus et potens est hostis humani generis, satan, ut ad ejus agnoscendas et declinandas insidias, omnes nostræ sint curæ vigiliæque conferendæ. Ab eo enim omnes fere intimæ tentationes extrinsecus commoventur aut adjuvantur, nec superiores illæ tantam vim haberent, nisi eas accenderet dæmon et tanquam ministras adhiberet. Ut non sine causa nos Petrus Apostolus doceat, ut vigilamus et sobrii simus,

[1] Psal. 102. [2] Job 10. [3] De Civit. Dei. lib. 14. c. 12.

"quia adversarius noster diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret."[1] Quod perinde est ac si diceret: Antevertite ejus insidias ac tentationes, tantidem enim est illud "vigilate." Octo autem ex his Apostoli verbis observare in diabolo licet, cur a nobis sit metuendus, et omni animi provisione cavendus.

Primum est, quia adversarius noster est. Semper enim nobis adversatur, ut nunquam tuti esse possimus: ac propterea hebraice "satanas" dictus est, hoc est adversarius. Nam qui cum Deo bellum antea gerebat, postea cum hominibus inimicitias exercuit; et cum invadere Deum non posset, virus in nos suæ improbitatis evomuit, ut aiunt Dionysius Areopagita, et S. Basilius.[2] Leo tamen Papa ex invidia dæmonis ortas esse inter nos et illum inimicitias asserit.[3] "Hæc enim inter nos," inquit, "atque illos per diabolicæ invidiæ fomitem inveterata dissensio est, ut quia illi ab iis bonis exciderunt ad quæ nos Deo auxiliante provehimur, nostris justificationibus torqueantur." Ideo igitur nobis diabolus adversatur. Porro ipsemet id B. Martinus confessus est, cum ei fore dixit, ut quocunque pergeret, adversaretur.

Alterum, cur metuendus sit satanas, est quia calumniator est. Diabolus triplicem calumniam adhibet ut nos perdat. Prima est, dum Deum apud nos in invidiam vocat ut, ab eo aversi, pereamus. Sic primis parentibus, Deum calumniando, dixit: "Nequaquam moriemini, scit enim Deus quod, in quacumque die comederitis, eritis sicut Dii."[4] Et Job dixit nuntius: Ignis Dei cecidit e cœlo, et oves puerosque consumpsit;[5] et apud gentes calumniatus est Deum, dum Eum non habere providentiam rerum inferiorum mentitus est, eisque eadem causa multa vitia persuasit, ut ait Chrysostomus.[6] Secundam calumniam adhibet, dum calumniatur homines apud Deum, ut Job, de quo dixit: "Numquid Job gratis colet Deum?" Calumniatus est

[1] 1 Petr. 5. [2] In Job. 2. [3] Ser. 1. de quad. [4] Gen. 3.
[5] Job. 1. [6] Hom. 2. in. 2. adm.

eum, quod propter bona temporalia ei deserviret, ut ait idem Chrysostomus.[1] Tertiam vero calumniam struit, dum homines apud homines calumniatur ut eos invicem sævire faciat: ut Christianos olim apud gentes, imponens illis sexcenta scelera, de quibus Tertullianus in Apologetico, et hodie passim, dum alterum in alterum commovet. Ideo igitur cavendus ac metuendus, quia diabolus et calumniator.

Tertium quod in eodem est satana metuendum, est potentia et vis; quæ per leonem, qui plurimum valet viribus, declaratur. Nam, ut dicitur Job, "Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret;"[2] et Paulus ad Ephesios: "Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus."[3] Ideoque sæpe in Scriptura "princeps mundi" satanas appellatur.[4] "Princeps mundi hujus jam judicatus est," et "Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras."[5] Duo autem in principatu considerari possunt: alterum est finis, quem spectat princeps; alterum, potestas ad finem perducendi quod spectat. Utrumque in satana cernitur, et propterea princeps dicitur. Finis ejus est homines a Deo per peccatum avertere. Potestas autem est, qua eos tentat et ad peccatum inducit. Hæc potestas maxima est, nisi Deus minuat ac circumscribat. Quapropter Gregorius in Moralibus: "Nisi misericors," inquit "Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profecto est qui malignorum spirituum insidias non corruens portet; quia, si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit."[6] In eamdem sententiam Macarius, cum quærit an satanas ad certum modum laxetur, respondet: "Non sine modo, quia si concederetur ei bellum inferre pro voluntate, omnes pro-

[1] De Patriarch. Job. lib. 13. [2] Job. 41. [3] Eph. 6. [4] Joan. 14. et 16. [5] Ibid. 12. [6] Mor. l. 9. c. 46. in Job. 9.

fecto deleret; sed Dominus, qui novit hominum vasa, variis modis laxat adversariam potestatem." Exercuit hanc ex parte potestatem in Job, quem, quomodo eum tractavit non ignoramus, quamque ei facile fuerit, permittente Deo, omnia ejus bona ac fortunas evertere. Verumtamen ejus potestas certis fuit a Deo finibus circumscripta, cum ei dixit: "Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam:" et infra, "ecce in manu tua est," scilicet caro ejus, "verumtamen animam illius serva."[1] Licet enim satanæ quædam potestas sit, ejus tamen potestas sub potestate est, ut ait Augustinus, nec pro ejus libidine exercere potest.[2] Potest igitur et valet viribus diabolus tamquam leo, et tamen nihil potest non permittente Deo. Sed ne permittat Deus, rogandus est Deus; et in precibus vigilandum, quod Petrus admonet.

Quartum, quod metuitur in satana, est fames inexplebilis animarum, et insatiabilis aviditas eas vorandi, quæ quidem rugitu significatur ab Apostolo: "Tamquam leo rugiens;" ut in Psalmis: "Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi."[3] Itaque "nullum ei aliud desiderium est," ut ait B. Bernardus, "nullum studium, nullum negotium nisi effundere sanguinem animatum. Ideoque prædam, cui semper inhiat, nunquam desperat." "Bellua quippe improba est," ut ait Didymus, "nec spem abjicit aliquando, id quod ad nostram damnationem permagni interest, nec unquam de nostra ruina desperat."[4] Ideo dicitur satanas expetere sanctos aliquos ad tentandum. Sic expetiisse Job legimus;[5] sic Apostolos omnes, Passionis dominicæ tempore, ut cribraret sicut triticum,[6] scilicet tentationum impulsu concuteret atque agitaret, sicut agitatur ventilando frumentum cum purgatur.

Quintum est perennis et continens vigilantia et diligentia ad captandam prædam, quod quidem ejus

[1] Job. 1. [2] In Psal. 61. [3] Psal. 103.
[4] In Job. 12. apud Olymp. [5] Job. 1. [6] Luc. 22.

circuitionibus declaratur, "Circuit," inquit. De nocte enim leones surgunt, et perambulant sylvas ad quærendam prædam, ut dicitur in Psalmis: "Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ; catuli leonum rugientes ut rapiant et quærant a Deo escam sibi."[1] Deinde, "Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua;"[2] sic et dæmon, cum homines dormiunt, ipse vigilat ad perdendos eos: "Cum dormirent homines, inimicus homo superseminavit zizaniam."[3] Porro hanc in circumeundo vigilantiam ipsemet diabolus declaravit, cum, rogatus a Deo unde veniret, respondit: "Circuivi terram, et perambulavi eam."[4] Ubi Chrysostomus, "In eo quod ait omnia se loca peragrasse, seipsum accusat, quod nullum fixum habeat domicilium, nec unquam consistat, sed cunctas regiones perlustret adversus cunctos mortales pugna suscepta."[5] Et Didymus in eumdem locum: "Nullam respuit partem cupiens quietis, præliatur et circumit, amicis quidem subducendis, inimicis vero ad exitium poscendis, juxta illud: "Leo venationi insidiatur semper."[6] Cum igitur ipse vigilet circumeundo, nos quoque plena vigilantia antevertere ejus technas et versutias oportet. Quod admonet B. Cyprianus his verbis: "Excubandum est, fratres dilectisimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sævienti, et jacula sua in omnes corporis partes, quibus vulnerari possumus, dirigenti, solicita et plena vigilantia repugnemus; secundum quod Apostolus præmonet dicens: "Sobrii estote et vigilate;" et idem ad Fortunatum: "Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non solicitum ac toto corde vigilantem, circumveniet nescium, tollit incautum, decipit imperitum."[7]

Sextum in satana pertimescendum, est ejus calliditas et astutia ut in laqueum nos inducat, et ex nobis quæstum prædamque faciat. Hoc est, quod dicit Apostolus:

[1] Psal. 103. [2] Psal. 9. [3] Matth. 13. [4] Job. 1.
[5] Apud. Olymp. [6] Eccl. 27. [7] L. de zelo anim.

"Quærens," variis scilicet modis quærit perniciem nostram, et, ut ait B. Bernardus, "Mille nocendi artibus corda hominum tentare non cessat."[1] Hanc autem astutiam habet satanas, tum ex naturæ subtilitate, tum ex longa tot seculorum experientia. "Nam," ut ait B. Macarius, 'si tu natus annos, viginti, nosti quæ sunt proximi, nunquid satanas, qui tecum ab ortu versatur, cogitationes tuas ignorat; jam enim ætatem habet annorum sex millies."[2] Cyprianus etiam: "Sex," inquit, "millia annorum jam pæne complentur, ex quo hominem diabolus impugnat; omnia genera tentandi, et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit." Et Petrus Chrysologus: "Ille qui naturæ cœlestis fuit, nunc est nequitiæ spiritualis ætate major seculo, nocendi usu tritus, lædendi arte peritus."[3] Et Bernardus: "Magnum quoque discrimen, adversus diabolicæ fraudis astutias, tam crebros imo continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus, et quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quam longa exercitatio malitiæ ejus."[4] Sed de hoc in Collationibus Cassianus, ubi astutiam dæmonum ad notitiam usque nostrarum cogitationum pervenire posse docet nulla quidem scientia, sed aptissimis conjecturis et sagacitate naturæ.[5] Animadverte, si placet, in tentando Job quot artificia quæsierit, et quot eum modis a Deo rapere truculenta bellua tentarit. Perpende quam insidiose agit, dum, ad convellendam tantam animi magnitudinem, pedetentim progrediens a direptione bonorum et asinarum, ad interitum ovium atque pastorum, quos de cœlo tactos ignis cœlestis absumpsit; et ab his ad captivationem prædamque factam camelorum omnium, et hinc deinceps, cum jam ad tristitiam cor viri præparaverat, ad stragem filiorum omnium et filiarum, quos epulantes una gaudentesque propria domus corruens subito oppressit ac sepelivit. Nec his malis

[1] Ser. 5. in Quad. De trip. mod. orat. [2] Ad Fortun. de Exhor. mart.
[3] Ser. 70. [4] Ibidem. [5] Coll. c. 13.

satiatus, sensim ad perdendam omnem ejus valetudinem, imponendamque teterrimam atque insanabilem corpori plagam; et ab hac ad affligendum quoque animum afficiendumque tristitia ac desperationis aculeis per conjugem, per servos, per amicos, quibus dedecorosum atque abominabilem eum reddidit, gradum facit. Quæ quidem artificia atque insidias perpendunt accurate Chrysostomus et Basilius.[1]

Septimum est quod in omnes sævit, nemini parcit. Odium ejus universale est, nemo excipitur ab eo, nemo ab eo tutus atque immunis esse potest. Hoc declaratur ex verbo, quem: "Quærens," inquit, "quem devoret;" modo satiat ingluviem suam, quidquid invenerit prædam suam putat. Et, ut ait Augustinus, "Si tantum nocere potest diabolus quantum vult, num aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra."[2] Propterea in novissimis temporibus, cum laxata erit potestas diaboli in Antichristo, dicuntur breviandi dies illi, alioquin non fieret salva omnis caro: "Sed propter electos breviabuntur dies illi."[3] Et Macarius, "Satanas bellum gerere nunquam desinit, et quamdiu quis vivit attentatur bello,"[4] et "in omnes movere bellum non dubitat vel perfectos, licet non iisdem in omnes modis."[5] Et idem: "Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri."[6] Hoc est, ut interpretatur S. Thomas: "Nolite existimare vos solos hæc a diabolo sustinere, id enim est commune omnibus Sanctis, fratribusque nostris per mundum dispersis. Imo Christo ipsi insidiari atque adversari, si posset, conatus est; quod enim Christus ait: "Venit princeps mundi hujus et in me non habet quidquam."[7]

Octavum, metuenda ejus crudelitas est quod non quodvis nobis optat, sed extremum, scilicet devorationem, "Quærens," inquit, "quem devoret." Ut enim Macarius ait: "Satanas misericordiam nescit;" ideo Job dicitur: "Per

[1] In Job apud Olymp. 12. [2] In Psal. 61. [3] Matt. 24.
[4] Hom. 26. [5] Hom. 19. [6] Pet. 5. [7] Jo. 14.

gyrum dentium ejus formido,"[1] nempe quia ad devorandam conficiendamque animarum prædam parati sunt, nempe incorporando sibi animas per mortalem culpam, ut ait Glossa. Chrysostomus in illud Satanæ apud Job—"Tange os ejus et carnem," dicit: "Truculenta est atque impudens bellua, neque enim satis habet nostris tantum carnibus saturari, nisi in medullas et ossa pervadat";[2] totum hominem deglutire vult, cum ossibus et nervis, ut vorax leo. Porro in devorando celeritas declaratur, quia non nectit moras Satanas leo, sed prædam partam statim in ventrem aufert, ne evadat aut e faucibus rapiatur. Ideo dicitur de Juda: "Cum accepisset buccellam, exivit continuo," ut notat Cyrillus, cujus illa sunt verba: "Magnas diabolus ad imperandum eis, quos omnino jam cœpit, possidet vires, timet ne morando locus pœnitentiæ detur; et quasi a temulentia mentem suam rectius cogitans homo eripiat, ea de causa festinat et impellit. Nam et Judam, cum post panem separaverit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo ejus accenderet, ac inde illuminaret et ad meliora retraheret, magna præcipitem agit celeritate. Hæc sunt igitur in Satana, cur a nobis metuendus et cavendus sit.

Quæ quidem octo ad quatuor potissimum revocat S. Thomas, ut infra dicemus: scilicet ad perversitatem diaboli, quia adversarius; ad fortitudinem et potentiam, quia leo; ad esuriem et crudelitatem, quia rugiens et devorat; ad sollicitudinem et vigilantiam, quia circuit et quærit. Est igitur magnopere metuendus, ut non sine causa tantopere hortatus Dominus suos discipulos videatur, ut orarent ne in tentationem inciderent; eosdemque et nos in iis orare cum docuit, extremam petitionem contra diaboli tentationem hanc nobis statuit: "Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo," ubi de diaboli tentatione mentionem esse SS. Patrum consensus ostendit. Quare cum et genus ipsum tentationum interdum grave

[1] Job 41. [2] Frag. ex Cat. Græc. Pat.

et periculosum sit, et vires animi nostri admodum imbecillæ, et tentator ipse diabolus nominatim paratissimus sit ad perdendas animas, inducendasque in tentationes tales unde illæ non possint emergere, relinquitur maximam esse tentationes avertendi necessitatem. Quod secundo loco propositum erat.

§ 3.—QUOAD MODUM ANTEVERTENDI.

Sed quum et tentationes in hac vita vitari non posse docuimus et eas antevertendi necessitatem, restat ut, quod tertio loco propositum erat, quis sit eas antevertendi modus, ex eadem regula breviter explicemus. Est autem is modus quem regula ipsa præsentit, ut tentationum contraria adhibeantur : v.g., si quis animadvertat ad superbiam se esse propensum, exerceat se in rebus abjectioribus, quæ ad premendum fastum tumoremque pertineant ; et idipsum de aliis pravis animæ propensionibus intelligatur.

Duo autem hic agemus : primum, quibusdam objectionibus occurremus ; deinde, quo facilius percipiatur quomodo tentationibus obviam eundum sit per contraria, breviter indicabimus.

QUIBUSDUM OBJECTIONIBUS OCCURREMUS.

Quatuor objici possunt in hac regula : et 1ª Objectio sit cur P. Ignatius, cum initio regulæ tentationes appellet quas antevertendas esse nos monet, postea in extrema regula, cum de contrariis loquitur, ea nominat quæ tentationes non sunt, sed propensiones, "Et sic," inquit, "de aliis animæ pravis propensionibus." Nam pravæ propensiones, ut ad superbiam vel voluptatem esse propensum, tentationes non sunt, potest enim quis ad eas esse propensus, tamen nulla tentatione pulsari. Respondeo. Propensiones seu proclivitates ad vitia, licet tentationes vere non sint, sunt tamen persæpe causa tentationum et velut earum januæ, per quas illæ ingrediuntur : partim quia pro-

clivitates ad vitia sensim crescunt et adolescunt in impetus tentationum ; partim quia Satanas iis utitur velut administris ad tentandum. Proclivitates, inquam, ad vitia sensim crescunt, ut cum quis proclivis est ad superbiam et inanem gloriam, si negligens sit in hujus propensionis velut seminibus extinguendis, sumit illa vires et in vehementem tentationem evadit. Nam, progrediente tempore, honores et præfecturas non dubitabit ambire, mediocri statu contentus non erit ; quod si in religione habere se perspexerit in postremis, nec magno loco duci, defectionem cogitabit et fugam. Quis hunc igitur in locum conjecit, ut discedere a Deo et terga vertere non vereatur ? Nempe negligentia antevertendæ tentationis ex superbiæ tumore profectæ. Quod si initio contrariis studiis, humilitatis inquam exercitatione, hujus pravæ inclinationis semen obtundere atque extinguere instituisset, non in eam tentationem die procedente se conjecisset. Sane verum est quod dicit Nilus in illud Job 4. Myrmecoleo periit, eo quod escam non haberet, sic enim vertunt septuaginta id quod editio vulgata habet : " Tigris periit, eo quod non haberet prædam." Ait autem myrmecoleonis nomine (quod ex leone et formica compositum est), significari naturam insidiantis perturbationis ac propensionis ; quæ initio quidem formicæ instar latenter obrepit, ubi vero se confirmavit et adolevit, leonis instar efficitur. Ideo subtrahendam escam dicit esse perturbationibus ac propensionibus, ut subito extenuentur et extinguantur, ne si vires fuerint consecutæ, leonis perdifficilem expugnationem habeant. Satanas porro tentationibus ac perturbationibus nostris utitur ad nos tentandos velut administris, quia, ut ait B. Leo : " Omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. Imo in perturbationibus, sicut piscator in aqua perturbata melius capit fallendo pisces, sic diabolus animas.[1]

[1] Ser. 7. in Nat. Dom.

Confirmavit hæc etiam B. Gregorius: "Prius," inquit, "conspersionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, et tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit: quo ergo occultus adversarius facile capiat, vicinas conspersionibus deceptiones parat. Quia enim lætitiæ voluptas juxta est, lætis moribus luxuriam proponit; quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit; quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat; et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit blandis favoribus trahit."[1] Et Bernardus: "Hic est," inquit, "qui jugiter machinatur malum, qui desideria carnis instigat, qui concupiscentiæ ignem naturalem quodammodo venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus inflammat, peccati occasiones parat, et mille nocendi artibus corda hominum tentare non cessat. Hic est qui manus nostras proprio cingulo alligat, et, ut dicitur, baculo nostro nos cædit; ut caro, quæ data est in adjutorium, in ruinam nobis et in laqueum fiat."[2] Idem in Tract. de Ordine vitæ: "Ex ea," inquit, "parte hominem diabolus tentat, qua eum per excrescentem humorem facile ad vitia inclinari conspicit, ut secundum humoris conspersionem adhibeat tentationem."[3] Exemplum ponit Didymus in Juda proditore, cujus verba sic interpretatus est B. Hieronymus: "Observans diabolus, quibusdam motibus et operationum signis, ad quæ potissimum vitia Judæ cor esset proclivum, deprehendit eum patere insidiis avaritiæ, et, reperta cupiditatis janua, misit in mentem ejus quomodo desideratam pecuniam acciperet, et per occasionem lucri proditor Magistri et Salvatoris sui existeret, argentum pro pietate commutans, et suscipiens pretium sceleris a Pharisæis et Judæis.

2ª. Objectio. Cur in regula non additur etiam modus aliquis resistendi tentationibus, sicut ponitur antevertendi.

[1] Mor. l. 29. c. 22.
[2] Serm. 5. in Quad. [3] De ordine vitæ. c. 11.

Nam et B. Petrus, qui vigilandum monet, quod nihil fere aliud est quam tentationes antevertere, resistendi modum adjungit, cum ait: "Resistite, fortes in fide." Et ratio ipsa videbatur hæc poscere, quia posset quis contrariis tentationum remediis tentationes ipsas antevertere, et tamen iis, cum accesserint, laute resistere.

Respondeo dupliciter. Primum, quia hoc ipso quod antevertitur tentatio, facillimus resistendi modus ostenditur. Quid enim negotii est, aut carnis voluptati resistere, si in ea coercenda ac mortificanda te continenter exerceas; aut avaritiæ vel vanæ gloriæ cupiditati repugnare, si perennibus tum paupertatis tum humilitatis colendæ studiis te ipse contineas? Quamvis enim istæ cupiditates ac tentationes subito ac vehementer insurgant, paratum tamen animum, contrariæque exercitationi assuetum minime lædunt; comparavit enim sibi jam virtutis habitum, ut rarissime vix lædi possit. Quod in multis sanctis, qui ex omni tentatione victores evadunt, quotidianus declarat usus; et in Job Chrysostomus observavit, ut supra diximus.

Respondeo secundo. P. Ignatius, cum antevertendi tentationes modum tradit, universe de tentationibus loquitur, præcipueque de iis quæ oriuntur ex nobis, hoc est ex nostris cupiditatibus pravisque animi propensionibus (licet etiam hinc arripiat diabolus ansam, ut diximus, tentandi nos); Apostolus autem de tentatione diaboli proprie loquitur. Ideo recte noster Pater, quo facilius ex incidentibus tentationibus emergamus, jubet eas earum contrariis adhibitis anteverti. Apostolus vero resistendi diabolo propriam rationem tradit; nam cum quatuor præcipua, quo illa octo quæ supra diximus referuntur, B. Petrus significet inesse diabolo tentatori, ut notat S. Thomas, totidem nunc ex parte hominis, quæ illis opponantur, necessaria esse demonstrat. In diabolo enim, ut octo illa, quæ timorem nobis incutere dicebamus, contrahamus, primum est magna perversitas, quia semper

sanctis ac fidelibus adversatur, et propterea dixit Apostolus: "Quia adversarius vester;" secundum est fortitudo et potentia ne quis illi resistat, quæ, ut diximus, declaratur per "leonem," cui difficillime resisti potest; tertium esuries et crudelitas ne cui parcat, quod per rugitum et devorationem significatur; quartum est solicitudo et vigilantia ne quis effugiat, dum dicitur "circuire." His quatuor, quæ ex parte diaboli sunt, totidem Petrus opponit ex parte hominis, ut resistere queat. Nam contra perversitatem ejus, qui semper bonis omnibus adversatur, resistentiam suadet cum dicit: "resistite," sicut et Jac. 4. "Resistite diabolo et fugiat a vobis;" nam, ut ait Gregorius, non est timendus hostis qui non vincit nisi volentem. Contra fortitudinem ac potentiam ejus fortitudinem hominis et animi magnitudinem ponit, cum dicit "fortes;" quia, ut in Exercitiis admonet P. Ignatius, contra diabolum plurimum valet animi magnitudo, sicut pusillanimitas valde nocet. Contra crudelitatem ac voracitatem ejus fidei mansuetudinem ut scutum opponit, dum dicit "in fide:" mansuetudinem quidem quia, ut dicitur, "In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum;"[1] scutum autem, quia monet Paulus: "In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere."[2] Ut enim feritatem inimicorum, qui scuto tecti sunt, parvi pendunt, sic diaboli crudelitatem, qui fidei scuto proteguntur. Denique contra sollicitudinem et vigilantiam dæmonis vigilantiam hominis poscit, cum dicit "et vigilate;" quæ vigiliæ, orationes potissimum esse debent, quod est præcipuum contra diabolum telum, ut infra dicemus. Quare cum de diaboli tentatione ageretur, ea fuerunt adhibenda remedia quæ contra diabolum potissimum valent, et indicandæ resistendi rationes. Quod in nostra regula, quæ ut diximus universe de tentatione loquitur, imo de iis maxime quæ oriuntur ex nobis, locum non habet.

[1] Eccl. 4. 5. [2] Eph. 6.

3ª. Objectio. Cur, cum traditur tentationes antevertendi modus, præteritur oratio ac deprecatio qui esset præcipuus antevertendi modus, imo sine ipso contraria tentationibus studia atque exercitatio minimum valent? Præsertim cum dixerimus non nunquam incidere tentationes aliquas permolestas ac repentinas, quæ prostrare nullo negotio hominem possint; et vires hominis infirmissimas esse ad resistendum, et satanam valentissimum, eumdemque veteratorem ac versipellem, et semper vigilem ad animarum prædam, cui toties faucibus voracissimis inhiat. Quænam igitur exercitatio virtutis contraria tentationibus tanti sit, ut ab iis hominem tutum reddat, ut, nulla implorata divini numinis ope, vinci illæ ac superari possent? Sane Dominus orandum inprimis monet ne intremus in tentationem, neque enim apud Marcum satis habet dicere "vigilate," sed addit, "et orate;"[1] et Lucam, "vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt;"[2] deinde, "orate ne intretis in tentationem;"[3] et idem Petrus, "vigilate in orationibus."[4] Et alibi monemur, in primis, multa nos deprecatione, priusquam tentationes accedant, præmunire. Cur igitur hic præcipuus antevertendi modus, qui in oratione positus est, ab Ignatio siletur?

Respondeo primum, Patrem Ignatium, cum in antevertendis tentationibus adhiberi jubet contraria studia, orationis tamen opem non excludere, imo supponere, et tamquam eam, quæ necessario adhibenda est, præterire. Verum, illud adhibendum remedium censuit quod ex parte nostra est, et in nobis situm est. In rebus enim spiritualibus, ut etiam in naturalibus, duplex necesse est ad actionem aliquam concurrat agens, scilicet universale et particulare. Sicut in naturalibus ad comburendum aliquid concurrit ignis agens particulare, et Deus ut agens universale; quorum alterum si desit, lege ordinaria non fit combustio. Ideoque tres illos pueros in camino ignis

[1] Marc. 14. [2] Luc. 21. [3] Ibid. 22. [4] 1. Pet. 3.

ardentis ignis ipse non attigit, quia subtraxit Deus concursum suum universalem, sine quo ignis in illos vim suam nullam habuit. Idem in spiritualibus dicendum est, et in tentationibus superandis utrumque opus est, et præsidium et auxilium ex parte Dei, et studium ac diligentia ex parte nostra; quorum alterum si desit, nullus est fere virtutis fructus, nulla victoria tentationum. Pater igitur Ignatius, quod ex parte nostra esse debet in antevertendis tentationibus tradidit; quod autem ex parte Dei, præsidium scilicet quod orationibus imploratur, tamque id necessario supponeret, præterivit; non modo commune illud divinæ gratiæ præsidium, quod omnibus Dei datur amicis, verum etiam præcipuum quoddam ac particulare, quod ad præcavendas graviores tentationes necessarium est.

Respondeo secundo, ut in proxima objectione, tentationes, quibus dum vivimus exercemur, duobus modis considerari posse. Vel ut oriuntur ex nobis et radicem habent in nostris cupiditatibus, affectionibus, pravisque animi propensionibus, ut supra significavimus; vel ut ortum habent ex satana, et ab eo, mediis tamen naturæ nostræ inclinationibus, commoventur. Pater igitur Ignatius, quoniam priore modo tentationes consideravit, et remedia adhibenda putavit, quæ illiusmodi tentationibus maxime accommodata videbantur, ut est contrariorum exercitatio. Quid enim magis superbiæ vel cœnodoxiæ tentationem obtundit, quam humilitatis et dimissionis exercitatio? Quid magis libidinis tentationem arcet atque profligat, quam assidua sui corporis castigatio ac mortificatio? Quid contra gulæ tentationem efficacius esse potest, quam jejunii et abstinentiæ frenum? Denique quidquid ex nobis oritur tentationis, id prorsus elevat et extenuat et sæpe ad nihilum redigit contrariarum virtutum studium atque exercitatio. Scripturæ vero, cum tentationes antevertere orationis præsidio nos jubent, posteriore fere modo tentationum nomen accipiunt, ut sunt, inquam, ex diabolo,

contra quem nihil valentius quam humilis deprecatio. Robustissimus enim cum ille sit, nos autem imbecillissimi, contra eum maxime valet brachium Domini summa fide imploratum, et idcirco scutum fidei et oratio; quarum altera alteri jungitur, ut propria contra diabolum tela in Sacris Literis commendentur. Ideo Christus, cum dixisset Petro suæ imminente passionis hora: "Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum," statim subdit: "ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua," et infra: "orate," inquit, "ne intretis in tentationem,"[1] diaboli scilicet de quo supra mentionem fecerat. Et in Oratione Dominica, quam tradidit nobis Matthæus, ubi jubemur orare ne in tentationem inducamur, statim subdimus "sed libera nos a malo," scilicet a diabolo ἀπὸ τοῦ πονηροῦ; ubi Chrysostomus malum hic diabolum vocat, docens nos cum eo habere prœlium, nullo unquam fœdere dirimendum. Eodem modo interpretatur Tertullianus in illa verba: "et ne nos inducas in tentationem;" idest, ne nos patiaris induci ab eo qui tentat. Gregorius item Nyssenus eodem modo interpretatur malum pro diabolo, qui per antonomasiam malus dicitur.

Paulus item ad Ephesios, quoniam de diaboli insidiis mentionem faciebat, eas orationis virtute antevertendas suasit: "Confortamini," inquit, "in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli."[2] Quin et Petrus supra, licet aliis armis, ut ex parte hominis sunt, uti nos contra diabolum præcipere videatur, dum dicit: "cui resistite fortes in fide;" orationem tamen non excludit, cum et antea monuerit vigilandum, et quidem in orationibus superiori capite, et mox addat: "Deus autem omnis gratiæ ipse perficiet, confirmabit, solidabitque;"[3] postea vero, sicut et Paulus,[4] ea arma suasit quæ ex parte hominis sunt, ut scutum fidei. Quæ fides sine oratione non est, imo ejus est comes, et ad orandum prima nos incitat.

[1] Luc. 22. [2] Eph. 6. [3] 1. Pet. 5. [4] Eph. 6.

Ideo SS. Patres hoc etiam præsidium præ omnibus aliis adversus diabolum sæpe commendant, quos colligere supervacaneum est, cum id passim in eorum scriptis reperiatur; ut intelligamus proprium et accommodatum præsidium adversus diabolum orationis telum esse. Nam, ut ait Macarius: "Si fuerint dæmones fortes, robore montibus haud absimiles, ab oratione comburuntur, velut cera ab igni."[1] Ideoque Nilus affirmat: "Omne quod instruitur bellum, inter nos impurosque spiritus, non ob aliud fit, quam ob spiritualem orationem, valde namque ipsis hostilis est, ac maxime inimica."[2] Propterea Chrysostomus ait: "Spiritus malignos continenter obambulare observantes nos, ut si quem deprehenderint orationis præsidio nudatum, eum protinus abripiant."[3] Et Origenes in Job dicit: "Ejus filios, si precantes satanas invenisset, ut invenit epulantes, nullas in eo vires habiturum fuisse." Quare, cum adversus diaboli tentationes proprium antidotum sit deprecatio, jure optimo Scripturæ Sanctæ, cum adversus ejus pugnas ire nos monent, orationis scuto atque præsidio nos armant; ejusque tentationes orationum vigiliis antevertendas suadent. Constitutio vero nostra, quoniam de tentationibus, ut dixi, loquitur ut ex nobis ortum habent, ea præsidia suggerit quæ hujuscemodi tentationibus apta sunt, exercitationem scilicet usumque frequentem contrariarum virtutum; sicut fecisse Dominum Gregorius observat, Qui tamquam cœlestis medicus contraria opposuit medicamenta peccatis; et sicut præcepit Basilius,[4] cum vult affectum inanis gloriæ curare, ubi utitur iisdem fere verbis.[5]

4ª. Objectio. Cur, cum exemplum ponit P. Ignatius antevertendæ tentationis per studia contraria, utitur hoc loquendi modo: "Cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus," ac non potius activa significatione usus est, dicens: cum

[1] Hom. 43. [2] De Orat. c. 49. [3] De orand. Deo.
[4] Hom. 32. in Matth. [5] Reg. brev. Q. 289.

quis animadvertit ad superbiam se esse propensum, exercere se debet in rebus abjectioribus, sic enim videbatur dicendum, quia unicuique incumbit exercere seipsum.

Respondeo. Quia hæc exercitatio non debet esse unius dumtaxat subditi, et ejus qui alieno paret imperio, verum etiam moderatoris, et ejus qui præest alteri, cujus etiam est rationem pro subditis Deo reddere. Dicit enim de Præpositis Paulus: "Ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri."[1] Ideo Præpositorum etiam est subditorum tentationes antevertere, eosque in rebus exercere contrariis; ut sapienter Abbas ille Alexandrinus apud Climacum facere solitus est.[2] Qui si quos forte ex suis subditis ostentationi gloriæque servire animadverteret, præsertim cum externi homines et seculares ad cœnobium ventitabant, is contumeliis eos in conspectu adventantium afficiebat, ministeriaque illis ignobilia injungebat. Quo increpationis genere eos ita curabat, ut jam si qui ex externis ad monasterium accederent, eorum illico conspectum fugerent. Idem Isidorum quemdam civem Alexandrinum primarium, quoniam ex ipso aspectu tumidum ac superbum seculi dignitate conjectabat, statim atque illum in cœnobium recepit, jussit præ foribus monasterii omnium ingredientium et egredientium genibus pervolutum ita dicere: Ora pro me pater, quoniam peccator sum; qua in humilitatis exercitatione septem ipsos versatus annos, ad profundissimam humilitatem dicitur pervenisse.

Dicit igitur P. Ignatius "cum quis animadvertitur," non autem cum quis se ipsum animadvertit, et "exerceri debet," non autem exercere se debet; ut utriusque studium in antevertendis tentationibus complectatur, Rectoris et subditi, quod non ita facile potuisset activa significatione complecti. Huc accedit quod subditus non se semper agnoscit et sua vitia animadvertit, cæci enim sumus in nostris ipsis vitiis inspiciendis; et, ut ait Basilius,

[1] Heb. 13. [2] Grad. 4.

propter philautiam, quæ omnibus est agnata, difficillimum est seipsum agnoscere. Præpositi autem nostri acrius plerumque vitia nostra considerant et animadvertunt, ideo recte dicitur: "si quis animadvertitur." Postremo, etiam exercitatio subditi in rebus abjectioribus, aut studiis tentationi contrariis, non semper in ipso subdito sita est, sed pendet ex Præposito; cujus est hanc vel illam exercitationem vel concedere, si se ipse velit subditus exercere, vel imperare, si ut ab ipso Præposito exerceatur, necessitas postulat. Tribus igitur rationibus hoc loquendi modo usus est P. Ignatius, tum ut sui officii Præpositos admoneret, quorum est subditorum tentationes tamquam patrum et custodum antevertere; tum ut significaret subditorum vitia melius a moderatoribus quam ab ipsis subditis animadverti, ac proinde antevertendi tentationes necessitatem ab his melius quam a subditis nosci; tum denique quia contrariorum studiorum exercitatio, quoniam sæpe publica est et extra solet esse, magis ex Præpositi voluntate consensuque pendet quam ex subditi libertate. Ut cum ad premendam superbiam jubetur subditus attritis vestibus ostiatim emendicare, et similia. Ex quibus colligi licet non debere aut mirum aut grave videri cuiquam, si quandoque aliquem in rebus humilibus aut ejusmodi, quæ contraria tentationibus sint, Superiores exerceant. Illi enim norunt subditorum necessitates, et ab iis ratio sui muneris postulat ut tentationum ingruentium impetus a suis subditis arceant atque propulsent.

QUÆNAM TENTATIONES ANTEVERTENDÆ SUNT.

Jam quoad postrema illa Regulæ verba, "et sic de aliis pravis animæ propensionibus," videndum breviter quod propositum erat: Quænam potissimum tentationum genera pulsare nos soleant, quo facilius, quænam a nobis antevertendæ sint, agnoscamus. Non posuit autem in aliis multis tentationibus exemplum nisi generatim, ponit

autem nominatim in tentatione superbiæ, non sine consilio ac ratione; quia latissime patet, et plerique hominum hoc vitii morbo tentantur; tum etiam quia tentatio superbiæ, etsi a plerisque ut levis contemnitur, est tamen maxime periculosa, et aliarum persæpe radix, quas vulgus hominum pluris facit, ut tentationes libidinis propter apertum dedecus et ignominiam. Si tamen velimus, id quod noster Pater prætermittendum putavit, in aliis etiam tentationibus aut pravis animi propensionibus exemplum ponere, possumus omnem tentationem pravamque animi propensionem ad tria capita revocare, juxta tria illa genera rerum, quas esse in mundo docet Joannes Apostolus; sicut docet Rabanus in Matth. 4. Nam cum "Omne quod est in mundo," ut ille ait, "sit concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ;"[1] ad hæc tria proclivis est hominum vita. Ad voluptatem inquam carnis, ex qua duplex oritur tentatio, ventris scilicet ac veneris; ad cupiditatem pulchra ac speciosa possidendi, unde avaritiæ tentatio gignitur; ad fastum ac tumorem animi, ex quo desiderium laudis atque honorum, ac denique cœnodoxiæ tentatio procreatur. Ideo Dominus, ut suo disceremus exemplo, contra hæc tria pugnare voluit.

Quare Chrysostomus "Omnium, inquit, malorum prava et fortiora sunt tria:—gula, avaritia, et vana gloria; adversus quæ Dominus, tentationis suscipiens bellum, pugnavit pro nobis. Contra gulam pugnavit in eremo, contra avaritiam super montem, contra vanam gloriam super templum."[2] Idem docet Bernardus sæpe in Ps. "Qui habitat."[3] In his etiam tribus docent Patres tentatos esse primos nostros parentes, Adam et Evam: de gula quidem, cum rogavit eos satanas ut de vetito ligno gustarent;[4] de vana gloria, cum dixit: "eritis sicut Dii;" de avaritia, cum ait: "scientes bonum et malum." Dorotheus quoque: "Uno ore," inquit, "omnes Patres asserunt passiones morbosas omnes et omne

[1] 1. Joan. 2. [2] Hom. 15. Op. Imp. [3] Ser. 6. et 14. et Cant. Ser. 33. [4] Gloss. in Matth.

vitium ex aliquo quopiam trium horum vitiosorum affectuum enasci, et ducere originem solere; vel ex appetitu gulæ et laudis, vel ex voluptate et amore libidinoso, vel ex avaritia."[1] Cum igitur ad illa tria omnis prava animi propensio, omnis tentatio revocetur, si Constitutioni obtemperare volumus, accersenda est ad omnium tentationum victoriam triplex in primis exercitatio contraria. Scilicet ut, cum proclives nos sentimus ad voluptatem carnis, illius mortificandæ studio nos ipsos exerceamus; jejunio quidem, cum delectatione ciborum gula nos provocat; plagis autem atque ciliciis, aut et inedia, cum libido nos urit. Cum vero ad avaritiam procliviores sumus, et possessionum divitiarumque cupiditate tentamur; tum nuditatem rerum omnium amplectamur, et paupertatis studio nos dedamus. Si autem ad laudem et gloriam pronior est animus, et dignitatum honorumque nos tentat ambitio; tum, quod hic in Constitutione expressum habemus, abjectioribus nos rebus, quæ ad deprimendum fastum tumoremque ponendum pertinent, exerceamus. Ita contra omnem tentationem contrarii studii exercitatione pectus armabitur et munietur.

Ideo Chrysostomus superius cum tria illa, quæ diximus, mala numerasset, contra quæ Dominus ad nostram eruditionem pugnare voluit, totidem iis bona tamquam e regione collocavit. "Omnium," inquit, "bonorum fortissima sunt tria, adversus tria mala, inventa; eleemosyna contra avaritiam, oratio contra vanam gloriam, jejunia contra gulam."[2] Orationem cœnodoxiæ et superbiæ opposuit, quia oratio subditos nos Deo facit et humiles, quod superbiæ et cœnodoxiæ contrarium est. Dicit enim David: "Subditus esto Domino, et ora eum;"[3] et "Nonne Deo subjecta erit anima mea, ab Ipso enim salutare meum?"[4] —scilicet per orationem, quæ nos Deo subjicit, nec sine humilitate vera esse potest oratio; deinde, quia oratio dat gloriam, vana gloria tollit, et nobis tribuit.

[1] Ser. 12. [2] Ibid. Op. Imp. [3] Ps. 36. [4] Ibid. 61.

Ex his colligimus, si quis tria religionis vota Deo perfecte solvat, eorumque studiis perennibus se contineat atque exerceat, fore ut omnem tentationem prorsus antevertat. Nam exercitatio castitatis armat animam contra libidinis æstum carnisque petulantiam, et studium paupertatis adversus avaritiam cupiditatemque rerum terrenarum, et continua humilitas obedientiæ adversus superbiam et cœnodoxiam. Sunt enim hæc tria, ut nemo non videt, adversus illa quæ Joannes enumerat, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Quare si adversus tentationes præmunitos armatosque nos volumus, huc denique omnis nostra cura, omnes vigiliæ conferantur necesse est, ut vota nostra quam perfectissime Deo reddamus, in eorumque studio continenter atque exercitatione versemur.

Sed dicet quispiam: Sunt præterea tentationes multæ quibus exagitamur, quæ ad tria illa capita non videntur satis commode revocari posse, ut eæ, quas sæpe Bernardus enumerat, et eorum propria asserit qui proficiunt. Quorum enim tentationes esse ait, quæ "proficientium sanctioribus studiis solent ex occulto insidiari, veluti quædam fraudulentæ vulpeculæ; specie quidem virtutes, re autem vitia."[1] Prima est frustratoria quædam spes quam quis habet in acquisitione suorum, cum tacitus secum ipse dicit: Quanti bonum quo solus fruor, si essem in patria possem utique impartiri fratribus et cognatis, notis et amicis, amant me et facile acquiescunt suadente. Secunda est desiderium prædicandi non quidem ad parentes et propinquos, juxta illud "continuo non acquievi carni et sanguini"; sed quasi purius, fructuosius, fortiusque passim ad extraneos et ad omnes. Tertia est eremi ac solitudinis desiderium, cum quis cogitat, si solus degeret multo se copiosiores fructus percepturum, quippe qui in communi vita tantum spiritualis gratiæ fuisset expertus. Quarta denique est notabilis ac superstitiosa

[1] Cant. Ser. 64.

abstinentia inter eos, cum quibus habitare debent omnes unius moris in domo.

Jam hæc tentationum genera, et his similia, quæ sub specie boni se ingerunt, et falso bono supplantant, ut idem Bernardus ait, quonam tandem revocabimus? Non enim, ut diximus, videntur ad unum ex iis capitibus revocari. Item tentationes deprecationis, aut tristitiæ, aut impatientiæ, aut inconstantiæ, non apparet quo revocari possint. Verumtamen cæ quoque, quas Bernardus attigit, ad unum ex illis tribus revocari possunt, scilicet ad superbiam. Nam qui se existimat, priusquam perfectus evadat, posse vel suis visendo ac cohortando, vel proximis prædicando, prodesse, humilis omnino non est. Itemque qui tanti se facit, ut degere in solitudine sine periculo se posse confidat, ne is quidem vero humilitate præditus est. Ac ne is quidem, qui in communi cæterorum vita, singularis in jejuniis, vigiliis, cæterisque hujusmodi asperitatibus esse vult. Contra quæ omnia tentationum genera, quæ quidem virtutis specie moliuntur irrepere, unicum præsidium est sanctæ obedientiæ humilitas, qua quis suorum Præpositorum consiliis acquiescit; nec ipsis inconsultibus ac dissuadentibus tentat vel ad domesticos eorum salutis causa se conferre, vel prædicandi munus sibi assumere; nec majoris sanctitatis gratia solitudinem petere; nec denique extra communis vitæ consuetudinem singulares abstinentias vigiliasque suscipere. Humilitas denique sola est, quam simulatæ virtutis facies aut honestas ementita non decipit. Tentationes etiam desperationis, aut tristitiæ, aut iracundiæ, et id genus aliæ ad eadem capita revocantur; quia aliquid is, qui tristatur aut irascitur, patitur, quod vel corporis voluptati aut quieti, vel fortunarum commodis, vel honoris splendori contrarium est. Quod si quis per votum castitatis assueverit membra sua mortificare quæ sunt super terram, et per studium paupertatis ferre alacriter incommoda omnia, et per obedientiæ humilitatem contemnere honores et existimationem; is profecto

omnes hujusmodi tentationes anteverterit. Præcipue vero ad ferenda fortiter adversa nihil tam valet, quam humilitas, conformatioque nostræ voluntatis cum divina, ut urinatorum exemplo Dorotheus ostendit, qui cum venientem ad se undam viderint, non adversus eam certant, sed ei molliter se secum nent et inclinant, dum unda pertranseat sic, etc. Per humilitatis ergo studium, hujuscemodi tentationes, quisquis ad eas ex naturæ proclivitate labitur, antevertat oportet; omnia igitur tentationum genera tribus illis, quæ dixi, capitibus concluduntur, ut qui adversus illa certamen pugnamque susceperit, contra omnes item tentationes pugnaturus acriter videatur. Porro S. Bernardus consimile præceptum dat: "Adversus," inquit, "impetus vitiorum contrariis virtutibus est pugnandum. Contra luxuriam adhibeatur cordis munditia; contra odium, dilectio; contra iracundiam, patientia; contra timorem, fiduciæ virtus; contra torporem, fervor boni studii. Opponatur tristitiæ gaudium, acediæ fortitudo, avaritiæ largitas, superbiæ humilitas."[1]

Atque hæc de antevertendi modo tentationes, id quod a tribus quæ initio proposuimus reliquum erat; ac proinde de hujus 14. Constitutionis, quam præ manibus habeamus, explicatione satis. Ad honorem et gloriam Summi Dei, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

[1] Tract. de Ordine vitæ. c. 8.

OPUSCULUM NONUM.

DE RECTA INTENTIONE IN REGULAM SUMMARII 17. EX PAR. 3. C. 1. § 26.

"Omnes rectam intentionem habere studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares; id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant divinæ bonitati propter se ipsam."

Quatuor hic agemus: 1°, ostendemus quam jure noster Pater Ignatius commendet nobis hoc studium rectæ mentis; 2°, quænam intentionem mentis nostræ detorqueant obliquamque faciant, ut ea omni animi provisione vitemus; 3°, quænam obliquam dirigant rectamque faciant. His autem, quæ ex ipsa Constitutione eliciuntur, addi poterit 4°, de signis ac notis rectæ mentis.

Quoad primum. Jure P. Ignatius rectæ intentionis studium nobis commendat, quia rectam ubique mentem gerere perdifficile est et studio eget, ut ex iis, quas exigit, conditionibus potest intelligi. Quinque enim hic conditiones observare licet, quarum unaquæque difficultatem habet, quibus in explicandis non tam verborum ordinem quam pondus sequemur.

Prima igitur ac præcipua conditio est, unum id spectare ut serviamus et placeamus Deo propter Ipsum: "Spectantes," inquit, "ut serviant et placeant divinæ bonitati propter se ipsam;" quod, quam difficile naturæ nostræ sit, quis non intelligat? Nam et servire et placere, utrumque difficile. Servire quidem Deo propter Deum difficultatem habet duabus de causis: 1°, quia id sine

nostro incommodo et labore non fit. Qui enim alteri servit, multa ferat incommoda necesse est; labores, vigilias, paupertatem, et id genus alia quæ servi ac famuli solent. Servus ut dicitur "quærit requiescere."[1] Quod si hæc difficilia sunt perpessu etiam famulis mercede conductis, quanto magis iis, quos ad ea ferenda nulla præsens merces invitat? "Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi,"[2] depravatæ naturæ vitio; ergo, nullo nostro commodo aut emolumento, subire propter Deum servitutis incommoda, id naturæ hominis arduum ac perdifficile est. Itaque cum jubet noster Pater id nos in rebus nostris spectare, ut Deo serviamus: hoc videlicet monet, paratos esse oportere ad ferenda hujus servitutis incommoda. In hoc enim sita servitutis est ratio, ut ejus causa jubeantur incommoda; et qui ei se addicit, id persuasissimum necesse est habeat, sine laboribus atque incommodis nullam fore servitutem. Qua cogitatione omnis in Dei famulatu difficultas molestiaque devoratur, omnia dura leviora fiunt. 2°, Habet difficultatem famulatus ac servitus, quia continet subjectionem quandam animi suo carentis arbitrio. Qui enim alteri servit sui dominus ita non est, nec sua utitur libertate. Omnes autem natura malunt imperare quam parere, sui juris esse quam alieni, dominari quam alteri subjici; ac de servo quidem, "Operatur in disciplina et quærit requiescere; laxa manus illi, et quærit libertatem."[3] Natura enim, cum sit liber, jugum repellit servitutis, nec laborum adamat disciplinam. Difficile est igitur alteri famulari, non modo propter incommoda quæ ferenda sunt, ut modo dixi, verum etiam propter servitutis subjectionem, quæ libertate nos spoliat. Idque in rebus omnibus, ut exigit Constitutio, nam sive in suscipiendis, sive in persequendis perficiendisque quibuscumque rebus nunquam nostram nobis sequi voluntatem licet; quia famulus et servus agit et suscipit ad arbitrium domini quidquid agit.

[1] Eccl. 33. [2] Philip. 2. [3] Eccl. 33.

Quare si servi Dei esse volumus, quidquid et nos agimus, id hac quasi regula metiemur divinæ voluntatis ac beneplaciti. Placere etiam divinæ bonitati propter se difficultate non caret; quia, ut inter homines usu venit, multi serviunt dominis suis, sed non eo animo ut iis gratificentur ac placeant, sed aut spe lucri, aut honoris adducti mercede. Sic inter servos Dei potest esse qui serviat tantum Deo, sed non placeat, quia sibi ipsi placere studeat aut hominum oculis, et scenæ serviat ut dicitur; quod utinam non tam multi reperirentur. Idcirco noster Pater studendum monet, non ut serviamus modo, verum etiam ut placeamus divinæ bonitati propter se ipsam. Duo autem is, qui alteri placere studet, spectare debet: primum, rem ipsam qua placeat; deinde, finem gratificandi. Quorum alterum si desit, minime gratificetur ei, cui vult.

Ideo Bernardus ad rectam mentis intentionem duo hæc præcipue requirit, rem et causam; id est quid spectes, et quam ob causam. Intentionemque appellat animæ faciem, qua se formosam vel deformem ostendit domino suo, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur; et ait pulchras illius animæ genas esse, quæ duabus illis rebus decorata est. Alludit autem pervenuste ad ea Canticæ verba: "Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis," et quærit cur non dixerit sponsus faciem, sicut solet cujus pulchritudo laudatur pulchra facie ac decora describi, respondetque: "Idcirco maluisse pluraliter genas quam singulariter faciem dicere, quia duo quædam in intentione, quam faciem animæ esse diximus, necessario requiruntur, res et causa; scilicet quid intendas, et propter quid. Et ex his sane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur."[1] Exemplis rem illustrat, ut legenti planum erit. "Turtur autem pudica avicula est," ut idem Bernardus ait, "et conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fertur contenta compare; ita ut, si illum amiserit, alterum non requirat."[2] Nimirum quia, qui studet placere Deo, soli Deo, non

[1] Cant. Ser. 40. [2] Ibidem.

hominibus probare se debet; alioquin, si hominibus placeat, Christi servus non sit. Hoc autem difficile cum sit, studium videlicet laboremque desiderat.

Secunda vero conditio, quam ad rectam intentionem Beatus Pater exigit, est ut ea versetur primum circa cujusque vitæ statum generatim: "Omnes," inquit, "rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum." Supponit igitur rectam oportere esse primum universe circa vitæ suæ statum, ita ut omnis nostra vita illuc referatur et tendat, ut serviat et placeat divinæ bonitati. Talis est mens atque intentio eorum omnium, qui se primum in religione Deo consecrant; id enim spectant generatim atque universe ut Deo famulentur et placeant. Atque ob hanc causam Pater Ignatius fundamentum Exercitiorum sapienter excogitavit, ut, qui ad ea peragenda se contulit, plane intelligat quo totus vitæ suæ cursus referendus sit. Quod si quis eorum, postquam in familiam aliquam Deo famulaturus se dicavit, oblitus propositi sui, alio convertat vitæ suæ rationes, ut adhonores, ad voluptates, ad commoda, et alia hujusmodi quæ cum tempore obeunt, is intentionem circa vitæ suæ statum jam rectam non habet, quoniam eam alio detorsit, et aliud spectat in universa vita sua quam ut serviat et placeat Deo. Ideoque pernecessarium est huic denuo Exercitiorum fundamentum, ut quo mens ejus tendat agnoscat, eamque a fine suo aberrantem, in eum iterum dirigat. Imitandusque est B. Bernardus, qui cum ad religiosam vitam se contulisset, sæpe se ipse stimulans admonebat: "Bernarde, ad quid venisti?" Hoc ergo, etsi tamquam facile S. Ignatius exigere ac supponere videatur, quam difficile sit vel ex eo intelligi potest, quod non modo ex cæteris hominibus ac secularibus, verum etiam ex ipsis religiosis bene multis, non in singulis actionibus modo, verum etiam in universo vitæ genere, aliquid aliud præter Deum vel non sentientes spectant. Licet enim verbo eum spectare se dicant, re tamen ipsa ab eo valde aberrant, conversis

ad privatas utilitates et commoda suæ vitæ rationibus. Quod indicant tacitæ illæ cogitationes atque consilia, quibus de suæ quisque vitæ statu ea sibi animo designat atque depingit, quæ maxime concupiscit, nulla habita ratione divinæ gloriæ atque obsequii. Hinc videas illum viam sibi munire ad concionandi laudem, alium ad doctoris honorem, et alios ad alia speciosa hujusmodi munera, humilibus obscurisque contemptis. Hæc est causa, cur tam pauci ad perfectionem spiritus aliquando perveniant. Nam qui universum vitæ suæ genus sæpe refert ad Deum, profecto in ejus famulatu perficitur; et plerumque, qui vere, circa vitæ suæ statum, rectam mentis intentionem habere student, eam in rebus singularibus etiam habent.

Quod autem usus atque experimentum edocet, id etiam docet ratio; difficile inquam esse, in universo quoque vitæ genere, recte in Deum intendere. Gemina autem potest esse ratio. Altera est, quia natura hominis non potest ex seipsa niti ad ea quæ sunt ordinis supernaturalis, neque illuc suis viribus pervenire, quæ ab ea longissime disjuncta sunt. Sicut, qui sagittam aliquo collineat, nisi sit certa aliqua distantia atque proportio inter eum qui sagittam mittit et locum quo intendit, nunquam scopum attinget, nunquam jaculans collineabit; sic, cum hominis natura proportionem ad altitudinem et quasi longinquitatem Dei omnino non habeat, si in eum velit intendere, nullis divinis nixa præsidiis, necesse est prorsus ab eo declinet, et ad seipsam, hoc est ad infima hæc et humilia, recidat. Ut jam mirum videri non debeat, si tanta hominum multitudo a suo fine, qui Deus est, longissime aberret. "Omnes enim," ut ait David, "declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum."[1] Declinaverunt autem misere aberrantes a scopo, ad hæc videlicet infima atque terrena; propterea David Dominum rogat: "Et spiritum rectum innova in visceribus meis;"[2] et "Dirige me in semitam rectam."[3] Et senex Tobias filium suum

[1] Ps. 13. [2] Ps. 50. [3] Ps. 26.

sic hortatur: "Pete a Deo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant."[1] Et certe Ecclesia ita orare nos docet: "Dirigat corda nostra, quæsumus Domine, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus." Altera vero ratio difficultatis est, quia perdifficile est in ea intendere, quæ sub aspectum non cadunt, aut quæ nobis occulta et obscura sunt. Nullum enim aliud nobis est in hac vita lumen nisi fidei, quod subobscurum est, videmus nunc Deum in ænigmate, non facie ad faciem, ita ut mirum non sit, si non in eum mens hominis recta feratur, sed ad ea, quæ videt et sentit, cito deflectat. "Qui non diligit fratrem suum quem videt," Joannes inquit, "Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?"[2] Difficile est enim in eum, qui sub sensum cadit, mentem suam amoremque defigere. Ideo excitandum in nobis est fidei lumen, ne curramus in vanum; et æternorum spes toto animo concipienda, ut, in quem nunc per fidem tendimus, eum aliquando facie ad faciem contemplemur.

Tertia conditio, quam noster Pater exigit, est ut in singulis actionibus Deum ipsum spectemus. Neque enim satis habet, ut in universo vitæ genere, et circa vitæ nostræ statum, proposita nobis sit divina gloria ac beneplacitum: "Verum etiam," inquit, "circa res omnes particulares." Quamvis autem in singulis suscipiendis aut exequendis actionibus non necessaria sit actualis intentio mentis, ut theologi docent, sed satis sit virtualis, ut ipsi dicunt; tamen persæpe usu venit, ut in iis singillatim suscipiendis exequendisque mens nostra recta non sit, et cupiditate potius aliqua ad agendum impellatur, quam studio placendi Deo. Quamquam nunc non quod necessitatis, sed quod perfectionis est, quærimus; tametsi difficillima res est.

Oritur autem difficultas duabus potissimum ex causis; Primum, ex multitudine rerum atque actionum, quæ sin-

[1] Tob. 4. [2] 1. Joan. 4.

gulis pæne momentis suscipiuntur, in quibus omnibus rectam gerere mentem, neque unquam detorquere, imbecillitatis nostræ non est. Ut enim qui totum diem jaculatur, necesse est, ut in eodem simili versu a scopo frequenter aberret; ita in tot suscipiendis actionibus fieri non potest, quin a recto mens nostra frequenter aberret. Secundo, oritur difficultas ex varietate et diversitate rerum, quæ et in homine vel ab homine geri solent. In homine enim insunt non modo facta, verum et dicta et cogitata, quæ ut recta sint omnia, recta quoque adhibenda mens est; et hic difficillimum est, ut in omnibus dictis, factis, cogitatis recta geratur intentio. Quamvis enim facta sæpe sint recta, dicta certe aut cogitata, quæ multitudine et numero longe superant, non omnia possunt esse talia. Quis enim ita supra se ipsum excubet, ut nullum unquam verbum excidat ex ore vacue, nulla sit inutilis cogitatio! Quod quia perdifficile et arduum est, idcirco jure Deum precatur Ecclesia in communibus precibus, quæ Prima diei hora canuntur, "ut dirigat sensus, sermones, et actus nostros;" et "ut ad nullum declinemus peccatum; sed ad ejus justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera." Ubi tria hæc enumerat, dicta, facta, cogitata. Præterea inter ipsas actiones atque opera alia varietas est; quædam enim sunt spiritualia, quædam corporea, alia naturalia et humana, alia quasi divina, nonnulla ex suo genere bona ac sancta, aliqua ex seipsis neutra atque indifferentia. Jam in spiritalibus bonis ac divinis haud ita forsitan difficile fuerit recta Deum spectare et puram tueri mentem, quia earum vis ac natura ad id invitat, et proxime referuntur ad Deum ex genere suo, ut est orare, concionari, psallere, et id genus alia. At in humanis ac naturalibus quibusdam actionibus Deum unum quærere, rectamque servare mentem, plus negotii est, quia persæpe ipsius naturæ motus studium placendi Deo in nobis nec sentientibus antevertit, ut cum corpus reficimus et quieti

ac relaxationi nos damus; natura enim ad hæc propendet, et impetu quodam ad ea prius fertur, quam ut in ipsis cogitationem Deo placendi suscipiamus. Propterea Paulus ad hæc quoque descendit, ut in his quæramus Deum, et rectam mentem possideamus: "Sive manducatis," inquit, "sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,"[1] et Colossenses hortatur: "per omnia Deo placentes."[2] Quasi, in tanta rerum actionumque varietate, rectam perpetuo mentem gerere nostræ imbecillitatis, ut dixi, non est, sed ejus qui dicebat, "Ego quæ placita sunt ei, facio semper."[3] Unus enim Christus, Dei unigenitus, in rebus omnibus, tum universis, tum singulis placebat Deo, unus ille recta spectabat; cujus humanitatem, ne a recto deflecteret, Divinum scilicet suppositum ac persona regebat. Cæteri vero "omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,"[4] qui Christus est.

Quarta ponitur a Patre nostro conditio ut in ipsismet rebus singulis, et in unaquaque re perpetuo rectam mentem geramus; inquit enim, "semper." Nam sæpe fit ut unam eandemque rem bene inchoemus, sed non æque bene prosequamur ac concludamus, in eaque semper id spectemus, ut divinæ bonitati serviamus et placeamus. At Constitutio dicit: "id semper in eis spectantes," cujus rei difficultas ex duobus item oritur. Primum ex humana, quam sæpe diximus, imbecillitate; quæ tanta est, ut in una eademque actione non nobis ipsis constemus, sed statim ab instituto deflectamus, nec media primis, aut mediis extrema respondeant. Totum autem id ex eo videlicet ortum habet, quod natura nostra nimium seipsam quærit, et ad se propensa est; quæ propensio tanti ponderis est, ut in una eademque re, etiamsi propositum nobis fuerit divinæ bonitati placere, mox tamen sentiamus invitis quodam modo nobis voluisse placere.

Secunda oritur difficultas ex communis hostis insidiis;

[1] 1. Cor. 10. [2] Col. 1. [3] Joan. 8. [4] Psal. 13.

qui, cum rerum nostrarum initiis obesse non potest, mediis aut extremis tendit insidias. Nam, ut B. Gregorius observavit: "Bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur. Aliquando enim in bono opere intentionem polluit, ut omne, quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat, quo hoc ab origine perturbat."[1] Et de hoc per Prophetam dicitur: "Facti sunt hostes ejus in capite,"[2] ac si aperte diceretur: cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. Aliquando vero in ipsa actione, se quasi in itinere antiquus hostis opponit, ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio, quasi ex insidiis perimatur. Sæpe enim bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat; quæ, quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata dilectat. Hos in itinere laqueos Psalmista conspexerat, cum prophetico plenus spiritu dicebat: "In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi."[3] Aliquando autem Satanas opus bonum in fine actionis illaqueat, quantoque vel a domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto ad decipiendum bonæ actionis terminum astutius expectat. Et de his laqueis idem dixit propheta David: "Ipsi calcaneum meum observabunt,"[4] quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus figuratur actionis?

Horum exempla peti possunt a concionatore, qui licet gloria Dei et charitate ductus sermonem suum aggrediatur, tamen in orationis cursu, sui sæpe oblitus propositi, inani gloriola delectatur; aut si minus in cursu, utique postquam peroravit, præsertim si plausus oblatus sit, gloriatur. Armandum igitur pectus est plurima precatione adversus tantas hostis insidias; et cum Ecclesia matre, in omni actione suscipienda, implorandus est Deus,

[1] Mor. l. 1. c. 36. [2] Thren. 1. [3] Psal. 141. [4] Psal. 55.

ut: "omnis nostra oratio et operatio ab eo semper incipiat, et per eum cœpta finiatur." Non enim sine causa ita nos docuit orare, cum quid aggredimur operis, et alibi rogat Deum: ut "det nobis diabolica vitare contagia, et eum solum pura mente sectari,"[1] adversatur enim Satanas puræ menti, eamque ubique commaculare studet. Sed dices: satis est in persequendo perficiendoque opere virtualis, quem vocant, intentio; nec necesse est actualis, ita ut semper actu cogitemus divinæ bonitati placere. Respondeo: satis esse, modo re contraria prima illa non immutetur aut interrumpatur intentio; facile autem in uno eodemque opere everti atque immutari posse. Præterquam quod id usus aperte docet; ostendit etiam paulo ante Gregorius iis verbis: "Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat." Et hoc est quod noster Pater admonet, cum, in rebus omnibus semper nos spectare ut Deo placeamus, hortatur; non quod actualem illam singulis momentis intentionem exigat.

Quarta conditio, quam noster idem Pater statuit, est ut "sincere" spectemus Deum in actionibus nostris: "Semper," inquit, "in eis sincere spectantes." Potest enim fieri ut Deo servire et placere quis velit, cum in universo vitæ genere, tum in singulis actionibus, perpetuoque in unaquaque re; et tamen pure id sincereque non spectet, sed terrenum aliquid huic admisceat voluntati; et dum Deo placere studet, studeat etiam aut hominibus simul placere, aut suis commodis inservire. Hoc igitur Ignatius noster removet verbo illo "sincere:" nam tum demum rectissima erit intentio, cum pura ac sincera fuerit. Ideoque hæc duo sæpe in Sacris Literis copulantur, "mundus ac rectus." "Si mundus ac rectus incesseris, statim evigilabit ad te;"[2] deinde, "Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus;"[3] et iterum, "Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis."[4]

[1] Dom. 17. post Pent. [2] Job 8. [3] Prov. 20. [4] Psal. 50.

Ut igitur recta mentis dicatur intentio, necesse est eam esse sinceram ac puram seu mundam, hoc est, ut Deum pure spectemus, nihil admiscentes humani atque terreni; ut sint actiones nostræ velut holocausta, in quibus victima integra in honorem divini numinis absumebatur, nihil inde sibi humana cupiditate usurpante, ut ait Philo Judæus.[1] Hoc autem quam difficile sit, quis non videat? Quis enim est tam sanctus, tam avulsus a rebus humanis, qui non aliquando in rebus etiam sanctis ac benefactis se ipsum quærat, suæque gloriæ serviat. Audi Hieronymum adversus Luciferianos: "Conveniat unusquisque cor suum, et in omni vita inveniet quam rarum sit fidelem animam invenire, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat; neque enim statim qui jejunat, Deo jejunat, aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat." vicina sunt vitia virtutibus, difficile est Deo tantum judice esse contentum.

Conqueritur de hoc Deus per Malachiam: "Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito?"[2] Quid levius, quam ostium claudere; quid facilius, quam thus altaribus adolere? Et tamen ne hæc quidem gratuito, et unius Dei causa, homines faciunt.

Ratio difficultatis, quia natura nostra, ut significatum est supra, ima semper et terrena spectat, cum ipsa sit talis, altius non erigitur; ideo iis, quæ videntur, delectatur ac ducitur, quæ vero non videntur, ignorat ac pro nihilo ducit. Cujus quidem naturæ vis tanta est, ut etiam in viris sanctis se prodat interdum. Unus mihi vir sanctissimus Gregorius satis sit testis, cum quid in seipso experiatur, confiteri non dubitat. Is enim, in extremis Moralibus suis, divinis plane voluminibus et Spiritus Sancti afflatu conscriptis, ita humiliter de se loquitur: "Bona si qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus bene me dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens,

[1] Lib. de Sacrific. [2] Mal. 1.

postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem me ex ea summopere placere voluisse cognosco ; sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanæ laudis interserit. Quod cum jam postmodum tardeque discerno, invenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse." Sic enim sæpe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipit, occulte subjuncta et eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis assequitur. Ergo magno studio contra naturam decertandum est, ne prava mens nostra fiat, et in rebus bene gerendis admisceat aliquid sui.

Sed de eo, quod primo loco propositum erat, hactenus. Sequitur ut de altero deinceps dicamus, quænam detorqueant rectam mentem.

Quoad secundum. Quænam autem detorqueant ac depravent interdum rectam mentem, duo ex Constitutione, et ea quidem præcipua colligi possunt : spes præmiorum, et metus pœnarum. Nam si quis spe præmiorum duntaxat impellatur ad bonum, metu autem pœnarum avocatur a malo, non is rectam habet omnino mentem ; cum recta mens id potissimum exigat, ut Dei præcipue causa aut benefactis insistat, aut malefactis abstineat, etiam nullis propositis præmiis aut suppliciis. Et propterea dicit Constitutio : " Propter charitatem, et eximia beneficia quibus prævenit nos, potius quam ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum." Hæc autem duo, quæ ponit S. Ignatius, aut temporalia sunt, aut æterna. Deus enim, ut in altera vita pœnas improbis, mercedem bonis reservat; sic in hac recte facta sæpe remunerat, sæpe vindicat malefacta. Quare potest quispiam, spe mercedis aut æternæ aut temporalis, persequi recte facta ; vicissimque, aut æternæ aut temporalis pœnæ metu, fugere malefacta. Magis autem rectam mentem temporalia detorquent, quam æterna ; quia, cum temporalia viæ quædam et media sint

ad æterna, sæpe illa non pro mediis, sed pro fine adhibentur. Atque ita prava efficitur mentis intentio ; cumque ea oculis subjecta sint nostris, magis etiam nos movent et afficiunt quam æterna, quæ non videntur, neque sub sensum ullum cadunt. Æterna autem propria mentem suam non detorquent atque inflectunt, cum ipsa sint finis noster ; ideoque multo est honestius eorum spe metuve duci, quam spe aut metu temporalium. Quod quidem ea, quæ parenthesis loco noster Pater interserit, satis indicant : " Quamvis hinc etiam juvari debeant ; " quæ quidem verba magis pertinere videntur ad spem mercedis æternæ, aut æternæ pœnæ metum, quam ad temporalem vel mercedem vel pœnam. Verumtamen minus pura mens est, cum eorum etiam amore magis quam Dei charitate movetur, ut hoc ipsum infra pluribus.

Temporalia autem bona, ut de his prius dicamus, quibus flecti aut torqueri meus recta potest, tria omnino sunt : jucundum, utile, honestum ; quibus totidem mala respondent : dolor, paupertas, ignominia. Ergo ut illorum spes plerumque nos ad bonum trahit, ita horum metus a malo retrahit ; ex quo fit, ut minus virium habeat in plerisque charitas Dei, vel ad agendum quidpiam vel ad cavendum, atque hinc tota pravitas mentis. Faciamus hoc planius exemplis.

Videbatur Petrus apostolus Magistro suo bene consulere, cum in monte Thabor tabernaculum ei fieri cupiebat ;[1] sed revera suam potius voluptatem et commodum, quam Christi gloriam ac bonum, spectabat. Quod ex antecedentibus ejus verbis satis liquet : " Bonum est nos hic esse."[1] Idemque, metuens ne jucundissima Magistri sui consuetudine privaretur, increpabat eum, quoniam dixerat multa sibi a Scribis et Principibus perferenda : " Absit," inquit, " a te, Domine ; non erit tibi hoc."[2] Propterea dixit illi Christus : " Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum." Nempe quia temporale aliquid et huma-

[1] Matth. 17. [2] Matth. 16.

num, non æternum et divinum, spectabat. Atque hoc jucundum bonum est.

Secundum autem bonum est utilitas, quæ virium non minus habet ad maculandam mentem, quam delectatio atque voluptas. Cujus etiam laquei atque fraudis in Sacris Literis exempla non desunt. Videbatur Judas pauperibus egenisque consulere, cum dicebat: "Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis?" Sed tamen suam spectabat utilitatem: "Nec enim de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat;"[1] quanquam hujus mens nihil habebat recti, nihil sinceri, tota erat obliqua, tota prava. Turbæ quoque, apud Joannem, cum quærebant Jesum, quærebant eum propter panes quos manducaverant, teste Christo: "Quæritis," inquit, "me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis; operamini non cibum qui perit."[2] Non igitur inutiliter quærebant eum; sed utilitas illa fluxa erat et temporaria, meritoque a Christo reprehensa, ut quæ rectam mentem commacularet.

Tertium bonum est honoris et gloriæ, quod omnium maxime rectam mentem evertit, duplici de causa. Primum, quia cum res sit spiritualis et ad animam ac rationem spectet, honestius videtur expeti gloria ipsa, quam aut utilitas aut voluptas. Planum ex eo fieri potest, quod plerique hominum honores et gloriam non tecte ac dissimulanter ambiunt, sicut aut corporis voluptates aut pecuniæ quæstus, sed palam atque aperte. Ideo hujus appetitus omnibus fere actionibus admiscetur, et rectæ menti struit insidias. Imo hinc Satanas ansam arripit tentandi homines gravioribus vitiis, ut testatur B. Isaac: "Quia vana gloria," inquit, "vitium non putatur."[3] Quod confirmat S. Diadocus, cum ait: "dæmones ex cupiditate gloriæ in primis occasionem sumere suæ malitiæ, et per eam, tanquam per fenestram quandam occultam, diripere

[1] Joan. 12. [2] Joan. 6. [3] De Contempt. Mundi, c. 17.

animas."[1] Hoc videlicet laqueo comprehenderat olim Scribas et Pharisæos, qui omnia opera sua faciebant ut viderentur ab hominibus ; quos sæpe Christus reprehendit, et cavendos discipulis monet.[2] Ex quo intelligi licet, qui gloriæ ac laudis cupiditate ducuntur, eos non hoc solum vitio, verum etiam aliis plurimis laborare ; quoniam hæc fenestra quædam est, qua se in animam Satanas occulte insinuat.

Deinde vero, gloriæ laudisque humanæ sitis dulcissima est propter superbiam, cui natura quodammodo insitum est, post lapsum primi parentis, velle in omnium ore oculisque versari ; et quod reddendum est Deo laudis ac gloriæ, id sibi arroganter assumere. Dulcedo igitur humanæ laudis tanta est, ut in omnibus actionibus, etiamsi primo quæsita non sit, mox tamen oblata delectat. Cujus quidem nocumentum eo majus est, quod propter dulcedinem non sentitur. Confirmat hoc pulchro simili is, quem dixi, B. Isaac. "Ut canis," inquit, "qui lingit vulnera, prius sanguinem bibit, et nocumentum non sentit propter dulcedinem, quæ fit ad horam ; sic et monachus, vanam gloriam bibens, propriam vitam consumit, et non sentit nocumentum propter dulcedinem quæ ad horam fit gloriæ secularis."[3] Et Basilius hac de causa appellat humanam gloriam "suavem spiritalium divitiarum prædonem, et jucundum animarum hostem."[4]

Sed objicies : Quid igitur agam, cum in omnibus fere benefactis atque actionibus meis mihi ipse placeo, et ex adverso delectatio humanæ laudis obrepit ? Num idcirco benefacta pereunt, aut peccati reus efficior, aut a benefactis cessandum mihi erit ? Respondeo, tribus modis posse quempiam ex recte factis sibi ipsi placere. Primum, ut ipsa præclara actione lætetur et gaudeat ; et hoc gaudium, seu complacentia naturalis est et honesta. Sicut enim in malefactis dolendum est, ita et in recte factis exul-

[1] Diad. c. 96. [2] Matth. 23.
[3] De Contempt. Mundi. c. 91. [4] De vit. Solit. Const. Mon. c. 11.

tandum; modo animo non extollamur, quasi magnum aliquid egisse putemus. Et hoc est, quod dicit Nilus in Parænesi quadam: "Gaude quando virtutem exerces, verum ne efferaris, ne quando in portu naufragium accidat."

Deinde potest quis in benefactis sibi placere, quia ex horum occasione gloriola quadam plausuque delectetur. Quod duobus modis evenit; vel quod furtim se voluptas humanæ laudis interserit, nobis invitis ac repugnantibus; vel quod ipsam gloriam humanamque laudem aucupemur, aut certe oblata non inviti lætemur. Cum se furtim nobis non sentientibus, aut etiam repugnantibus humanæ laudis voluptas interserit, tum non idcirco benefacta pereunt, aut aliquid de sua vi meritoque deperdunt, quia totum illud contra voluntatem est, contraque propositum. Ideoque, contra hos gloriæ stimulos non est nobis magnopere decertandum; nec propterea, quod rerum spiritalium imperiti faciunt, a benefactis desistendum. Sic enim docet Bonaventura: "Si bono," inquit, "opere vana gloria pulsat, nos non acquiescamus ei, nec tamen bonum opus dimittamus."[1] Et mox: "Contra tales sagittas, scilicet vanæ gloriæ, non tam indigemus fortiter pugnare, quam prudenter eas manu consilii abigere, sicut muscas levi flabello removemus a nobis." Et quidem viri sancti, ut de B. Gregorio supra diximus, his gloriæ stimulis sunt obnoxii, quia non nunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, insidiando comitatur. Cum quis autem ex benefactis, aut gloriam aucupatur humanam, aut toto animo delectatur oblata, etiamsi non fuerat ante quæsita, tum is nec rectam habet mentem, et si quam initio habuit, totam jam evertit atque destruxit; simillimusque Pharisæis est, qui omnia opera sua faciebant ut ab hominibus viderentur.

His igitur tribus, quæ jam enumeravimus, temporalibus

[1] Op. de Reform. mentis. p. 5. c. 19.

bonis recta depravatur intentio ; quibus, ut dixi, totidem mala respondent, quorum metu a pravis actionibus abstinemus, potius quam Dei charitate. "Quare vigilanti cura (quemadmodum Gregorius admonet), per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat." Hactenus de temporalibus bonis, quæ vim habent detorquendæ nostræ mentis a recto. Dicamus jam de æternis ; et videamus, num æternorum spe præmiorum, aut æternorum suppliciorum metu, nostra aut depravetur aut impura reddetur intentio.

Verum quod prava mens nostra non sit, si suis in actionibus, aut præmium spectat æternum, aut æternæ miseriæ fugam, planius est quam ut confirmationibus egeat. Quia is tandem finis noster est æternæ vitæ præmium, quo omnis nostra actio, tanquam ad suum scopum, dirigenda est. Ergo si huc mens omnis intendat, rectissima est ejus intentio, non prava aut obliqua ; quod confirmat illud David : "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem."[1] Imo huc omnes promissiones Dei, huc pœnarum minæ referuntur, ut his nos a malo avocet, illis ad bonum revocet. Et vero æternæ vitæ bona, eorumque studia sunt maxime conjuncta cum voluntate divina ; imo, si verum quærimus, sunt ipse Deus : "Ego," inquit, "protector tuus sum, et merces tua magna nimis."[2] Quin et Apostoli ipsi spe præmii excitabantur interdum, quærit enim pro omnibus ex suo Magistro apostolorum Princeps, quid sibi, relinquendis omnibus, futurum sit : "Ecce nos," inquit, "reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?" Cui et Christus respondet, præclara promittens : "Vos," inquit, "quī secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël."[3] Mercedem promittit iis, qui non tam mercede, quam charitate duci videbantur. Sed quia intelligebat hoc etiam invitamento

[1] Psal. 118. [2] Gen. 15. [3] Matth. 19.

suos discipulos alacriores effici ad sua sequenda vestigia, idcirco et hic, et alibi, eos spe mercedis tanto magis incendit. Ob eandemque causam proponit ea quæ ad metum pertinent: "Timete," inquit, "eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam."[1] Jure igitur admonet P. Ignatius ut hinc quoque nos ipsi juvemur; imo, ut ait Gregorius: "Quælibet summa opera inaniter fiunt, si intentiones cordium extra æternitatis celsitudinem deflectuntur."[2]

Et Macarius negat quemquam in spiritu promovere, nisi certissime sibi persuadeat se laboribus fruiturum.[3] Mavult tamen noster Pater, nulla proposita mercede vel pœna, divinæ nos bonitati placere; quia perfectorum est una dumtaxat charitate duci. Nam nec discipuli, quos Christus spe mercedis incitandos putabat, ante adventum Sancti Spiritus erant in charitate perfecti. Et reperire licet sanctos aliquos, qui ad id charitatis pervenere fastigium, ut non cum Petro dicant amplius: "Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?" sed cum Paulo jam perfecto: "Quis nos separabit a charitate Christi?" dum respondet: "Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes etc., neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu;"[4] aut cum Ignatio Martyre: "Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam,—ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christi fruar." Quid dicam de Catharina Genuensi, ut alios taceam, quæ ita omnia propter Deum consuevisse facere perhibetur, Deumque propter Deum tam nullo suo emolumento diligere, ut ne vocem quidem illam "propter," qua dicimur propter Deum facere aliquid, interpositam pateretur. Sed, si verum quærimus, hæc tam simplex tamque sincera mentis intentio, beatorum

[1] Luc. 12. [2] Mor. l. 28. c. 12. [3] Hom. 14. [4] Rom. 8.

est potius in patria, quam perfectorum hominum in hac vita; ut, ex Bernardo, significat Bonaventura, qui deificationem propterea appellat, quoniam sic affici deificari est. Deificatio autem, ut ait Bernardus, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, sed totum per intentionem in Deum dirigit: "O pura," inquit, "et defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quod totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est."[1] Tamen hinc intelligi potest, qualem velit P. Ignatius nostram esse mentis intentionem, cum dicit serviendum esse divinæ bonitati: "propter se ipsam potius, quam ob spem præmiorum vel timorem pœnarum"; nimirum beatos imitari nos vult, quorum est in Deum totos rapi, et Deum propter Deum pure sincereque diligere.

Jam vero quæret hoc loco quispiam, utrum P. N. Ignatius, cum bonorum aut malorum spe metuve juvari nos vult, intelligat bona vel mala dumtaxat æterna, an etiam temporalia. Diximus verba illa Patris: "Quamvis hinc etiam juvari debeant," ad spem præmiorum æternorum, aut ad metum æternarum pœnarum pertinere potius quam temporalium: nam æternitatis nullam mentionem facit, aut temporalis spatii.

Respondeo: etsi verba Patris ad æterna bona vel mala, potius quam ad temporalia videntur referri, posse tamen ad hæc etiam pertinere. Ratio hujus, quia divina providentia indidit in animis nostris sitim delectationis, utilitatis, et honoris, quo facilius ad finem nostrum promoveamur; sunt enim tamquam media. Sed nos divinæ sapientiæ ordinem pervertimus atque turbamus, dum de mediis finem facimus, vicissimque de fine media. Quoties enim divinæ bonitati servimus propter hujus vitæ commoda, finem ad media referimus, non hæc ad illum. At si quis utatur vitæ commodis, quo Deo famuletur alacrius ac diligentius, jam is agnoscit media ut media, et finem ut

[1] De Diligendo Deo, c. 10.

finem, nec ulla oritur perturbatio ordinis, quem in rebus hisce divina providentia constituit. Ita significat Bonaventura: "Dederat," inquit, "Deus homini corpus et spiritum rationalem, et concesserat ei delectari etiam in sensibilibus, sed ordinate, moderate, et honeste; ut per sensuum delectationem sursum moveretur ad spiritualium cogitationem, delectationem, et fruitionem." Et mox: "Sed dissipato ordine naturæ conditæ a Deo, per peccatum omnia modo perversa sunt, et ad sensuales delectationes dilapsa."[1]

Ex quo efficitur licere viris bonis ac religiosis hinc etiam juvari, atque in temporalibus commodis vel incommodis permoveri, modo ordinem rerum a Deo statutum teneant, et ad honestum finem hæc, quæ temporalia sunt, referant. Planissimum id ex Sacris Literis fieri potest. Malachias appropinquante morte dum filios suos hortatur, spe gloriæ eos incendit, quasi quodam stimulo ad servandam legem patriam: "Mementote," inquit, "operum patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum:"[2] intelligit autem hujus vitæ gloriam, ut patet.

Et Razias, qui pater Judæorum dicebatur, elegit nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus; et contra natales suos indignis injuriis agi.[3] Ecce quomodo etiam temporali quadam existimatione vir strenuus incitatur ad mortem! Incitabatur autem tamquam stimulo et calcari, non tamquam fine; quod ex iis, quæ consequuntur, apparet. At vero non tamquam stimulo, sed tamquam fine ad agendum gloria duci, id perversæ mentis est. Quo honore merito notari possunt Josephus Zachariæ filius, et Azarias principes virtutis, qui cum audissent res bene gestas et prœlia quæ facta erant a Juda et Jonatha in terra Galaad, dixerunt: "Faciamus, et ipsi, nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro

[1] Opusc. de Refor. Ment. p. 1. c. 20. tr. 2.
[2] 1. Mach. 2. [3] 2. Mach. 14.

sunt."[1] His propositus erat finis, suus honos et gloria, non bonum publicum, aut Dei gloria, ut erat Judæ Jonathæque proposita. Ideo jure illi fugati dicuntur et cecidisse de populo Israel, ad duo millia. Talis etiam fuit Seron princeps exercitus Syriæ, qui cum audisset congregatam a Juda Machabæo congregationem fidelium, ait: "Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam, et eos qui cum ipso sunt."[2] Huic quoque proposita erat gloria sua, et temporale commodum tamquam finis; ideoque jure mox dicitur: "et contritus est Seron et exercitus ejus, in conspectu ipsius."

Id ipsum, secundo, ex Dei consuetudine planum fieri potest, qui non modo æternis, sed etiam temporalibus commodis vel incommodis, homines vel ad benefacta provocat, vel a malefactis avocat; ut ad Heli: "Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles."[3] Deinde dixit Samuel ad Saul: "Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum ultra consurget."[4] Et alibi sæpe, vel metu temporalis pœnæ, vel spe mercedis temporalis, homines aut a malo deterret, aut incitat et inflammat ad bonum. Et quidem non solum in lege veteri, ubi bonis temporalibus Deus plerumque homines alliciebat; verum etiam in lege nova. Nam Christus apud Lucam eos, qui invitati sunt ad nuptias, hortatur ut in novissimo loco recumbant; idque majoris gloriæ causa, ut mox superius cum honore potius jubeantur ascendere, quam cum rubore descendere.[5] Idemque ad se sequendum, spe etiam rerum temporalium, nos excitat: "Nemo est," inquit, "qui reli-

[1] 1. Mach. 5. [2] 1 Mach. 3.
[3] 1 Reg. 2. [4] Ibid. 13. [5] Luc. 14.

querit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc."[1] Intelligebat enim homines nondum perfectos, nec perfectionis iter ingressos, egere, tamquam stimulis, temporalibus etiam præmiorum incitamentis. Qui vero ad perfectionem jam contento cursu nituntur, eos potius excitare æternæ expectatione mercedis.

Quoad tertium. Hactenus de iis quæ rectam detorquent intentionem; Sequuntur ea quæ valent ad dirigendam. Ea sex esse possunt, ex verbis Constitutionis; tria quasi in Deo; totidem quodammodo extra Deum. Primum, quod in Deo est, verbo illo significatur propter se ipsam: "Ut serviant," inquit, "et placeant divinæ bonitati, propter se ipsam"; nempe propter rem subsistentem ac solidam, ne inania atque inutilia sint opera nostra; qualia sint, necesse est, si ponantur in re minime subsistente, minimeque solida, cujusmodi sunt creata omnia, et quidquid præter Deum est. Deus enim sua vi subsistit, et ab eo cætera pendent omnia, sive ut esse incipiant, sive ut esse pergant. Qui, cum bonus sit, imo ipsa bonitas, communicare nobiscum potest quidquid optare aut cogitare possumus; bonum enim est communicativum sui ipsius. Ergo si alio referantur actiones nostræ, inanissimæ reperientur; quia præter Deum nihil est quod vi sua nutuque subsistat, sibique ipsi satis sit, et unde cætera esse incipiant. Tripliciter autem inanissimi sunt labores nostri, nisi sint propter Deum: 1°, quia merito vacui; 2°, quia sine præmio quod merito respondet; 3°, quia sine honore ulloque honesto exitu, ut mox explicabimus.

1°. Vacui sunt merito, quia sine charitate sunt, quæ radix est meriti; charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. At labores isti non Deum, sed proprium spectant emolumentum et temporalem gloriam. Et de his dicitur per Aggæum: "Hæc dicit Dominus

[1] Mar. 10.

exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum."[1]

Optimæ similitudines, quibus declarat Dominus quam inanes sint labores nostri, nisi ad ipsum referantur. Congregamus benefactorum mercedes, multo sæpe labore; sed quia in finem suum, qui Deus est, non referuntur, mittimus eas in sacculum pertusum, qui eas continere non valet. Propterea bis nos per hunc prophetam hortatur Dominus iisdem verbis: "Ponite corda vestra super vias vestras," ut nostras scilicet expendamus actiones, et examinemus quales tandem sint, et quo spectent. Et mox adjungit: "Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus; et intulistis in domum, et exsufflavi illud." Respicimus ad amplius, cum videmur in nostris actionibus gloriam Dei quærere, ejusque negotia agere; sed vere postea fit minus, quia et gloriam nostram quærimus in operibus Dei, et negotium nostrum agimus. Inferimus in domum, dum pios genere suo labores suscipimus, et benefactis insistimus; sed illud, quod inferimus, exsufflat Dominus, quia sinit favorem auræ popularis et inanis gloriæ exsufflare opera nostra, et subito inania reddi meritoque vacua.[2] Talia erant opera episcopi Sardensis ecclesiæ, quæ licet viva viderentur, quia ex sese bona erant, erant tamen inania, minimeque plena coram Deo, ut ait in Apocalypsi Joannes: "Scio," inquit, "opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans et confirma cætera, quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo."[3] Ubi Glossa, scio, inquit, quod in omnibus operibus tuis quæris humanam laudem. Hæc autem B. Joannis verba magno cum timore et tremore considerare nos admonet Augustinus. Jam plenum et inane sibi vicissim opponuntur; cum ergo plena se neget angelus invenisse illius, quam dixi,

[1] Agg. 1. [2] Vide Ribera. [3] Apoc. 3.

episcopi opera, indicat inania fuisse coram Deo et vacua merito, cum ad Deum non referrentur. Quidquid enim agimus, licet bonum sit id quod agimus, tamen, nisi propter Deum agimus, est inane meritoque vacuum. Et quisquis bonis studet operibus alia mente atque consilio, quam propter Deum, habet quidem nomen quod vivat, quodque meritis apud Deum abundet, sed revera mortuus est; quia inanissima sunt opera ejus, et meriti omnis expertia, cum charitate sint vacua. Ambrosius in hunc locum: "Sicut mortuum," inquit, "est sine anima, ita et nos si quælibet bona videamur habere, mortua sunt; si charitas defuerit, opera ejus non erant plena sed vacua, quia charitate non replebantur." Ideo Gregorius in illud Christi, "Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit," inquit: "Quia, cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen æterni judicis obscuratur."[1] Et Richardus a S. Victore: "Quidquid," inquit, "ex hac radice nascitur, sterile et infructuosum efficitur, etiamsi bonum esse videatur. Nam quidquid boni agimus et dicimus, ex sinistra intentione corrumpere atque annihilare possumus."[2]

2°. Sunt inanes labores nostri, quia sine præmio; sicut enim vacui sunt merito, ita et præmio quod merito respondet. Quid autem stultius, quam in via Domini laborare, et nihil præmii ex suis laboribus reportare? "Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?"[3] "Argentum appendunt non in panibus," qui pulchra illi quidem et præclara opera faciunt, non propter solida æternæ vitæ præmia. "Laborem suum non in saturitate," quia cum propter temporale aliquod emolumentum et commodum labores suscipiant, non possunt inde explere famem suam et saturari; nihil enim ex his, quæ videntur, exsaturare hominem potest. Dominus autem et in Evangelio hac de causa nos monet:

[1] Mor. l. 28. c. 11. [2] In Ps. 136. [3] Isa. 55.

"Attendite ne justitiam vestram faciatis, coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est."[1] Et de iis, qui hac animi intentione consilioque justitiam suam in conspectu hominum faciunt, dicit: "Amen dico vobis, receperunt mercedem suam;"[2]—mercedem quippe minime solidam, brevissimam illam gloriolam apud homines: apud Patrem autem, qui in cœlis est, nullam.

Basilius quærit: "Qui sunt illi, qui per paleas intelligantur in Scriptura igne inextinguibili comburendas? Et respondet, ii, qui dignis regno cœlorum et electis utiles sunt, sive per dona spiritualia, sive per beneficia corporalia; sed tamen prava mente id faciunt, non charitatis affectu, vel erga Deum vel erga proximos, atque ita sibi ipsis inutiles sunt; quia nullam justam solidamque mercedem ex bonis suis operibus referunt, sed comburentur ut paleæ."[3] At vero si labores nostri Deum spectent, et in bono oculo suscipiantur, valde frugiferi sunt et multiplici præmio decorantur. Audi Ecclesiasticum: "Da Altissimo," inquit, "secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi,"[4] scilicet multiplicatum valde reddet, si bono et simplici mentis oculo tua opera illi offeras. Ideo et David: "Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi."[5]

3°. Sunt etiam labores nostri, nisi Deum spectent, inanes, quia nullum honestum exitum sortiuntur, sed sine honore sunt, et pudore nos perfundunt ad extremum, ut ea, quæ ad finem suum deduci non possunt; quibus adversarii, incipiunt illudere, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare." Quæ autem major confusio aut dedecus, quam videri opera Dei studiose sectari, videri in Deum tendere, et tamen ab eo longius

[1] Matth. 6. [2] Ibid.
[3] Reg. brev. 257. [4] Eccl. 35. [5] Psal. 17.

aberrare, et in novissimo judicii die deprehendi pravum atque hypocritam. Nam, ut ait Ecclesiasticus: "In fine hominis denudatio operum illius;"[1] non enim omnia, quæ in hac vita videntur bona atque sancta, talia tum reperientur. Sed cum venerit Dominus, "Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (scilicet intentiones nostras); et tunc laus erit unicuique a Deo,"[2] si bonæ scilicet repertæ fuerint. Quanta igitur tum confusio, quale opprobrium, cum non quales videbamur, inveniemur. Ideo S. David Dominum rogat: "Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar."[3]

Contra vero si labores nostri ad Deum referantur, et ejus causa suscipiantur, quia erunt nobiles et honesti. "Justum" enim Deus, "quem per vias rectas semitasque deduxit, honestavit in laboribus, et complevit labores illius,"[4] ut est apud Salomonem. Honestat autem in laboribus, partim quia honorem et gloriam illius laboribus addit, partim quia non permittit ut laboribus frustra susceptis confundatur; et confunduntur ii, qui pro Deo se laborasse rati, nihil ex suis laboribus præmii referunt. Græce est εὐπόρησεν αυτὸν ἐν μόχθοις; quod Latinus interpres vertit, Honestavit illum in laboribus; Italice, Fece che le sue fatiche riuscissero con onore. Complet autem labores illius, quia multi incipiunt illi quidem egregie pro Domino et propter Dominum laborare; sed in medio cursu, vel tædio laboris, vel prava affecti mente, suos perdunt et corrumpunt labores, ut pervenire ad finem suum, et usquequaque complere non possint. Deus autem justi labores complet, et ad perfectum deducit, ut pulcherrima quæque cum absoluta undique, et suis numeris sunt expleta.

Secundum vero quod ad intentionem animi dirigendam valet, quodque in Deo est, significatur eo Constitutionis verbo: "Et propter charitatem:" charitas, inquam, Dei et

[1] Eccl. 11. [2] 1 Cor. 4. [3] Psal. 118. [4] Sap. 10.

immensus amor, quo nos complectitur, satis esse debet ut divinæ bonitati serviamus et placeamus, etiamsi nihil ex ejus bonitate speraremus. Nam si veri, non adulterini filii sumus, ea illum charitate, qua nos ipse diligit, diligemus; diligit autem nos ille charitate gratuita, ergo et nos illum eadem charitate, desperatis emolumentis et commodis, si veri filii dici volumus, diligemus. Tres autem conditiones in ejus charitate observare licet, quas æmulari quoquo modo possumus et debemus. Prima est quod est gratuita, ut diximus, quia nulla sua utilitate nos amat. Cum enim sit omne bonum, et omnem in se perfectionem contineat, bonorum nostrorum non eget; sicut dicit David: "Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges."[1] Quod sit autem omne bonum, ipse testatur in Exodo: "ostendam tibi omne bonum;" quod explicans Augustinus dicit: "Tolle hoc, tolle illud, respice bonum ipsum si potes,"[2] hoc est Deus. Cum igitur Deus extra se nullius rei egeat, sed habeat intra se omnem bonitatem ac perfectionem, et tamen ita nos amet ac si egeret, magna profecto eademque gratuita ejus est erga nos charitas. Imo Augustinus dicit, idcirco ab eo factas creaturas in tempore, licet eas faciendi mens atque consilium jam inde ab æternitate fuerit, ut ostenderet se eis non eguisse, sed sine eis ab æterno tempore omnino beatum fuisse, et usquequaque perfectum.[3] "Hoc enim erat Deus," Cyrillus ait, "antequam nos creati essemus, quod nunc est; nihil ei attulimus a nihilo ad esse producti, et si ad nihilum redigeremus, nihil ei detraheremus." Amat igitur nos gratuito Deus, nec naturali solum amore, ut cæteras res creatas; sed, quod majus est, amore supernaturali.

Conditio secunda est quod Dei charitas est sempiterna, non enim hesterno die, aut cum primum nati sumus, incepit; sed jam inde ab omni nos æternitate dilexit, licet hujus amoris effectus in tempore fuerit. Ita

[1] Psal. 15. [2] De Trin. l. 8. [3] De Civit. Dei. l. 12. c. 17.

Paulus: "Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem."[1] Admirabilis igitur Dei erga nos amor una cum Deo æternus: tam antiquus est amor ejus erga nos, quam suus erga se. Tertia conditio quod Dei charitas est spontanea et libera, quia non ex necessitate nos amat, nec ex passione, nec ex invitamento alicujus boni, quod aut nunc reperiat in nobis, aut speret aliquando de nobis. Non ex necessitate, quia se tantum necessario amat, nos autem libere; et potest, si velit, nos non amare. Nec ex passione qua homo hominem sæpe amat, quia in Deo nulla passionis aut perturbationis inordinatio esse potest. Nec ex invitamento alicujus boni aut meriti, quod sit in nobis, quia nullis antegressis meritis, aut amandi ratione nos amat. Est enim discrimen inter amorem nostrum et Divinum, quod nostrum præcedit ratio in eo quem amamus, cur amare velimus, amor enim noster invenit quod amet, non ponit aut facit; at Divinus non invenit in amando ullam amandi rationem, sed ipse facit, hominemque sibi amabilem reddit. Ideo Augustinus observat illud "Dilectis Dei;"[2] et non dicitur, inquit, diligentibus Deum, sed dilectis a Deo; quia enim dilecti sunt, propterea diligentes fiunt. Imo non modo non invenit bonum aut meritum aliquod in homine, cur eum amet; verum etiam invenit malum et demeritum, cur odisse debeat; et tamen amat, et amare non cessat. Quod admirans Paulus: "Commendat," inquit, "Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est."[3] Nec sperat aliquid, ut homo ab homine, boni, cur eum amare velit; quia jam nos omnes prævidit ingratos, et tamen suo nos dignatur amore. Quod Chrysostomus adnotat: "Commendat," inquit, "Deus charitatem suam, quod pro ingratis filium dederit."[4]

Est igitur Dei in nos charitas libera, spontanea, voluntaria, non ex necessitate, non coacta; quam æmulari utcumque, si veri filii esse volumus, nos debemus. Ita

[1] Eph. 1. [2] Rom. 1. [3] Rom. 5. [4] Hom. 26.

ut nulla nobis utilitate proposita eum amemus, eique placeamus; idque sempiterna quadam charitate in rebus omnibus, ut jam diximus; ac denique non ex necessitate, aut timore gehennæ, sed voluntarie ac libere, prout unusquisque destinavit in corde suo. Sic veri filii erimus, non nothi atque adulterini, qui non tam patris amore, quem non agnoscunt, quam spe mercedis aut terrore supplicii, suam illi operam exhibent. Quare Ambrosius in Lucam: "Filius," inquit, "qui habet Sancti Spiritus pignus in seculari corde, mercedis lucra non quærit, sed servat jus hæredis."[1] Ergo qui lucra quærunt, adulterini sunt et infideles filii, non veri atque germani. Et de iis dicitur: "Generatio prava et exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus;"[2] quales olim erant filii Israel, quos Propheta describit. Pravam autem generationem appellat, quæ cor rectum, ut boni filii, non habet, sed patrem diligit sui commodi gratia; quod idem est ac diligere in ore, ut infra. "Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo."[3] Nempe quia, cum dicunt se Deum quærere ac diligere, nec tamen nisi se ipsi quærant ac diligant, lingua mentiuntur.

Exasperans autem dicitur generatio, quia nihil ita exasperat atque irritat, quam cum videmur, filiorum instar, patris bonum quærere et ejus negotium agere, et tamen agimus nostrum, et bonum nostrum quærimus. Dicitur autem generatio quæ non direxit cor suum, quia, cum iræ filii nascamur omnes, nascimur etiam pravi: "Pravum est cor omnium et inscrutabile."[4] Ergo quod habemus a natura corrupta pravum, dirigendum per gratiam nobis est. Ista vero generatio quæ cor filiorum non habet, naturæ secuta pravitatem, quod dirigendum fuit non direxit. Et non est creditus cum Deo spiritus ejus, quia fidelis patri suo non fuit; quod infra dicitur: "Nec fideles habiti sunt in testamento ejus."[5] Et Moyses:

[1] Gl. in c. 3. [2] Psal. 77. [3] Ibid. [4] Jer. 17. [5] Psal. 77.

"Generatio," inquit, "perversa, et infideles filii." Ideoque Basilius hic, ubi dicitur "et non est creditus cum eo spiritus ejus," legit, et non fuit fidelis spiritus ejus; fidelis autem dicitur, qui non quæ sua sunt quærit, sed quæ Dei.

Sciendum autem quatuor potissimum fidelitatis genera reperiri, alio aliud perfectius. Unum est servi erga dominum, de qua fidelitate: "Si est tibi," inquit, "servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta."[1] Hujus autem fidelitatis in eo sita est ut rem domini sui bene gerat, non dilapidet, non in usus suos convertat et furetur, ut infideles servi; et de hoc dicitur: "Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam."[2] Fidelis autem fuit super pauca, quia duo domini talenta lucrando multiplicaverat. Secundum fidelitatis genus est amici erga amicum, de qua fidelitate dicitur: "Amico fideli nulla est comparatio; et amicus fidelis, protectio fortis."[3] Cujus fidelitas in eo posita est ut amicitiæ gratia amicum diligat, non cupiditatis aut emolumenti causa; quia non mercenaria sed gratuita debet esse amicitia, ut dicitur in Ethicis.

Fidelitatis tertium genus est sponsæ erga sponsum, de qua dicitur apud Osee: "Sponsabo te mihi in fide." Sponsi autem et sponsæ fidelitas in eo est, ut propter mutuum, quo se complectuntur, amorem, neuter conjugum ad alienum thorum accedat, sed mutuam sibi fidem alter alteri servet. Adulter autem voluptatis gaudium, non filiorum procreationem quærit. Quartum fidelitatis genus est filii erga parentes, de qua antea dixi quod est, esse fidelem in dilectione. De qua: "Fideles in dilectione acquiescent illi."[4] Cujus fidelitas in eo potissimum cernitur, ut et patri serviat placeatque nulla utilitate quæsita, et eumdem diligat propter ipsum, ejusque dumtaxat amore et charitate. Quod fidelitatis genus omnia superiora longo intervallo superat; quod si illa nihil proprii emolumenti

[1] Eccl. 33. [2] Matth. 25. [3] Eccl. 6. [4] Sap. 3.

atque utilitatis admittunt, quanto minus hoc, quod in unius patris charitate fundatur? Ergo ad hoc fidelitatis genus nos noster Pater hortatur, cum jubet Deo nos servire et placere dumtaxat propter ejus charitatem; scilicet, tamquam fideles Patri amantissimo atque optatissimo, qui paterna erga se tantum charitate ducuntur. Et tum demum rectissimum cor nostrum erit, et fidele coram Deo, sicut de Abraham dicitur: "Invenisti cor ejus fidele coram te,"[1] nempe tamquam filii, qui in rebus omnibus studeat placere patri. Hanc fidelitatem B. Franciscus optabat, cum dicebat: "Peccator jejunare potest, orare, plangere, carnemque propriam mactare; hoc solum non potest, Domino suo esse fidelis."[2] In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes Ipsi quidquid donat adscribimus.

Tertium, quod ad rectam intentionem mentis assequendam valet, significatur iis Constitutionis verbis: "et eximia beneficia quibus prævenit nos." Nam si quem minus movet eximia Dei charitas qua nos complectitur, et cujus unius causa, sublata etiam omni spe præmii, perpetuo ei serviendum et placendum esset; moveant illum saltem egregia beneficia, quæ ex tanto charitatis ardore in nos profecta sunt. Non enim Dei charitas otiosa est, sed ex se parit innumerabilia in eos, quos diligit, beneficia. Jam si eximiis nos beneficiis antevertit, jus grati animi exigit ut ob ea saltem beneficia servire et placere ejus bonitati, nulla utilitate quæsita, studeamus, Persoluta est enim affatim jam studio nostro, et servituti nostræ merces antecedentibus beneficiis; "Quoniam Ipse prior dilexit nos," Joannes inquit.[3] Et, ut intelligas quid pepererit illa dilectio, statim addit: "Et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris." Hinc S. David divinorum non immemor beneficiorum: "Inclinavi," inquit, "cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retri-

[1] 2. Esdr. 9. [2] Bonavent. in Vita. c. 6. [3] 1. Joan. 4.

butionem."[1] Quem locum Doctor quidam interpretatur non de futura retributione, sed de præterita; hoc est de iis, quæ jam illi Dominus retribuerat, quemadmodum loquitur: "Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi."[2] Ubi "retribuit," non est proprie reddidit et gratiam retulit, sed est iterum tribuit, aut sæpius tribuit, propter crebra et plurima beneficia; ut etiam: "Noli oblivisci omnes retributiones ejus,"[3] quæ vox præteritorum beneficiorum frequentiam exprimit. Cum igitur eximiis Deus servitutem nostram anteverterit beneficiis, ingratissimi profecto servi simus, si mercedem aliquam præter Deum ex servitute nostra spectemus. Explicemus hoc simili aliquo. Fac esse hominem in obscurissimis custodiæ tenebris, captum oculis auribusque, vinctum manibus atque compedibus, mutum præterea, et spiritu quodammodo destitutum. Jam quæro ex te, si miser ille liberatorem aliquem inveniet, qui de carceris tenebris in clarissimam solis lucem, solutum ac liberum vinculis, eum educat; qui medicamentis quibusdam rationem reperiat, quemadmodum et videndi, et audiendi, et loquendi facultatem recipiat, qui pæne mortuum ac spirantem reficiat ac recreet; quare inquam, si hujus liberator et vindex velit illum postea in suos famulos coaptare, eritne tam demens is qui liberatus est, ut pro famulatu suo aliam a liberatore mercedem exigat aut expectet? Certe tam eximia liberatoris sui beneficia, quibus ejus servitutem antevertit, nunquam sinerent eum aliquam aliam expectare mercedem, præter ipsius vindicis charitatem. Quid ergo faciendum nobis est, si eximium illud Dei beneficium, cum ex tenebris nihili in hanc lucem nos edidit, nostris cum animis reputemus; cum nos his sensibus, quibus carebamus, instruxit atque ornavit! Hoc spiritu, quem ducimus, imbuit; hac tanta mentis præstantia donavit! Quod quidem primum ac singulare beneficium plurima deinceps alia ingentia atque egregia consecuta sunt

[1] Psal. 118. [2] Psal. 115. [3] Psal. 102.

beneficia. An non igitur tot tantaque Dei, quibus nos prævenit, beneficia ac munera magnam vim, magnum pondus ad dirigendam mentem, in eumque semper intendendam valent!

Atque hæc tria, quæ diximus, ad rectam intentionem valere plurimum, in Deo quodammodo sunt; jam extra Deum totidem esse possunt.

Quartum ad obtinendam rectam mentem præsidium eo Constitutionis verbo significatur: "et in omnibus quærant Deum." Quo admonemur ut ante oculos proponamus nobis Deum finem nostrum, in rebus omnibus tum suscipiendis, tum persequendis. Quanquam enim his verbis idem repeti atque iterari videtur, quod supra dicebatur: "semper in eis spectantes ut serviant Deo," tamen placet magis hæc non esse synonyma; sed proximis verbis nos admonet, ut nobis ante oculos proponamus finem nostrum Deum in rebus agendis. Quia natura maxime ad ea fertur quæ sub oculos cadunt, quæque videntur, veluti hæc temporalia; quæ autem non videntur, ut æterna, ad ea mens nostra ferri, nisi ea nobis sub oculis subjiciamus, atque aspirare non potest. Ut qui sagittam in destinatum locum jaciunt, nisi illuc identidem quo dirigenda est sagitta respiciant, facile aberrent; sic avarus, in omnibus suis actionibus, a negotiatione ad lucrum intendit animum, et in omnibus lucrum quærit. Ergo et in re spiritali nos quoque, cum quid inchoamus aut agimus, necesse est habere ante oculos propositum finem, qui Deus est, ne prava sit mens nostra, pravæque actiones quæ oriuntur ex ea; atque hoc nimirum est in omnibus Deum quærere, quod Constitutio monet. Confirmat hoc luculenter anachoreta Marcus de lege spiritali: "Nihil," inquit, "cogites aut facias citra scopum Deo gratum; etenim, qui sine scopo iter facit, nequicquam laborat."[1] Et fortasse, hoc etiam voluit Ecclesiasticus cum dixit: "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum

[1] Cap. 138.

non peccabis."[1] Nam et ad finem ac novissima cujusque operis referri hoc Salomonis dictum potest; quod tum demum recta futura sint opera nostra et absque gravitate peccati, (peccare enim, ut dixit quidam, est tanquam transilire lineam et a recto deflectere) cum eorum finis ad memoriam revocatur. Ceterum de impio et facinoroso, qui non sibi proponit in conspectu suo finem Deum, illud cecinit regius vates: "Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore."[2]

Quintum vero adjumentum est exuere se amore terrenarum omnium creaturarum, ut eadem Constitutio præcipit: "Exeuntes," inquit, "se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum;" quod quidem maximam habet vim ad puritatem mentis, et rectum cor possidendum. Quid est enim, quod mentem nostram maculat ac depravat, nisi creaturarum amor? Id quod supra pluribus demonstratum est, cum dicebamus tribus bonorum temporalium generibus mentem nostram a recto deflecti: voluptate, utilitate, gloria. Ad hæc enim tria Joannes Apostolus quidquid est in mundo, et quidquid transeuntium creaturarum est, revocat: "Si quis," inquit, "diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia ejus."[3] Hæc, inquam, verba ad nos videlicet spectant. Quid est enim non diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, nisi amorem omnium creaturarum, ut Constitutio præscribit, exuere? Et cur vetat Apostolus mundum diligi, et ea quæ in mundo sunt, nisi quia horum amor Patris officit charitati; quia, si quis, inquit, diligit mundum, non est charitas Patris in eo? Quid est autem aliud charitatem Patris habere, nisi Deo placere et servire propter Seipsum, nulla re terrena ac fluxa quæsita? Atqui hoc est rectam et puram mentem possidere; pura enim

[1] Eccl. 7. [2] Psal. 9. [3] 1. Joan. 2.

et recta mens est, cum Deum propter seipsum sectamur, nullo ad hæc, quæ mundi sunt, divortio amoris facto. Cum vero affici rebus hisce terrenis, declinare ad ea tria quæ B. Joannes enumerat, voluptatem carnis, cupiditatem auri, gloriæ sitim, pravæ atque obliquæ mentis est; ergo horum amore si quis se penitus exuat, tum demum facilem sibi viam muniet ad obtinendam rectam mentem. Quandoquidem hoc nihil est aliud nisi, solutis vinculis terrenorum desideriorum quæ militant adversus animam, adhærere uni Deo per purissimam charitatem. Interjecta est autem in Constitutione parenthesis illa "quantum fieri potest;" quia, quamdiu sumus in hac vita, non possumus ita nos exuere creaturarum terrenarum amore, ut in nostris benefactis non sit aliquid admixtum nostri. Beatorum enim est ista intentio pura et defæcata, ut Bernardus ait, qui amore Dei penitus attracti semetipsos obliviscuntur.

Sextum et postremum ad rectam mentem dirigendam obtinendamque præsidium est, ut si minus id assequi possumus ut amore rerum omnium creatarum nos ipsi spoliemus, certe demus operam, ut eas modo quodam et ordine adamemus. Hoc est quod Constitutio subjicit: "Ut affectum universum in ipsorum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, juxta sanctissimam ac divinam ejus voluntatem." Non enim tam vitiosus est amor ipse rerum, quam modus amoris; modus et ordo, quem in rebus creatis amandis tenere nos docet, est ut earum amorem referamus ad Deum. Quid est enim amare Deum in creaturis, et creaturas in Deo, nisi earum amorem in Deum referre, easque non propter se, sed propter Deum amare, sicut avarus qui in rebus omnibus amat lucrum, et res omnes in lucro?

Si servetur hic ordo ut res creatæ sint nobis tamquam viæ ac media ad Deum, jam earum amor nihil habet in nobis vitii; quia tum nec potest esse nimius, cum propter Deum dumtaxat amatur, nec inordinatus, cum sit amor

qui mediis, non qui fini, debetur. Nascitur autem vitium in earum amore cum de mediis, fines facimus, ut supra dicebamus, et de fine, media. Quoniam autem in hoc amore ordinato nihil potest esse criterii, propterea addit Constitutio: "Juxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem." Hæc enim Dei voluntas est, sancta ac rata, ut in rebus servetur hic ordo, ut media pro mediis, et pro fine finis adhibeatur, et nulla fiat perturbatio ordinis vel confusio. Recte igitur amantur vitæ commoda, recte delectationes sanctæ, recte honores ac dignitates, si vero non propter se, sed propter Deum expetantur.

Sic autem res creatas diligere ad progressionem spiritus valet plurimum; Bonaventura teste, qui inter decem, quæ ad profectum spiritus requirit, hoc octavum enumerat: "Ut nihil præter Deum quisquam diligat, sed pure propter Deum; ut in omnibus solus Deus sinceriter diligatur sine socio; et omnia in Deum referens, magis diligat meliorem."[1] Eadem plane sententia aliis ab eo, et a Patre nostro elata verbis.

Atque hæc de iis quæ ad obtinendam rectam mentem valent, et obliquam pravamque designant. Addamus jam et quartum, quod disputationis pollicebamur initiis, "de signis ac notis rectæ mentis," ut nos ipsi possimus agnoscere, et quam mentem geramus animadvertere.

Quoad quartum. De signis ac notis rectæ intentionis. Signa rectæ mentis ex Origene Bonaventura colligit;[2] signa, inquam, externa. Nam interiora, quæ ille ex Bernardo dicit esse charitatem in intentione et veritatem in electione, nos hic non explicabimus; cum illud nobis tantum propositum sit, ut quibus indiciis coarguatur intentio demonstremus: quod est dicere, an in intentione finis, charitas, an in electione mediorum, veritas teneatur.

Primum igitur signum ejus, qui simplicem ac rectam mentem gerit, est humanæ laudis detestatio; quia, qui

[1] Stim. Amor. p. 2. c. 1. [2] De Sept. Itin. æter. dist. 4.

rectam mentem possidet, is non suam, sed Dei laudem et gloriam spectat. Non igitur potest laudem et gloriam Dei quærere, quin suam detestetur et fugiat. Quærebant gloriam Dei Petrus et Joannes, cum signa et prodigia faciebant; ideo restitutis in integrum claudo plantis, intuentes se, ex ea re, homines stupentesque ferre non poterant, veriti ne Dei gloriam sibi tribuerent;. idcirco statim exclamant: "Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum."[1] Nonne vides, quomodo ne ad punctum quidem temporis passi sint gloriæ sibi aliquid usurpari, sed totum Deo statim reddiderint? Nempe quia mens eorum recta intendebat in Deum. Quid Joannes Baptista? Nonne, cum Christus haberi perfacile posset, interrogantibus ea de re Judæis "confessus est, et non negavit, quia non sum ego Christus?"[2] Imo ne prophetæ quidem, aut Eliæ laudem sibi vindicavit, sed inanem quandam vocem se esse dixit; ita suæ laudis non erat amicus. Idemque dicebat de Christo: "Illum oportet crescere, me autem minui."[3] Itaque videmus omnes Sanctos, quorum ad Deum semper intenta mens est, suis esse laudibus inimicos, celare sua benefacta homines, gloriam fugere; ut de Beato Francisco Bonaventura scribit, et de justis dicit Gregorius: "Laus sua justos cruciat." Contra vero qui prava sunt mente, nec Dei gloriam quærunt, suis tantum laudibus serviunt; ut Simon ille Magus in Actis Apostolicis, qui miraculorum patrandorum vim ac potestatem, gloriæ suæ causa, mercandam sibi existimabat. Nec enim rectum cor ejus erat coram Deo, ut Petrus ait.[4]

Quisquis etiam sua benefacta palam omnibus facit, humanæ laudis studio, et quasi tuba canit, perversæ mentis est, et in hypocritarum numerum venit; est enim

[1] Act. 3. [2] Joan. 1. [3] Ibid. 3. [4] Act. 8.

hypocritarum id proprium. Propterea Christus apud Matthæum: "Cum facis eleemosynam, noli tuba canere," inquit, "sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis ut honorificentur ab hominibus."[1] Ecce quid spectent isti, et quo eorum mens intendat, tota ad laudem. Basilius præterea quærit: "Quomodo convinci aliquis potest, quod placere hominibus studeat? Et respondet, si officiosus deprehendatur erga eos a quibus laudatur, contra vero segnis in eos a quibus vituperatur et improbatur."[2] Talis autem est qui rectam mentem non habet, non enim laudem laudatoresque suos detestatur ac fugit, sed consectatur et ambit.

Secundum signum rectæ mentis est sobria tristitia et exultatio, hoc est si externo quodam corporis habitu, ornatuque vestium moderato benefacta dissimules, nec pœnitentem vitam ostentes: ut si jejunes, vultus tristitiam non affectes; si humilitatem sectaris, vestium id squallore non indices; ne ex his videare gloriolam quamdam aucupari. Ideo Dominus: "Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus jejunantes;"[3] hoc est corrumpunt et perdunt, affectato scilicet pallore vultus atque tristitia. Tristes autem appellat propter tristitiam corporis; Græce est, σκυθρωποί; Italice, tetrici. Hæc autem indicant istos suæ studere laudi, dum jejunant illotis vultibus, pannosique incedunt. Origenes in hunc Matthæi locum: "Non inveni," inquit, "verius signum boni cordis, quam si erumpat foras dulcedine mentis, et frequentia sobriæ exultationis et tristitiæ."

Huc etiam faciunt, quæ in hunc locum scribit Augustinus: "In hoc," inquit, "capitulo maxime animadvertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus lutosis, esse posse jactantiam." Et mox: "Qui in professione Christianitatis, inusitato squallore ac sordibus intentos in se homi-

[1] Matth. 6. [2] Reg. brev. q. 33. [3] Matth. 6.

num oculos facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, ex cæteris ejus operibus potest conjici utrum hoc contemptu superflui cultus, aut ambitione aliqua faciat." Nota autem illud "et in nitore atque pompa esse posse jactantiam," hoc est quod dicit Origenes: "exultatio et sordes," tristitia; quæ si sit sobria et moderata, id est si parco et moderato corporis cultu atque victu uti velimus, tum rectam nos habere mentem significabimus, nec alterutro extremo, nostræ laudi servire. Qui enim incidunt in extrema, aut hæc studio consectantur, ii suspicionem afferunt pravæ mentis, quia clari esse volunt, et digito ab omnibus demonstrari. Extrema quippe patent omnibus, et omnium oculos in se convertunt: ut splendor epularum, et inusitata ciborum abstinentia; nitor vestimentorum, et squallor; pingues floridique vultus, et extenuati. Hac de causa omnis singularitas sive bona, sive mala, a SS. Patribus, ut Cassianus memoriæ prodidit, explodebatur; lege ubi de veste monachi, et lege ubi de cibo item monachorum agitur.[1] Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur usumque communem, ut vanæ gloriæ atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat.

Tertium signum rectæ mentis est ordo correctionis, ut primo a te ipso facias initium, deinde alios corrigas; nam qui secus faciunt, et ad alios corrigendos proclives sunt, semetipsis neglectis, satis indicant se gloriæ servire, non hominum saluti honorique divino. Propterea Dominus, apud Matthæum, quisquis est hujusmodi, eum appellat hypocritam, quod justus videri velit, cum sit nequam; hortaturque, ut ejiciat primum trabem de oculo suo, deinde videat ejicere festucam de oculo fratris sui.[2] Ubi Origines: "Nisi fallor," inquit, "nihil aliud appetis nisi apparere justus, dum me corrigis et te negligis; aut si me et te corripis, quare a me incipis et non a te?" Et Hieronymus in Matth. c. 5.: "Mihi videtur," inquit, "et

[1] L. 1. c. 3; et l. 9. c. 23. [2] Matth. 7.

ille qui dicit fratri suo; dimitte ut tollam festucam de oculo tuo (scilicet hypocrita es), nam propter gloriam hoc facere videtur, ut ipse justus esse videatur; unde ei dicitur a Domino: Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo."[1] Ergo nimium esse proclivem ad alios corrigendos, indicium est vanæ mentis.

Quartum vero indicium est benignitas compassionis, quia, ut Gregorius ait, qui bonus est corde, benignus est compassione. Tenendum est autem, quod supra diximus, rectam mentem aliquo ex illis tribus bonorum generibus detorqueri ac depravari voluptatis, commoditatis, honoris. Qui autem his quærendis minime intentus est, sed divinæ tantum gloriæ obsequioque totus studet, is bona illa, quæ diximus, ad alios pervenire facile patitur, imo charitate quadam impulsus ea mavult aliis, quam sibi ipsi. Ex hac igitur charitate benignitas compassionis oritur, quia vera charitas compassionem habet, ut ait Gregorius, et benignam eam Paulus appellat, ut quæ, suis contemptis commodis, in omnes benefica est. Rectæ autem intentionis nervus, ut sæpe diximus, charitas est. Contra vero, qui quærit quæ sua sunt, menteque prava est, aliorum nulla miseratione tangitur. Cujusmodi erant Scribæ et Pharisæi, qui alligabant onera gravia et importabilia, et imponebant in humeros hominum; digito autem suo nolebant ea movere.[2] Nec mirum, quia omnia opera sua, teste Christo, faciebant ut ab hominibus viderentur. Quid igitur mirum, si nulla eos aliorum miseratio capiebat, qui sua semper quærebant, obliti Dei, obliti proximorum?

Quintum et postremum signum est immobilitas mentis, tam in adversis, quam in prosperis. Hujus ratio est, quia qui Dei gloriam quærit, in quo sita est rectæ mentis intentio, quidquid accidat, non valde curat. Deus enim unus sibi ipsi curæ est, hujus gratiam magno æstimat, præterea nihil; semper igitur læto, semper æquo animo est. Cerni id licet in sancto Job, qui simplex et rectus

[1] Matth. 7. [2] Matth. 23.

dicitur in Scriptura. Quem Satanas tanquam pravæ mentis insimulans et sua quærentem, dixit Domino: "Nunquid Job frustra timet Deum?"[1] Quasi dicat, non gratis, nec simplici mentis oculo timet te, sed quia tu tot bonis vallasti eum, et tam illi multa largiris. Hic igitur cum a diabolo, Deo permittente, bonis omnibus, liberis etiam dulcissimis, et ipse valetudinis bono spoliatus esset, cum omni æquitate animi dicit: "Si bona accipimus de manu Dei, cur non similiter et mala?"[2] Vide quam immobili præstat mente! Quam non frangatur adversis, qui nec antea prosperis est mutatus. "Hic enim pietatis athleta," ut ait Chrysostomus, "orbisque terrarum victor laureatus, utroque armorum genere in utrisque usus, victoriæ erexit insignia."[3] Contra vero qui seipsos quærunt, et suæ gloriæ commodisque dumtaxat student, illi, cum quid adversi accidit, vehementer anguntur, perturbantur animo, nec mente constant, quia non Dei, sed suam gloriam quærunt. Atque hæc, et de rectæ mentis indiciis, et de tota Constitutionis explanatione, satis.

[1] Job. 1. [2] Ibid. 2. [3] Ap. Olymp. frag. in locum Job.

OPUSCULUM DECIMUM.

DE EXAMINE, ET DISCUSSIONE SUÆ CONSCIENTIÆ.

TRIA hic videnda. Primum, quantæ necessitatis sit quotidiana discussio pectoris sui. Secundum, quantæ utilitatis sit et commodi spiritualis. Tertium, qui modus in discutiendo se ipso a P. N. Ignatio tradatur. Antequam autem hæc aggrediar, videndum breviter: quid sit Examen, et cur dicatur conscientiæ examen?

De nomine Examinis. Examinare proprie est lancis seu stateræ, qua pondera probantur ac indicantur. Est enim examen stylus ille qui est in lance, quique ad cujusque vim ponderis vel stat, vel exit, pro ratione ponderis ac momenti. Si multum exit, grave pondus est; si minimum, leve. Hinc intelligitur examinandi verbum non tam vitiis atque peccatis, quæ judicio ac probatione non egent, cum per se mala sint, convenire, quam iis actionibus atque factis, quæ recta vel laudabilia videri possunt, quæque, posita in lance judicii, probantur an vere sint bona. Quanquam potest etiam dici examen fieri ad probandas actiones nostras quotidianas, et conscientiam, ut quidquid ex hac oritur, quale sit agnoscamus. Quo sensu dicit Paulus ad Galatas: "Opus suum probet unusquisque;"[1] et ad Corinthios: "Vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate."[2] Hoc est, ut interpretatur S. Thomas, Examinate et considerate actus vestros. Ideoque recte noster P. Ignatius inscripsit Examen Conscientiæ,

[1] Gal. 6. [2] 2 Cor. 13.

non autem peccatorum. Ex quo intelligimus, in discutiendis animis nostris, non tam peccata scrutanda nobis esse, quam omnes probandas actiones, et conscientiam ipsam pertentandam; ut qualia illa sint videamus, eo scilicet animo atque consilio ut quæ recta sint, tueamur; quæ prava, corrigamus. Sæpe tamen "examinandi" verbum, pro eo quod est perquirere et scrutari, non pro eo quod est perpendere, usurpamus; quo sensu dicitur: "Scrutemur vias nostras, et quæramus et revertamur ad Dominum;"[1] qua etiam significatione sæpe nos eandem vocem Examinis usurpamus.

§ 1.—QUOAD NECESSITATEM QUOTIDIANI EXAMINIS.

Jam quotidiani examinis necessitatem tum ex Scripturis Sacris, tum ex judicio atque existimatione Sanctorum, tum ex ipsa ratione possumus intelligere. Quod ad Scripturas attinet, ex iis quæ de discutienda conscientia generatim universeque præcipiunt, satis etiam hujus quotidiani examinis necessitas intelligitur; quamquam non desint in eis loci, quibus quotidianum indicetur examen, ut mox ostendam. Loci autem quibus generatim præcipitur in Scripturis suæ conscientiæ discussio, ut alios omittam, ii præcipui esse possunt: "Ante judicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem."[2] "Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati." Et mox: "Hæc dicit Dominus exercituum; Ponite corda vestra super vias vestras."[3] Ponere autem corda super vias suas, est vias suas inspicere, et se ipsum excutere, an in via Domini bene quis ambulet, et bona ne sint opera ejus. Item: "Si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur."[4] Et Job de se dicebat: "Vias meas in conspectu Ejus arguam."[5]

[1] Thren. 3. [2] Eccl. 18. [3] Agg. 1.
[4] 1 Cor. 11. [5] Job 13.

"Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?"[1]

Qui quidem loci, licet de examinanda universe conscientia, temporis definitione sublata, præcipiant; indicant tamen etiam necessitatem quotidiani examinis. Nam, si ante Judicium interrogare nos ipsi debemus, ut in conspectu Dei propitiationem inveniamus, quo nobis præstare potest hoc judicium non jam instare? Repetent enim a nobis hac nocte animam nostram, et ante Deum subito sistendum erit; quid ergo miseris nobis fiet, si nullum nostrum de nobis ipsis judicium antecessit, nec pridie ante placavimus Judicem quem offendimus, et cujus ante tribunal repente deducimur? Quotidie autem cum Deum offendamus, septies enim in die cadit justus, quotidianum etiam de nobis ipsis judicium exercere nos convenit. Ut si ad judicium Dei nocte ipsa traducimur, paratas jam habeamus expeditasque rationes nostras, ne confundamur. Qui enim in judicium hujus seculi vocandi sunt, ii, ut S. Thomas eodem simili utitur, in se ipsos inquirunt et facta sua recognoscunt, ne, cum comparuerint ante Judicem, muti atque elingues inveniantur, ignari prorsus quid respondeant. Eodemque modo cæteri loci ad quotidianum examen accommodari possunt. Nam, cum quotidie ambulemus via Domini, vias nostras quotidie coram eo necesse est arguamus, quotidie ponamus corda nostra super vias nostras, quotidie nos ipsos dijudicemus, quotidie agamus pœnitentiam super peccatis nostris, dicentes: Quid fecimus? Si quidem quotidie delinquimus, et peccamus.

Præter hos communes locos, qui universe id præcipiunt, duo alii esse possunt, quibus quotidianum commendetur examen. Uterque autem ex Psalmis. Alter est ubi, per os David, Spiritus Sanctus ita nos admonet: "Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris

[1] Jer. 8.

compungimini."[1] Ex quibus verbis colligit Basilius quotidiani examinis necessitatem, legit autem ipse hunc Psalmi versum paulo aliter. "Quæ dicitis," inquit, "in cordibus vestris. Hoc est? Quæ per diem prava cogitastis consilia, in cubilibus vestris tempore quietis castigate, inque vos ipsos inquisitionem instituite." Quin etiam ex hoc loco vir Sanctus, non modo quotidianum examen, verum etiam rationemque præcipuam examinis colligit, quæ in formam eo sita est ut quisquis sua cogitata, dicta, aut facta perpendat, et quæ deflenda sunt, defleat. Subjicit enim sic: "Et quare non de verbis, et operibus locutus est, sed de pravis cogitationibus? Ex abundanti hoc dixit. Si namque prava sunt castiganda consilia, multo magis propter opera et verba compungenda est anima."[2]

Alter est locus. "Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum."[3] Qui locus quamquam alias ab aliis explanationes ferat, tamen a B. Augustino, et aliis, de nocturno examine his ipsis verbis reponitur. Scrutabatur iste spiritum suum, et cum ipso spiritu suo loquebatur, et in ipsa locutione garriebat. Se ipsum enim interrogabat, se ipsum examinabat, in se judex erat. Quod autem hæc consuetudo scrutandi se ipsum quotidiana fuerit, S. David indicat alio loco, cum dicit: "Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo."[4] Lavabat autem per singulas noctes lectum suum, quia, ut dicit Basilius: "Delicta sua perpetuo ob oculos habebat, et iram Dei expendebat."[5]

Judicium quoque atque æstimatio Sanctorum ad ostendendam quotidiani examinis necessitatem plurimum valere debet, tum quia Sanctorum et electorum est suas quotidie actiones diligenti inquisitione discutere, tum quia præcipui Sancti, qui religiosam professi sunt vitam, valde nobis suis scriptis hoc commendant examen. De usu quidem ac consuetudine Sanctorum in excutiendis semetipsis

[1] Psalm. 4. [2] Psalt. Schol. in Psal. 4. [3] Psal. 76. [4] Psal. 6. [5] In Locum.

ita Gregorius: "Hæc namque est sollicitudo justorum, ut actus suos quotidie juxta vias veritatis examinent, et eas sibi in regulam proponentes, a rectitudinis earum tramite non declinent."[1] Imo in hoc etiam statuit electorum discrimen et reproborum, quod "Reproborum," inquit, "esse proprium solet semper prava agere, et nunquam quæ egerint retractare. Omne enim quod faciunt, cœca mente pertranseunt. At contra electorum esse actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare."[2] Et supra de electis dicit: "Non cessare eos quotidie, et causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere."[3] Et B. Isaias: "Quemadmodum," inquit, "virgo quotidie, mane cum surgit, nihil aliud curat nisi ut ornet se sponso suo, et speculo explorat diligenter, ne qua macula resideat in vultu suo, qua sponsus offendatur; sic magna quotidie cura ac diligentia sancti omnes cogitationes, et sermones, actionesque explorat suas, ne quid in illis sit quod cœlesti Sponso displiceat. Sancti vero præcipui, qui religiosam vitam professi sunt, non ignari quantæ necessitatis sit quotidianum examen, id etiam sui scriptis præceptisque commendant. Basilius enim, cœnobitarum omnium facile princeps, cum alibi, tum in Asceticis de quotidiano examine ita scribit. "Circa finem diei necessarium est ut de iis, quæ illo nobis die data sunt aut acquisita, gratias agamus; et si quid actum remissius, sive delictum aliquod, vel voluntarium, vel contra animi sententiam, aut etiam ab imprudentibus, aut in verbis, aut factis, aut etiam in corde sit commissum, pro omnium remissione peccantes Deum placemus, plurimum namque prodest præterita considerare, ne talia denuo committamus, etc."[4] Idem: "Elapso jam die, et quovis opere diurno, seu corporali, seu spirituali, ad finem deducto; ante quietem, conscientiam suam quisque in corde suo examinare debet,

[1] Moral. l. 16. c. 34. [2] Ibid. l. 25. c. 7. [3] Orat. 19. [4] Ascet. c. 37.

et si quid præterquam quod oportebat commissum fuerit, aut cogitatum aliquid quod vetitum, vel dictum extra decorum, aut desidies obrepserit circa orationem, aut tædium in psalmodiis, aut secularis vitæ desiderium, non celatis delictum."[1] "Habeto," inquit Chrysost., "codicem in conscientia tua, et scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem, conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, si quid in verbo, sive in facto, aut in cogitatione peccasti."[2]

Dorotheus autem geminum etiam agnovit Examen, affirmatque Patrum antiquorum fuisse sententiam, ad timorem Domini possidendum valere plurimum, si quis mane et vesperi a se ipso rationem exigat. Is enim sic loquitur: "Affirmaverunt Patres communi sententia possidere eum timorem Dei, qui mortis crebro et gehennæ reminiscitur, quique vesperi a se ipso rationem exigit, quemadmodum die ambulaverit; mane similiter quo pacto noctem transegerit."[3] Et iterum: "Docuerunt," inquit, "majores nostri, quo pacto purgemus nos ipsos per singulos dies, ut si ad vesperam perscrutamur nobiscum, quomodo transactam diem exegerimus, et rursum mane quomodo noctem, et sic pœnitentiam agamus apud Deum, ut par est, in quo peccasse nos deprehenderimus."[4] Accedit Climacus qui de quotidiano examine in eo Gradu, quem inscribit de Obedientia, sic loquitur: "Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum, ac detrimentum omnino computat." Deinde narrat de Monacho quodam, qui ad latus appensum cingulo perexiguum libellum habebat, in quo suas quotidie cogitationes, ut eas postea ad suum pastorem referret, solitus est annotare. Beatus quoque Isaias, cum alibi, tum Orat. 25: "Explora te ipsum frater, et quotidie cor tuum excute in conspectu Dei;" et infra cum de sui ipsius exploratione dixisset, subdit: "Animæ, quæ sponsæ

[1] Ser. de Instit. Mon.
[2] Hom. 2. in Psal. 50.
[3] Ser. 4.
[4] Ser. 11.

illius sunt in castitate, se ipsas tanquam in speculo contemplantur, ne forte aliqua in vultu macula resideat; qua displiceant sponso suo." Et multo etiam planius quem locum supra attulimus.[1] Alludit autem ad speculum conscientiæ etiam Bernardus: "Quod quidem verus pœnitens," inquit, "non cessat quotidie inspicere, tergere, et tenere."[2] Beatus item Gregorius: "Debet," inquit, "unius cujusque mens et causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere; debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perverse vivendo rependerit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant."[3] Ex S. Benedicti vero Regulis; ubi, inter instrumenta bonorum operum, vir sanctus ponit actus vitæ suæ omni hora custodire, colligit quotidianum examen Smaragdus Abbas c. 4. Bernardus præterea in Formula honestæ vitæ: "Omni die," inquit, "cum vadis jacere, examina diligenter quid cogitasti, et quid dixisti in die, et quomodo utile tempus, et spatium quod datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti." Accedit Bonaventura, qui cum dixisset parandam cuique scientiam esse, quæ ad institutionem recte honesteque vivendi pertinet, ad eam parandam præ cæteris valere dixit assiduam inspectionem operum morumque suorum. Hoc, inquit, novissimum maxime fortassis præ cæteris necessarium, ut sic homo in omnibus operibus suis sit circumspectus et providus, et quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter, et facta sua apud semetipsum examinet.[4] Imo hic ipse S. Doctor videtur tempus ipsum examinis statuere a lege nostra statutum, quod est mane ante prandium, et olim erat ante cœnam. Sic enim ille: "Cum pulsatur campanella ad mensam, aut ad comedendum, stes in silentio, et examina te ipsum quomodo in oratione, aut lectione, vel in servitiis laborasti, ut præ-

[1] Orat. 19. [2] De Inter. Dom. c. 13. [3] Moral. 25. c. 7. [4] Spec. Dis. p. 2. c. 1.

paratas eleemosynas possis secura conscientia manducare, et usque ad secundam pulsationem cogita supradicta.[1] Alii denique, ne longum faciam, ut B. Vincentius, Humbertus, et Thomas de Kempis, et alii quotidiani examinis necessitatem agnoverunt, ut ex eorum opusculis planum est. Noster vero B. P. Ignatius quanti id faceret, vel ex hoc potest intelligi.

Primum, quod ille unus lege certa sancivit, quod alii sancti tantum consulebant. Nemo enim, quod legerim, in suis Regulis ac Constitutionibus de quotidiana sui pectoris discussione præcepit. Unus P. Ignatius, tantæ rei necessitate atque utilitate permotus, in suas leges retulit, ut in Const. p. 3. c. 1. § 11. Idemque modum etiam ac rationem explorandi sui ipsius perfectissimam tradidit, quinque illis comprehensa membris seu punctis, quæ in Exercitiorum libello distinxit; atque hoc etiam differt Pater noster ab antiquis Sanctis, quod nemo illorum absolutam, ut P. Ignatius, formam Examinis tradidit, sed alii aliud addiderunt, et docuerunt. Secundo, bis in die, non semel tantum, statuit certum tempus discutiendis suis pectoribus dandum esse, quod ad revocanda etiam facilius in mentem peccata sapientissime institutum est.[2] Id autem quam sapienter sancteque vel ex eo etiam patet, quod in Ecclesiæ precibus simulacrum quoddam est geminæ hujus, et quotidianæ discussionis. Nam in Primis canonicis precibus matutini temporis confessio peccatorum instituitur; et in postremis, cum advesperascit, in Completorio eadem confessio repetitur. Quibus duobus temporibus, oriente videlicet die et occidente, tanquam ratum et fixum jam videtur habere S. Mater Ecclesia oportere unumquemque tacitum exacti diei, vel noctis peccata recolere, eaque coram Domino confiteri. Tertio, potest etiam ex eo conjici, quod pluris facere videtur Ignatius noster Examen, quam reliquas orationes quæ mente funduntur, quod ex eo planum est, quia

[1] In Reg. Nov. c. 5. [2] P. 4. c. 4. § 3. et 4.

priusquam fecerit mentionem cæterarum precum, facit Examinis. "Utantur," inquit, "quotidie conscientiæ suæ examinatione consueta,"[1] et meminit duplicis Examinis, nulla orationis mentalis mentione facta, tametsi in Declarationibus mox fit mentio.[2] Deinde, quia orationis tempus semel in die communiter statuit, examinis autem semel atque iterum.

Et vero Examen ipsum est præstantissima oratio. Climacus enim, rerum spiritualium peritissimus, conditiones quas statuit optimæ orationis, in eo Gradu quem de Oratione inscripsit, aptissime in hoc nostrum quadrat Examen. Initio enim, dum varie describit orationem, appellat illam tribunal quoddam judicandi se ipsum, antequam veniat dies Domini. "Oratio," inquit, "eis, qui recte orant, curia et judicium et tribunal Domini ante futurum Tribunal est." Nimirum quia in se ipse judex est, dum in semetipsum quis inquirit, et sua facta, dicta, cogitata deflet; quod facimus in Examine. Et paulo infra, duas Examinis quotidiani particulas,—gratiarum actionem, et confessionem culparum, in optimam orationem includit; "ante omnia," inquit, "in orationis nostræ chirographo gratiarum actionem sinceram statuamus. In altero deinde versu confessionem, et contritionem animi ex intimo affectu prodeuntem ponamus, atque ita deinceps Regi omnium postulationem indicemus nostram. Optimus hic, quem prædixi, orationis modus est, sicut cuidam ex fratribus ab angelo Dei demonstratum est."[3] Non est igitur mirum si P. Ignatius hoc orationis genus, quod Examen appellamus, cæteris generibus præferre quodammodo videatur. Intelligebat enim, ad progressionem spiritus atque virtutis quantas haberet vires sui ipsius diligens inquisitio atque discussio. Quarto, ex ipsius quoque Patris exemplo atque facto satis intelligi potest, quanti faceret hoc quotidianum suæ conscientiæ examen, quandoquidem non semel atque iterum,

[1] In p. 3. c. 1. § 11. [2] P. 4. c. 4. dec. B. [3] Clim. Grad. 28.

modo, se ipsum explorabat ac discutiebat, sed sæpissime ac frequentissime in die, hoc est singulis ferme horis; ut de eo a primis illis nascentis Societatis Patribus accepimus. Quod Sancti aliqui multo ante et fecerant, et præceperant. Dorotheus enim sic ait: "Sane cum admodum delinquamus, peccemusque, obliviscamurque facillime delicta et peccata nostra, opus esset in horas cura diligenti et examinatione, quo pacto scilicet ambulassemus id momenti, et temporis; et in quo deliquissemus. Deberet unusquisque nostrum a se ipso, tanquam judex, rationem cujuslibet facti extorquere."[1] Et B. Benedictus, ut supra diximus, id in suis Regulis statutisque consilii dat, ut fratres, si vere progredi ad virtutem velint, actus vitæ suæ omni hora custodiant. P. igitur Ignatius Sanctorum consiliis vestigiisque insistens, non modo bis in die, (quod cæteris præscripsit,) verum etiam singulis horis, suas actiones ac mores expendere ac dijudicare solitus est; tanti faciebat hanc sui pectoris discussionem.

Ad judicium autem æstimationemque Sanctorum accedit ratio, cur necessaria videatur quotidiana suæ conscientiæ discussio. Quæ quidem peti potest, partim ex iis quæ omnes homines in suis artibus atque opificiis, natura duce, faciunt; partim ex Ethnicorum Philosophorum disciplina, in quibus maxime vis rationis elucet, et quam vitæ ducem et magistram secuti sunt. Illud autem meminisse oportet, homines cum simus mente ac ratione præditi, necesse esse ut ad rationis normam atque regulam omnia nostra cogitata, dicta, facta dirigamus, mentisque oculos reflectamus ad mores nostros. Idcirco enim ratio atque mens donata hominibus a Deo est, ut in hoc a cæteris animantibus distinguantur, ut suas ad actiones interdum animum revocent, videantque quales illæ sint; cæteri vero animantes, cum rationis consiliique expertes sint, non possunt ad ea quæ agunt se ipsi reflectere. Nos autem ratione præditi, et possumus, et debemus. Duo autem

[1] Ser. II.

actionum genera in hoc sunt: unum, quod ab intelligentia; alterum, quod a voluntate manat. Ut autem in actionibus quæ ab intelligendi facultate manant, natura duce, nos ipsi discutimus, ad easque oculos mentis referimus; ita et in actionibus moralibus quæ ab altera præcipua animi nostri parte, voluntate, inquam, oriuntur, reflectere ad eas oculos mentemque debemus, ut quales ea sint agnoscamus, corrigamusque. Itaque quod ad actiones intellectuales, et in quibus vis intelligentiæ versatur, attinet, videre licet et in artibus, et in scientiis, earum opifices ac professores quasi quodam examine uti, dum in iis se continent et exercent. Pictores animadvertimus, ubi de tabula manum sustulerint, continuo recognoscere quod pennicillo et coloribus expresserunt; statuarios item, ubi conquieverint, priusquam cibum sumant, opus suum jam inchoatum inspicere et perpendere, an ex animi sententia successerit, et an aliquid in eo corrigendum sanandumque sit. Eadem ratio est scribarum, cum id quod exaraverint relegunt et recognoscunt, ut si quid literarum aut omissum aut male collocatum est, corrigant et emendent. Architecti etiam rationem ædificii, formamque semel delineatam atque adumbratam sæpe recognoscunt, et modo addunt, modo detrahunt, modo immutant, modo corrigunt semper aliquid. Neque ulla demum ars est, quæ non inquirat et animadvertat in sua vitia.

In disciplinis liberalibus idem cernimus. Poetas videmus, quoties aliquid scripserint, suum carmen attente relegere et expendere. Itemque suas orationes oratores, nec quidquam pati sibi e manibus elabi, quod prius ad trutinam lancemque judicii non exactissime revocarint. Philosophi disputationes suas et opera, ubi ea persolverint, adhuc perpoliunt; sæpiusque ad ea recurrunt, acriter in se ipsos inquirentes et animadvertentes. In indagenda quippe veritate, magna agitatio mentis necessaria est, magna reflexio. Denique Rectores, et qui rempublicam administrant, si sapiunt, mentis oculos ad ea quæ gesserint

reflectant oportet, ut in posterum quæ gerenda sunt sine errore ac feliciter gerant. Ut de regibus Ægyptiorum tradit Aristeas, morem illorum Regum fuisse ut ex hora illa diei, qua responsa reddere cœpissent, usque ad cubandi tempus, singula ipsorum dicta, gesta, facta quotidie literis mandarentur ; ut, cum prioris diei responsa et acta relegerentur, si quid minus commode gestum esset, emendaretur et corrigeretur.[1] Quare omnes homines qui alicui operi præpositi sunt, ipsa duce natura, cum quid absolverint et ad exitum perduxerint, ad id se referunt inspicientes si quid in eo corrigendum, tollendum, mutandum, addendum videatur ; et quo acriores suorum operum censores ac judices fuerint, eo ipsi præstantiores quotidie in arte et meliores evadunt.

Qua in re similes sunt Deo Optimo, Maximo auctori naturæ, qui in creando condendoque mundo cum quod absolveret ac perficeret, vidisse dicitur quod perfecerat.[2] Nam, cum fecisset lucem, vidit lucem quod esset bona et divisit lucem a tenebris ; et cum fecisset terram, vidit Deus quod esset bona, et ait : Germinet terra herbam virentem. Denique vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Quid est enim quod Deus, cum quod jam fecisset, factum videre voluerit ? Num ut aliquid corrigeret et emendaret, aut ut sua expenderet opera ac dijudicaret ? Minime id quidem, id enim non ignorabat ; sciebatque, etiam si non videret, bonum esse quod fecerat, antequam faceret. Cur igitur dicitur vidisse quod fecerat, nec prius ad aliud opus admovisse manus, quam præteritum aspexisset ? Nempe quia auctor naturæ incipit ab imperfecto ; tum etiam ut nos, qui ad ejus imaginem ac similitudinem procreati sumus, doceret quodammodo atque erudiret, ut per rationem et mentem, qua ei similes sumus, reflecteremus oculos ad opera nostra, eorum corrigentes errata, quæ quidem plurima fere incidunt.

[1] De 72. Interp. ad Philoc. Bibl. SS. Pat. [2] Gen. 1.

Nam si hoc in cæteris aliis actionibus usurpamus, quæ speculativæ dicuntur, cur non in moralibus id agamus, ubi vera virtus est sita? Perpendimus ingenii opera, et intelligentiæ perscrutamur errata, cum quid operis ad eam pertinet. Voluntatis vero peccata negligimus? Qua in una recta aut prava vita consistit. Sed viderunt hanc explorandi suos quotidie mores necessitatem, natura duce, Philosophi Ethnici, in quibus, ut dixi, maxime vis rationis elucet. Platonem scimus, cum ab hominum congressu discederet, examinare solitum suos mores, utrum similes essent ipsis quos in cæteris non probabat. Nam de Socrate res etiam jam trita, de quo Mart. in Epigram. "Vir bonus et sapiens non prius, inquit, in dulcem declinat lumina somnum, omnia quam longi reputaverit acta diei." Pythagoras etiam ita suos auditores instituit, ut suas quotidie actiones omnes vesperi recognoscerent. Plutarchus vero hanc viam tradit proficiendi optimam.[1] De Sextio philosopho Romano narrat Seneca, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogare solitum animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es?[2] Quin ipse Seneca non modo præcipit vocandum quotidie animum esse ad reddendam rationem, verum etiam de se ipse fatetur, se quotidie de suis consuevisse moribus accurate cognoscere, cujus illa sunt verba. "Quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus, ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus; et speculator sui, censorque secretus cognoscit de moribus suis? Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, et conticuit uxor, moris mei jam conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo, quare nam quidquam ex erroribus meis timeam? Cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi

[1] Opusc. de profect. virt. sent. [2] De Ira. l. 3. c. 36.

ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es. Illum liberius admonuisti, quam debebat etc." Quod si hæc Ethnici, quid faciunt Christiani qui verissimam profitentur Philosophiam, et quibus verus Deus, et vera fides illuxit? Sed hinc intelligimus quanta sit vis rationis, quæ quotidiani examinis necessitatem docet. Sequitur igitur, ut quod secundo loco propositum erat de utilitate dicamus.

§ 2.—QUOAD UTILITATEM QUOTIDIANI EXAMINIS.

Quinque sunt potissimum utilitates Examinis. Prima est vitæ Puritas ex emendatione morum, quæ examinis finis est. Ut enim opifices, ex accurata suorum operum inspectione, inquirendisque suis quotidie vitiis, limatissimi atque absolutissimi evadunt; ita, qui in suos quotidie mores solent animadvertere, et quidquid in vita vitii incidit observare, puriores indies evadunt; frequenti namque observatione sui minuuntur vitia, et, ut de ira Seneca dicit: "Desinet ira et erit moderatior, quæ sciet quotidie ad judicem esse veniendum."[1] B. Vincentius ad puritatem et munditiam cordis inter alia adjumenta hoc suadet, ut quisque se ipsum sine cessatione consideret et semper sine simulatione dijudicet, in omni actu, in omni locutione, in omni cogitatione sua, in omni lectione se ipsum reprehendat.[2] Humbertus pulchrum affert simile ad id efficiendum. "In Exodo enim dixit Dominus Moysi: 'Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ.'[3] Ille manum in sinum suum mittit, quia in corde operationes suas discutit, in quibus initio lepram peccati reprehendit; sed, frequenti hac suorum operum inspectione, tandem ad puritatem pervenit."[4] Con-

[1] De Ira. l. 3. c. 36. [2] De Vita Spirit. c. 3. [3] Exod. 4.
[4] Vitæ Spir. l. 2. p. 2. c. 3.

tra vero ex negligentia examinis, quo peccata pœnitendo diluimus, augetur impuritas, et seminarium oritur peccatorum. "Peccatum enim," ut ait B. Gregorius, "quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solum peccatum sit, sed peccatum, et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur ut pejus ex alio ligetur."[1] Peccata itaque peccatis cumulat qui ea per pœnitentiæ examen delere non studet, neque fieri potest ut quis ad justitiam et sanctitatem perveniat, nisi hanc sibi viam muniat, hinc in Psalmis dicitur: "Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam."[2] Quæ maledictio in eos intorquetur, qui perpetratam iniquitatem pœnitentia delere cum possint, id tamen negligunt, et velut semen quoddam relinquunt subsequentis iniquitatis.

Secunda utilitas est Humilitas, quæ primum nascitur ex ipso aspectu culparum atque vitiorum, fœda enim culpa cum sit, non potest nobis non verecundiam incutere, atque ex verecundia humilitatem gignere. Nam si sordes corporis, vilitatemque humanæ naturæ considerare multum valet ad deprimendos spiritus nostros: "Quanto magis," ut ait Agapetus Diaconus, "valebit contemplatio, et quotidiana inspectio culparum, quæ sordes et inquinamenta sunt animæ?"[3] Oritur hæc humilitas ex cognitione imbecillitatis nostræ, quam quotidie experimur in rescindendis nostris decretis animique propositis. Nam, cum quotidie statuamus apud nos obsistere alicui vitio, repugnare certæ cupiditati, revocare ad actionem quæ matutina contemplatione animo agitavimus; tum, cum ad rationem reddendam vocamus animum, deprehendimus ignaviam nostram, et ab animi propositis longe nos abesse sentimus. Nam, ut ait Gregorius in Moralibus: "Deus ipse spiritalibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, et non valet, in illis se non

[1] Mor. l. 25. c. 9. [2] Psal. 68. [3] In Admon. c. 4.

elevet, quæ valet."[1] Recte, quia quæ valet, non suis viribus se valere intelligit, sed divinæ gratiæ; idcirco se in his non elevat neque extollit, sed totum tribuit divinæ gratiæ, quod est etiam humilitatis. Nemo melius intelligit et divinæ gratiæ necessitatem, et vim imbecillitatis humanæ, nisi qui quotidie suos mores et actiones explorat. Intelligit imbecillitatem humanam, cum conatus suos irritos sentit; divinam autem gratiam, cum, in tanta infirmitate humanarum virium, profectus tamen aliquos aliquando et victorias aliquas de pugna vitiorum animadvertit.

Tertia utilitas est Teneritudo quædam conscientiæ, qua minimas quasque noxas is, qui mentem suam quotidie discutit, acute perspicit; contra vero, qui se ipsum scrutari atque in suos mores inquirere non assuevit, ne graviores quidem culpas interdum aspicit. Simile videmus in artibus quarum opifices, quo diligentiores et quasi morosiores fuerint in suis castigandis et corrigendis erratis, eo acriores in eis pervidendis notandisque efficiuntur; itaque limatissimi evadunt, nec quidquam in suis perpoliendis operibus nævi residet, quin id subito abstergant et abradant. Contra quod faciunt hebetes et negligentes opifices, qui sua opera impolita ac rudia pro absolutis ac perpolitis relinquunt, semper cæci in suis vitiis pervidendis, ideoque nullam perfecti opificis laudem unquam assequuntur. Idem evenit in re spirituali, quo quis fuerit in se ipso observando suisque notandis vitiis diligentior, eo aptiores habebit oculos ad minima quæque vitia pervidenda; quotidiana enim suæ mentis discussione comparabat habitum et facultatem ea facile cognoscendi, reflectendique mentis oculos ad se ipsum. At si quis raro sese dispicere assuescat, hebetabit videlicet aciem mentis, ut ne ea quidem satis videre possit, quæ fœda admodum et dedecorosa sunt. Peccatum porro ipsum hanc habet vim, ut mentem, nisi deleatur, obscuret. Nam, ut ait B. Gregorius: "Omnipotens Deus cor peccantis

[1] L. 12. c. 2.

obnubilat, ut præcedentis peccati merito (quod pœnitentia non diluit) etiam in aliis cadat."[1] Confirmant autem hæc ea quæ dicuntur in Collatione Theonæ Abbatis apud Cassianum: "Quanto magis," inquit, "profecerit mens humana, et ad simpliciorem contemplationis pervenerit puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet." Et Bonaventura: "Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit, et majores causas humilitatis inveniet."[2] Idcirco animadvertimus eos, qui ad Religionem recentes veniunt, non habere persæpe quod confiteri queant, cum tamen post menses aliquos, quibus se ipsos discutere assueverunt, multa reperiant. Atque hæc est causa cur viri sancti plenos clament se esse peccatis, quia cum quotidie se arguant et examinent, ea nimirum in se ipsi dispiciunt, quæ imperfectorum hominum oculis, qui se ipsos scrutari negligunt, non apparent. Ideo vir sanctissimus Ephræm de se ipse fatetur hoc: "Iniquitatibus," inquit, "me scatere comperio, dum me ipsum examino."[3] Et Bernardus: "Si me non inspicio, nescio me ipsum." Et mox: "Quanto me subtilius et sæpius discutio, tanto plures abominationes in angulis cordis mei invenio."[4] Abbas Zosimus, ut refert Dorotheus, cum se peccatorem diceret, voluit sophista diligentius exquirere qui posset ita de se sentire: "Et nonne," inquit, "divina mandata optime comples?" Quomodo igitur, legem cum serves, peccatorem te putas et vocas. Ille quid ad ea responderet nunquam invenit, sed tamen ait: Quid ad hæc tibi dicam, ignoro, rem tamen ita se habere certo scio. Cum sophista nihilominus urgeret. Senex Abbas: "Ne me pervertas," inquit, "ego certe ita sentio."

Quarta utilitas est agnoscere universæ vitæ progressum et regressum, profectum et defectum, denique se ipsum totum; ex qua cognitione plurima commoda ad animum redeunt, non enim in excutiendis nobis ipsis vitia tantum

[1] Mor. l. 25. c. 9. [2] Spec. Disc. [3] Ser. 2. de Pœn. [4] Med. c. 12.

illius dici, et singulares lapsus notare ac perspicere nos oportet, verum etiam ipsum vitæ cursum, et vias nostras universe. Sicut monet Spiritus Sanctus: "Vide vias tuas,"[1] ut rectæ ne sint an pravæ, et utrum in iis procedamus an insistamus, aut potius regrediamur, sentire atque animadvertere possimus. Nam, "mens nostra per momenta vivendi," ut ait B. Gregorius, "ipso curarum usu a semetipsa permutatur, et non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, provectus nostros quotidie defectusque pensemus."[2] Quod quidem Sanctus vir pulchro simili declaravit: "Sicut," inquit, "non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis, (hæc quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis,) ita mens nostra per momenta vivendi a semetipsa permutatur, etc."[3] Negligere autem hoc quotidianum Examen, quod pariat his ille verbis exponit. "Hoc ipsum," inquit, "in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est, et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur, quia sui negligens, propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde et per Prophetam sub Ephraim specie dicitur: 'Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.'[4] Cum vero semetipsam quærit, et subtiliter pœnitendo se discutit, ab ipsa hac vetustate sua, lota lacrymis et mærore incensa, renovatur, et quæ jam pæne inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet."[5] Atque in hoc melior est animi conditio, quam corporis, quia hujus senectutem, etsi ad eam oculos referamus et inspiciamus, repellere ac prohibere non possumus. Animi vero senium diligenti ejus inspectione ac discussione, divina gratia comite, perhibemus, et senescentem quodammodo renovamus, et ad juventutem suam revocamus. Tantum valet diligens et quotidiana suæ conscientiæ discussio, præsertim

[1] Jer. 2. [2] Mor. l. 25. c. 7. [3] Ibid. [4] Osee. 7. [5] Mor. ibid.

quæ per comparationem præteriti temporis adhibetur; id quod in Exercitiis præcipit Pater noster, cum ad celeriorem cujusvis vitii extirpationem suggerit adjumenta. Ex cognitione autem sui ipsius plurima, ut dixi, commoda ad animum redeunt. 1°. Quidem cognitio Dei juxta Augustini dictum: Noverim te, noverim me; quod pluribus ostendit Doctor Joannes Avila.[1] 2°. Sui ipsius contemptus. 3°. Commiseratio et condolentia in alienis erratis. 4°. Ac denique, multa alia, quæ et enumerare longum esset, et ab Avila peti possunt.

Quinta utilitas est semper esse paratum ad mortem, reddendamque rationem. Ut boni diligentesque ratiocinatores, qui, subducendis quotidie rationibus, semper sunt parati ad eas reddendas dominis suis, neque metuunt in judicium venire, quoniam sui ipsorum judices jam fuerunt, et si quid sumptus minus necessarii factum est, jam in tabulas retulerunt, et suo chirographo confessi sunt. Hoc vult quod dicitur: "Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem."[2] Græce est ἐν ὥρα ἐπισκοπῆς, id est in hora visitationis et mortis. Hoc nimirum est quod dicit Paulus ad Corinthios: "Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur."[3] Atque in hanc sententiam, B. Gregorius interpretatur illud Job.— "Judicare coram illo, et expecta eum."[4] "Coram Domino," inquit, "judicatur, qui corde Dominum conspicit, et actus suos, sub ejus præsentia, solicita inquisitione discernit. Quem tanto quis securius expectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum ejus judicium venit, non jam coram illo, sed ab illo judicatur."[5] Et B. Augustinus,[1] "Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud quod oportet nos exhiberi ante Tribunal Christi, ex iis verbis Apostoli: Si nos judicaremus, etc."[6] Jure autem potest quis esse tutus appropinquante morte, si judicare se ipse consuevit. Quia,

[1] In Epistolis. [2] Eccl. 18. [3] 1. Cor. 11. [4] Job. 35.
[5] Mor. l. 25. c. 7. [6] Hom. 50. De utilit. pœn.

ut ait idem Gregorius: "Non deest in hoc judicio, mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judicium eo certius punit, quod interius sævit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Unusquisque enim cum causam hujus examinis contra se aggredi cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur; odit se, qualem fuisse se meminit, et ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atque ab ipso homine adversus semetipsum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo."[1] Quo quid utilius esse potest? Nam, ut id explicat etiam Chrysostomus: "In secularibus judiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamentaris et lugeas, non tamen effugies flendo supplicium; hic vero, si toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam, veniamque meruisti."[2] Hæc est pax cum Deo, quam, dicit Gregorius, in hac discussione nostri pectoris parturiri. Quis igitur non fidenti animo gradiatur ad mortem, quoties vocatur a Deo? Si suas culpas quotidie accusat, et coram Deo judice puniat? Ideo sancti viri, priusquam ad extremum illud judicium vocentur, se ipsi dijudicant, et statuunt se contra se, ut de se ipse fatetur B. Bernardus: "Statuam," inquit, "me ante me, et judicabo me ipsum, ut illius extremæ et tremendæ diei judicium evadere possim."[3] Et id unicuique dat consilii: "Discute adhuc te ipsum," inquit, "ut scias quid desit tibi, ne in illa ultima discussione coram omnibus confundaris, si inventa fuerit in te iniquitas."[4] Et B. Gregorius de electis Dei, in illud Job. "Vias meas in conspectu illius arguam; et ipse erit Salvator meus;"[5] inquit: "Electi, quippe, culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum judicem placatum invenire. Et vere eum postmodum invenire Salvatorem credunt, quem districte modo judicem metuunt. Nam, qui sibi nunc in culpa parcit, ei

[1] Mor. l. 25. c. 7. [2] Hom. 6. in Matth. [3] De Inter. Dom. c. 21.
[4] Ibid. c. 63. [5] Job. 13.

postmodum in pœna non parcitur."[1] Consimilia dicit.[2] Non igitur expectemus dum appendamur in statera tanquam Balthassar Rex,[3] et minus habentes inveniamur, sed appendamus nos ipsi in lance et trutína facta nostra; ut dum minus habentes ipsi nos deprehendimus, revocemus gressus nostros, et mores nostros componamus, ut cum supremus ille dies advenerit, quo reddenda unicuique ratio est, probemur illi qui scrutatur corda et renes.

§ 3.—QUOAD MODUM DISCUTIENDI SE IPSUM.

Jam Examinis quotidiani ratio atque modus traditur a P. N. Ignatio in Exercitiis spiritualibus, membris quinque distinctus. Ab eo nimirum petendus est, nec non melior aut accommodatior præscribi a nobis potest. Solum explicanda videntur aliqua, et dubitationes nonnullæ, quæ in praxi possunt incidere, non sine animi utilitate tollendæ.

Ac primum quidem singillatim de quovis Examinis membro, ad extremum vero universe de toto Examine generatim. In primo quidem membro, quod de agendis Deo gratiis pro beneficiis acceptis est, tria habere dubitationem possunt. 1°. Cur in via, quæ dicitur Purgativa, qualis est quotidiani examinis, admiscetur gratiarum actio pro beneficiis, quod pertinere videtur ad viam quæ dicitur Unitiva. 2°. Cur anteponitur gratiarum actio veniæ petitioni, videtur enim prius deprecanda venia, tum actio adhibenda gratiarum. Quis nam placare volens offensum, reconciliationem gratiæ exorditur ab actione gratiarum? 3°. de quibusnam beneficiis sunt adhibendæ gratiæ, de universisne et communibus, aut de privatis et hodiernis? Nec enim id explicat ac distinguit P. Ignatius. His tribus dubitationibus ut simul una satisfaciam.

Respondeo primum, Divino afflatum Spiritu P. Ignatium hanc examinandæ conscientiæ formam nobis reliquisse.

[1] Moral. l. 11. c. 35. [2] Moral. l. 25. c. 8. [3] Daniel. 5.

Idcirco enim jubemur gratias agere pro beneficiis, priusquam ad perscrutanda et deflenda peccata veniamus, quia benefacta collata magis etiam nos inducunt in cognitionem et fletum peccatorum, nimirum propter ingrati animi vitium. Quam enim ingratos nos deprehendimus, cum tot affecti beneficiis, Divinæ tamen Majestatis oculos ausi sumus offendere? Multo enim magis vim perpendimus offensarum, easque lugemus ac deflemus, cum, inter tot offensas, memores sumus divinæ erga nos beneficentiæ. Quare et Deus, qui hanc Examinis formam servo suo Ignatio, imo et aliis Sanctis, ut mox apparebit, indicavit; ipse quoque ad provocandum iis, qui se læserint, fletum ac dolorem, priusquam offensarum mentionem faciat, in memoriam iis revocat beneficia quæ dederit. Sic dixit ad Heli: "Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me; et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. Quare ergo calce abjecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo?"[1] Sic etiam cum exprobrat peccata regi David, prius meminit beneficiorum quibus jam eum magnis, et multis affecerat: "Ego unxi te," inquit, "in regem super Israël, et ego erue te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël et Juda; et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon."[2] Et ad Jeroboam: "Exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israël, et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus

[1] 1. Reg. 2. [2] 2. Reg. 12.

est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum."[1] Et ad Baasa: "Exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israël, tu autem ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israël, ut me irritares in peccatis eorum."[2] Et alibi apparet hunc esse morem et quasi stilum Domini, ut reprehensionem peccatorum exordiatur a commemoratione beneficiorum quæ ipse contulerit; sic enim magis intelligitur vis et turpitudo culparum, quia quæ sibi vicissim opponuntur, atque e regione collocantur, mutuis se se aspectibus magis indicant. Quare et Sancti illi, quorum attulimus auctoritates, duo hæc una conjungunt, gratiarum actionem et pœnitentiam peccatorum. Ut igitur prima illa dubitatio funditus tollatur, duobus modis spectari potest actio gratiarum: vel ut divinum in nobis amorem parit, ex eoque ipsa oritur; vel ut dolorem efficit peccatorum, et in eorum nos cognitionem et fletum adducit. Priore modo ad vitam quæ dicitur unitiva, posteriore ad purgativam spectat; atque hinc intelligi potest cur cæteris examinis membris anteponatur actio gratiarum, quia scilicet beneficiorum memoria magis nos provocat ad luctum doloremque culparum. Imo inter homines, cum quempiam læsimus unde sæpe accepimus beneficium, hæc ipsa memoria nos impellit ad petitionem veniæ, licet verbo prius veniam deprecemur offensæ quam mentionem faciamus præteritæ beneficentiæ. Prior tamen hujus est memoria quæ intus movet, quam veniæ deprecandæ consilium.

Altera responsio esse potest quia, cum examen ipsum conscientiæ non modo ad perscrutanda mala quæ fecimus, verum etiam ad exploranda bona quibus aucti sumus, referatur, sicut jure pœnitentiam doloremque suscipimus

[1] 3. Reg. 14. [2] 3. Reg. 16.

ex admissis malis, ita etiam gratias jure agimus pro partis bonis. Naturæ autem consentaneum est, prius bona et lucra respicere quæ sis adeptus, quam detrimenta quæ ceperis; bonum namque per se spectatur, et in id primo mens ipsa fertur, postea autem malum repellitur, atque idcirco prius adhibetur actio gratiarum quam dolor luctusque suscipiatur. Ideo Basilius, cum de quotidiana sui discussione loqueretur: "Circa finem," inquit, "diei necessarium est ut de iis, quæ illo nobis die data sunt aut acquisita, gratias agamus; et si quid sit actum remissius, sive delictum aliquod commissum, Deum placemus."[1] Et Chrysostomus: "Dicito in corde tuo, et in anima tua, Expendimus diem O anima, quod boni fecimus, aut quod mali operati sumus? Et si quid fecisti boni, gratias age Deo; si quid mali, de cætero ne facias."[2] Climacus quoque, ut diximus, ad hæc duo refert examen—ad lucrum et detrimentum; et optimum ait esse illum trapezitam, qui quotidie vespere lucrum et detrimentum computat, nimirum ut illud quidem tueatur, pro eoque gratias agat; hoc autem lugeat, et quod fieri potest imminuat atque elevet."[3] Et B. Gregorius cum dixisset debere uniuscujusque mentem causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se solicita inquisitione discutere, explicans quodammodo id quod dixerat, ita subjicit: "Debet caute pensare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perverse vivendo responderit."[4] Atque hæc est causa, cur P. N. Ignatius et gratiarum actionem adhibendam esse censuerit in discutienda sua conscientia, et cur eam peccatorum pœnitentiæ veniæque petitioni antetulerit. Ex his etiam intelligimus, de quibusnam beneficiis sint agendæ gratiæ.

Licet enim S. Ignatius id non explicet, intelligimus tamen ex Basilii, Chrysost. et Gregorii sententia, pro iis esse præcipue beneficiis agendas gratias, quæ ipso die accepta

[1] Ascet. c. 37. [2] Hom. 2. in Ps. 50. [3] Grad. 4.
[4] Mor. l. 25. c. 7.

sunt, sive animam, sive corpus attingant. Sed spiritualium maxime habenda cuique ratio est, pro suo munere ac professione: ut concionator, si quos suis concionibus ad Deum adjunxit; doctor, si quæ Dei sunt docuit cum audientium tum approbatione, tum fructu; et qui a confessionibus est, si quam plurimis aures dedit magno eorum bono. Novitius, si ex animi sententia matutina illi processit oratio, si victoriam de vitio aliquo reportavit, si iram vicit, patientiam in rebus asperis tenuit, gulæ voluptatem superavit, et id genus alias cupiditates fregit. Beneficia quippe Dei sunt hæc omnia, et Deo accepta referenda. Quanquam verisimile est P. Ignatium, qui omnem temporum definitionem sustulit, nec limitavit hanc gratiarum actionem, non modo ad unius diei beneficia eam referre voluisse, verum etiam ad universa; præsertim quia, ut priore responsione diximus, non modo præsentium verum etiam præteritorum temporum beneficia magnam vim habent, ad arguendum ingratum animum nostrum, qui post tot beneficia, Deum tamen non dubitaret offendere. "Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis."[1] Nota Creationis tantum meminit, cum dicit: "Qui fecit te," non aliorum nominatim, quia ad illam reliqua consequuntur; ac propterea subdidit: "et inebriantem te ab omnibus bonis suis;" bona enim omnia cum dicat, nullum bonum excipit. Præcipua autem beneficia, ut vocationis ad Religionem, Redemptionis, Creationis, et id genus alia, recolenda in primis sunt. Quorum beneficiorum recordatio amorem haud dubie in Deum excitat, amor autem studium et diligentiam repellendi a nobis quidquid oculos Divinæ illius Majestatis offendit; in quo vera contritionis ratio posita est, nec enim ulla est sine amore contritio, et dolor ipse, qui Dei læsi gratia suscipitur, veræ ac sinceræ charitatis est fœtus.

In secundo vero Examinis membro, tria dubitationem

[1] Eccl. 32.

afferre possunt: Duo quoad priorem particulam, quæ est de flagitanda gratia ad cognoscenda peccata; Tertium quoad posteriorem, quæ est de eadem gratia flagitanda ad expellenda peccata.

Primum igitur, interrogare quis posset cur flagitare nos jubeat cognitionem peccatorum, cum id nec Patres aliqui ex his quos nominavimus, quique de conscientiæ discussione præcipiunt, ad examinis rationem afferant, nec ratio ipsa indicet admodum necessitatem. Siquidem "signatum est super nos lumen vultus Dei nostri,"[1] quo malum a bono possûmus internoscere; et unusquisque suam habet synderesim et conscientiam ad arguenda et videnda mala sua, nullo alio magistro adhibito, aut adminiculo gratiæ. "Hæc est enim," ut Dorotheus ait, "quæ dicit nobis: Fac, aut ne fac; vocaturque ab eo λογισμὸς, id est, ratiocinatio illuminans mentem?"[2]

Respondeo: Quod ad Patres et Sanctos attinet, mirum non esse si de hac peccatorum cognitione a Deo postulanda nihil meminerint, meminerit autem unus P. Ignatius. Quia licet multi de conscientiæ discussione præceperint, nemo tamen exactam ejus formam rationemque tradidit, sicut noster Ignatius, qui non modo eam redegit ad certam formam, verum etiam certa lege statutoque præscripsit, ut supra diximus.

Quod autem hæc cognitionis postulatio non videatur admodum necessaria, quia unusquisque, ratione duce ac magistra, mala sua videt; verum id esset, si et semper graviora delicta ratio nobis ostenderet, et ad levissimas culpas quæ Religiosis vitandæ sunt prævidendas sola, sine ullius Divinæ gratiæ adminiculo, satis esset; nunc autem, cum persæpe obscuratum sit lumen rationis quod signatum est super nos, tum depravatæ naturæ vitio, tum peccatorum atque affectionum illecebris, hinc fit ut nec semper in quo delinquimus videre possimus, nec minutas quasdam noxas, quarum nos Dei Spiritus solus arguit,

[1] Psal. 4. [2] De Consc. Ser. 3.

dispiciamus. Adde etiam multa esse occulta peccata, quæ indagare ratio ipsa non possit, ut, non sine causa, ab iis se mundari Regius Propheta precetur.[1] Adde ea quæ virtutis speciem habent, virtutes tamen ipsæ non sunt. Adde innumeras fallacias inimicorum invisibilium, quas nemo agnoscit ad plenum, ut Justinianus ait: "Nisi Sapientiæ sit splendore perfusus, non sufficit naturalis acumen ingenii, si non introrsus erudiatur a Verbo."[2]

Tribus igitur omnino de causis flagitanda est a Deo cognitio peccatorum. 1°. Quia perturbationes, et affectiones, et sui ipsius amor adulterant judicium veri, et multa, ut dixi, speciem virtutis habent, quæ reipsa sunt vitia; nam, ut ait B. Gregorius: "Sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitatis prodeunt infirmitate."[3] Tale fuit peccatum Saul, qui jussus ex Amalecitis quos comprehenderat omnes, cum homines, tum animantes occidere, Regi tamen optimisque ovium et armentorum gregibus parcendum sibi putavit, scilicet ad immolandum Domino.[4] Ita religionis specie deceptus graviter apud Deum offendit, nec tamen sensit offensam, cum verbum Domini se implevisse jactarit. Amor quippe sui ipsius, pravaque animi affectio pulcherrimis quibusque rebus inhiantis, tum ficta pietas atque religio hominem scilicet excœcavit, ut culpæ facinus non agnosceret.

2°. Quia multa sunt occulta, quo rationis vis penetrare non potest, sed implorandum cum David divinæ gratiæ lumen est, ut ea possimus intelligere. Nam et Job hoc a Domino petit: "Quantas habeo iniquitates, et peccata, scelera mea, atque delicta ostende mihi;"[5] et Paulus, talis ac tantus vir, qui conscientiam suam jugiter ponderabat, ut Chrysostomus ait: "Quamquam maxima scientiæ luce refulgebat, etsi nihil sibi conscium esse confirmat, negat tamen in hoc justificatum se esse. Intelligebat enim

[1] Psal. 18. [2] L. de Obed. c. 16. [3] Moral. l. 32. c. 22.
[4] 1. Reg. 15. [5] Job 13.

occultioribus interdum morbis animam laborare, quos nisi Deus indicet, agnoscere ipsa non possit."[1] Certe et de unius superbiæ vitio in Canticis Richardus ait: "Quis vetustam et inditam superbiam, quis occultas ejus radices, atque subtiles cogitationes, quibus ut plurimum latenter irrepit, et etiam nescientibus subrepit, nisi Deo susurrante, id est occulte revelante, cognoscat? Quæ quantum in mente dilatatur, tanto minus cognoscitur, quia mens per hanc amplius excœcatur. Sic etiam in verbis et operatione multipliciter latet, nec cognoscitur, nisi ad cognoscendum a gratia quis erudiatur. Latet itaque in anima superbia, et hoc ipsa nescit; sed Deus hoc videt, quia occulta conspicit, et propterea gratiam suam subtrahit, vel non concedit."[2] Similia habet Gregorius: "Hoc," inquit, "vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur, quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustat."[3] Ideo idem S. Doctor: "Ea," inquit, "quæ perscrutari in nobismet ipsis plenius nitimur, sæpe verius orando quam investigando penetramus;"[4] quod quidem de occultis maxime verum est. At quæ ignorando peccamus excusationem habent, dixerit fortasse quispiam. "Sed non de his tantum puniendi sumus," Chrysostomus inquit, "quæ sciendo peccamus, sed etiam de iis, quæ ignorando committimus."[5] Propterea rogat Dominum David, "Ignorantias meas ne memineris."[6] Quod autem et occulta excusationem non habeant apud Deum, et eadem perspici sine Divinæ gratiæ luce non possint, David exemplo docemur, qui, cum populum numerari jussisset, non sensit se apud Deum graviter offendere, nisi peccatum ipsum occultum Divini supplicii vis insecuta pandisset.[7] Ideo autem peccavit, tum quia magno sumptu magnaque populi molestia lustratio illa facta est, tum etiam quia genus quoddam superbiæ atque ostentationis id fuit, ut Gregorius

[1] Hom. 6. in Matth. [2] Explic. in Cant. c. 7. [3] Moral. l. 24. c. 25. [4] Mor. l. 1. c. 34. [5] Hom. in Matt. 6. [6] Psal. 24. [7] 2. Reg. 24.

affirmat. Huc accedit quod contra legem fecit, quæ jubebat, cum incideret ejusmodi tempus ut lustrandus populus videretur, offerri ab unoquoque in usum tabernaculi certam stipem. Tribus igitur de causis tantus rex peccavit et ignoravit, nec tamen quia ignoravit, idcirco ejus abiit impune peccatum, quod gravissimo non ita mox supplicio vindicatum est.

3°. Quia multa sunt minima quæ fugiunt aspectum, ut atomi in aere, qui quidem aer nisi illustretur a sole, dispici ab oculorum acie non possint. Bonaventura: "In domo, quam subintrans radius solis illuminat, quantumcunque licet fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent; sic et cor, radiis gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit."[1] His adde quod hæc cognitio quæ petenda est peccatorum, non modo ad numerum verum etiam ad gravitatem pertinet peccatorum, quam quidem nosse Divinæ scilicet gratiæ munus est.

Secunda interrogatio. Cur, ad cognoscenda peccata, tam commune tamque universale præsidium P. Ignatius nobis suggerit, nam imploratio Divinæ gratiæ omnibus necessitatibus commune subsidium est; cur igitur non peculiarem aliquam et propriam viam ostendit, quæ nos ad cognitionem peccatorum facile ferret?

Respondeo primum, implorationem divinæ gratiæ, licet rebus omnibus adhiberi possit, et commune quoddam videatur esse præsidium, tamen hoc loco proprium et peculiare esse, non commune. Cujus ea ratio esse potest quia is, unde petitur hæc cognitio, est ipsemet offensus, qui melius novit acceptas offensas, quam offensor, ut in humanis patet; nam sæpe offendimus aliquem, quem minime nos offendisse putamus. Is autem, qui læsus est, probe novit offensam, quia et sentit et suffert. Ut igitur ab amico solemus precibus interdum contendere, ut nobis indicet si qua in re eum læsimus et offendimus, quum ipse est qui

[1] Spec. Disc. p. 2. c. 3.

nostras sensit offensas et injurias, sic etiam nos recte a Domino, quem vel ignari frequenter offendimus, flagitamus ut offensarum cognitionem nobis afferat, ut eas et delere nunc fletibus et in posterum cavere possimus; atque ita non tam commune, quam proprium hoc erit ad cognoscenda peccata præsidium. Quanquam non solum quia ipse est offensus, lucem nobis Deus ad dispiciendas offensas affert, sed gratia lux ipsa cum sit, et nostri effector opifexque figmenti, intima nostra perspicit, et corda scrutatur ac renes.

Deinde respondeo sapienter a Patre nostro factum esse, ut ad cognitionem peccatorum adipiscendam non multas nobis ostenderet vias, sed unam dumtaxat præcipuam ac propriam, quæ est ea quam diximus. Quia, cum excutiendæ conscientiæ formam traderet, necesse fuit perpaucis eam comprehendere, et ejus brevitati consulere, quales solent esse fere ejusmodi formulæ; reliqua vero quæ addi possent, ea cujusque arbitrio voluntatique permittere. Nec enim vetat nos alias ad eam cognitionem nobis comparandam vias indagare, quæ quidem multæ atque expeditæ deesse non possunt, et quidem ex Sacris Literis tres optimas colligere possumus.

Prima est se ipsum in conspectu Dei totum scrutari atque discutere, ut faciebat Job, cum dicebat: "Vias meas in conspectu ejus arguam."[1] Vias autem nostras in conspectu Dei arguimus, cum "peccata nostra subtiliter perpendentes in ejus nos conspectu punimus, et flendo dijudicamus," ut Gregorius ait.[2] Hæc est optima via ad cognitionem peccatorum consequendam, quia dum in conspectu Dei nos ipsi discutimus, nihil sibi nostra blanditur infirmitas, atque in his, quæ recolit, semetipsam delicate non palpat, quod facere nos jubet Gregorius. Deo Job idem de se ipse dicit: "Ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus."[3] Ubi Gregorius: "Coram Deo," inquit, "judicium ponere est

[1] Job 13. [2] Moral. l. 11. c. 36. [3] Job 23.

intra secretum mentis per fidei contemplationem ad tremendum examen majestatis illius oculos nostræ considerationis aperire, quid peccator homo mereatur attendere, et occultus nunc et tacitus judex, quam terribilis post appareat considerare. Ex qua re agitur ut ad cognitionem sui anima subtilius revocetur."[1] Nota autem et perpende verba illa. "Os meum replebo increpationibus," quia dum ponimus coram Deo judicium, et in ejus luce nos ipsi disquirimus, tam multa in nobis vitiosa deprehendimus, ut pleno nos ore damnemus, ideoque repletur cor nostrum increpationibus. Propterea et S. David ut ad Deum accedamus, ab eoque illuminemur, hortatur: "Accedite," inquit, "ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur."[2] Accedimus in orationem cum in conspectu ejus nos ipsos statuimus, et ejus lucis splendore illuminamur, ut quidquid est fœdum inspicientes lacrymisque abstergentes, supremo illo judicii die non confundamur.

Altera vero via, ad dispicienda vitia nostra, parandamque hanc nostri pectoris cognitionem, est tamquam alienos considerare nos ipsos, actionesque nostras in aliena persona collocare. Quod admonet B. Bernardus: "Statue" inquit, "te ante te tanquam ante alium, et sic temetipsum plange;"[3] nam, cum nos ipsi nimis amemus, nostra etiam omnia, ipsa quoque vitia, cœco quodam amore diligimus, at si considerentur in aliis, hæc ipsa, quæ nunc perplacent, displicebunt. Tanta vis est amoris sui ipsius. Sapienter igitur Propheta Nathan, qui, ut David regem in cognitionem suorum peccatorum adduceret, in alterius persona, sub parabola divitis, eam illi demonstrandam putavit, ita ut in se ipsum rex sententiam ferret: "Vivit Dominus," inquit, "quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc."[4] Et Christus Dominus parabola agricolarum utitur, qui "apprehensum herum ejecerunt extra vineam, et occiderunt;" ut, dum Judæos, sui futuros homicidas, sic interrogat: Quid faciet agricolis suis," ipsi autem ita

[1] Moral. l. 16. c. 28. [2] Psal. 33. [3] Med. c. 5. [4] 2. Reg. 12.

respondent: Malos male perdet, etc.,"[1] ex suo ore se ipsi condemnent, ut observat Chrysostomus.[2] Tum autem optima est hæc ratio cognoscendi lapsus suos, cum eos in persona graviori quam dedeceat turpitudo vitii collocamus, tum melius intelligimus quam nos etiam dedeceat.

Tertia ratio atque via dispiciendi, cognoscendique non modo singulares noxas atque delicta, verum etiam cursum omnem vitæ nostræ, nostrosque processus aut regressus, est inspicere exempla Sanctorum, priscorumque Patrum, juxta illud Moysis: "Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi."[3] Quare et Deus, cum regi Jeroboam iniquitatem exprobat, objicit illi David virum sanctum et justum: "Et non fuisti," inquit, "sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo."[4] Sic etiam meminit David servi sui, cum Salomonem incusaret.[5] Quod etiam præcipit faciendum Joannes Climacus, hisce verbis: "Nunquam nos ipsos disquirere et dijudicare desinamus, jugiter probatissimorum Patrum, qui ante nos luminarium in modum splenduerunt, vitam et mores intueamur, nosque ad illorum comparationem studiosius examinemus. Tunc sane tum nos ipsos ne vestigium quidem diligentioris conversationis attigisse inveniemus, sed seculari adhuc instituto immorari."[6] Quod ipsum repetit in alio Gradu, quem de discretione conscripsit. Et Gregorius in Moral: "Qui plenissime," inquit, "intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet inspicere, qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur, quantum ipse deserto bonorum deformis est."

Tertia interrogatio. Cur tam generale et commune remedium nobis suggerit P. Ignatius, ad vitia et peccata pellenda; imploratio quippe Divinæ gratiæ, ut supra diximus, nimis est commune præsidium.

Respondeo primum, hoc commune præsidium con-

[1] Matth. 21. [2] Hom. 39. in Matth. [3] Deut. 32. [4] 3. Reg. 14. [5] 3. Reg. 11. [6] Grad. 22.

jungi cum proprio ac peculiari, quod est Examen ipsum, ut modi dixi; nam, quamquam alia poterant ad faciliorem vitiorum expulsionem præsidia suggeri, tamen intelligebat Pater noster Ignatius, in his quæ gratiæ sunt, cujusmodi sunt progressus nostri spirituales, gratiæ nos egere præsidio, et quidem multo magis, quam in his quæ sunt naturæ. Licet igitur commune videatur esse præsidium ad expulsionem vitiorum imploratio flagitatioque Divinæ gratiæ, id tamen cum Examinis diligentia ac studio efficitur proprium ac peculiare. Quantum autem in hoc momenti sit, veteres agnoverunt, ut ex Patrum collationibus satis intelligitur. Sic enim Cassianus, cum de vitiorum hostibus disputat sub Serapionis persona: "Certos nos esse convenit, tam ipsis rerum experimentis, quam innumeris Scripturæ testimoniis eruditos, nostris nos viribus, nisi Dei solius auxilio fulciamur, tantos hostes superare non posse, et ad ipsum quotidie summam victoriæ nostræ referre debere."[1] Et paulo infra consimilia dicit, ut etiam antecedenti capite. Porro testimonia Scripturæ, quæ, dicit, sunt hujus spiritalis victoriæ figuræ quædam, ex corporeis sumptæ victoriis. Dicitur enim ad regem Amasiam: "Si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est adjuvare, et in fugam convertere."[2] Deinde, cum timeret Josaphat rex ejusque exercitus Moabitas et Ammonitas, dictum est eis: "Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem; non enim est vestra pugna, sed Dei," et mox: "Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum."[3] "Egrediemini," inquit, egredi enim tantum jubet, quia nihil erat iis agendum aliud nisi ut egrederentur, quo nihil facilius; nam pugnare et victoriam parere, id ad Dominum pertinebat.

Jam si ad vincendos profligandosque hostes corporis

[1] Coll. 5. c. 15. [2] 2. Paralip. 25. [3] Ibid. 20.

Divina est imploranda gratia, quanto magis ad expugnandos hostes animi, quæ sunt vitia, eorumque ministri ac satellites, dæmones; quæ quidem, non corporalem et temporalem mortem, sed spiritualem et sempiternam inferunt? Hinc fit ut viri sancti, cum vitia devicerint, victorias suas Divinæ gratiæ non suis viribus acceptas referant; ut observat Gregorius: "De ipsis jure dicitur in Apocalypsi Joannis, 'Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini.' Coronas namque suas ante thronum Domini mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori; ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis."[1] "Et sæpe mens," inquit, "quæ adversa multa et fortia superat, unum in se, et fortasse minimum, quamvis magna intentione invigilet, non expugnat. Quod Divina nimirum dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens, in elatione sublevetur; ut dum in se parvum quid reprehensibile videt, et tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori victoriam tribuat, in his quæ subigere fortiter valet."[2] Recte igitur P. Ignatius instituit, in hac sui ipsius discutiendi formula, ut ad expulsionem peccatorum Divina gratia tanquam præcipuum princepsque præsidium efflagitetur.

Respondeo secundo, Patrem nostrum hoc loco præcipuum tamen Divinæ gratiæ præsidium ad facilem et expeditam vitiorum victoriam attulisse, quia aliqua alia attulerat supra, cum de particulari propriaque singularis vitii inquisitione præciperet, quod huc etiam ab unoquoque transferri posset. Nam hoc ipsum quod est singulare vitium insequi, dum plane debelletur, plurimum valet ad expulsionem extirpationemque vitiorum. Quæ quidem vincendi vitia ratio vehementer Cassiano probatur, hoc est: "Ut unusquisque vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen;"

[1] Moral. l. 22. c. 10. [2] Ibid. l. 4. c. 23.

idque duas ob causas. Primum, "quia semper validioribus superatis, celerem," inquit, "de residuis habebit facilemque victoriam." Deinde, "quia impossibile est eum, qui, pro cordis sui emendatione sollicitus, erga impugnationem vitii cujuslibet intentionem suæ mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem et custodiam similem non habere."[1] Atque hæc ille ex Scripturæ Sanctæ figuris etiam probat, dicitur enim: "Deus magnus et terribilis; ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eas pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ."[2] Sic quoque Dorotheus: "Ad superandas passiones ac vitia examen adhiberi particulare suadet, ita ut per quælibet tempora inspiciamus, quomodo certum aliquod vitium, perturbatioque quam in nobis senserimus edomita sit."[3]

Eam igitur rationem Examinis particularis paulo ante P. Ignatius tradidisset, quo vitia omnia funditus expelli possent, necesse hoc loco non habuit ad repulsionem vitiorum vias alias nobis demonstrare, cum ea adhiberi possit.

De tertio Examinis membro. Hic quoque quatuor rogare quis possit. Primum, cur de admissis tantum peccatis ratio ab anima exigenda videtur, non autem de partis bonis? Nam Sanctorum quos supra attulimus sententia erat, tanquam bonis œconomis videndum nobis esse quod accepti, et quod expensi, in tabulas nostras referendum sit. Et vero nomen Examinis, quod est nomen judicii ac trutinæ, ut initio diximus, magis convenire videtur probandis bonis, an vere sint bona; quam malis, quæ judicio ac probatione non egent.

Respondeo primum, hæc facile solvi ex iis quæ supra sunt dicta. Nam in Divinis beneficiis, pro quibus gratiarum actio præscribitur, numerantur etiam bona quæ facimus et idcirco non fit alia mentio bonorum, juxta id quod dicit Chrysostomus: "Si quid fecisti bene, gratias age Deo."[4]

[1] Coll. 5. c. 14. [2] Deut. 7. [3] Ser. 10. [4] Hom. 2. in Ps. 50.

Respondeo secundo, hoc ipso quod vitia et peccata disquirimus, intelligimus, ex ipsa diminutione vitii, quanta sit ad virtutem facta progressio. Sicut enim diminutio cupiditatis, quemadmodum Augustinus ait, augmentum est charitatis, ita et hic ego dixerim diminutionem vitii incrementum esse virtutis, ut diminutio tenebrarum incrementum lucis est, diminutio morbi incrementum sanitatis; quantum enim de privatione amittitur, tantum de habitu comparatur. Et, ut ait Bernardus: "Tolle superflua, et salubria surgunt, utilitati accedit quidquid cupiditati demis."[1] Atque idcirco virtutum ac benefactorum nostrorum mentio non fit, sed tantum peccatorum ac malorum, quorum ex pugna atque victoria, illa facile intelliguntur. Imo malorum peccatorumque consideratio in examine ad benefactorum fructum virtutumque primo ac per se refertur.

Respondeo tertio, etsi nulla videatur fieri mentio bonorum atque virtutum, ea tamen adhuc in judicium vocari et examinari. Nam in peccatorum numerum etiam ea, quæ in benefactis delinquimus, includuntur; ita oblique etiam benefacta probantur atque expenduntur.

Secunda interrogatio. Quid si admissa præsenti die peccata nulla sint, aut certe perpauca, ubi adhibeatur Examen? Potest enim tanta interdum mentis esse custodia, præsertim cum Sacrosancta Eucharistia die festo suscepta est, ut id temporis, quod ad discutiendum se datum est, materia examinis vix appareat.

Respondeo primum, vix fieri posse ut in dictis, vel factis, vel cogitatis delicti aliquid noxæque non inveniatur, præsertim si aut cogitationes innumeræ, aut occulta peccata, aut ipsorum benefactorum vis inspiciatur. Cogitationes quidem, nam, ut ait B. Gregorius: "Quis considerare valeat quanta mala, per momenta temporum, ipsi, in constantibus cogitationum motibus, perpetramus? Facile est enim opera perversa vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogi-

[1] In Cant. Ser. 98.

tatione cor tergere."[1] Et Basilius, Hom. "Attende tibi," in illud Job 1. "Ne forte filii mei in corde suo cogitaverint mala contra Deum," ait: "Merito hic justus de peccato quod est in latebris ac recessu verebatur; nam quæ hominis est conditio, ad mentis errata sumus procliviores, quæ enim corpore administrantur, tempore atque opportunitate opus habent, mentis vero cogitationes momento efficiuntur. Deinde, quis occulta quæ perpetrantur intelligit, a quibus se mundari petit David? Nam, ut idem Gregorius ait: "Etsi cuncta prava opera, quæ intelligere potuit, conversus quisque devitavit, tamen coram districto Judice illa magis, quæ non intelligit, pertimescit;"[2] ideoque ob hoc lugendum et subtilius in nos metipsos inquirendum. Cum intelligeret Job ea, quæ aspectui subjecta erant, labe carere, suspicabatur ne qua forte prolapsio interior filiis lateret inclusa, atque ob eam rem pro occultis peccatis sacrificabat, propheticam illam sententiam secutus: "Ab occultis meis munda me, Domine."[3] Iterum quamvis totum diem in benefactis sanctisque actionibus traducamus, tamen ipsa benefacta si diligenter exacteque dividerentur, vitio non carent. "Verendum enim est ne multæ justitiæ nostræ," ut Bernardus ait, "peccata appareant;"[4] conjiciamus igitur oculos in benefacta, quando graviores noxæ non eminent, et mentis intentionem curiosius examinemus, quæ sæpe in iis minus recta, minusque sincera reperiatur; timenda enim sunt nobis etiam, ut exemplo Job Gregorius admonet, benefacta. "Job quippe plenus erat operibus sanctis," ut idem Gregorius ait, "et tamen dicebat: 'Verebar omnia opera mea.'[5] Quid ergo est quod mira opera faciens, hæc ipsa etiam faciens veretur, cum dicit: Verebar omnia opera mea; nisi quod in sancti viri actibus verbisque colligimus, ut, si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus. Sæpe enim, ut idem ait, nonnulla bona nostra latrocinantis fraude pereunt, quia

[1] Moral. l. 24. c. 11. [2] Ibidem. [3] Psal. 18. [4] In Cant. Ser. 55. [5] Job 9.

rectis se nostris actibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpe desidia interveniente deficiunt, quia fervore quo cœpta sunt, frigescente amore, tabescunt."[1] Huc etiam accommodat vir sanctus verba illa Job: "Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat Job et sanctificabat illos,"[2] "Peracto," inquit, "orbe dierum convivii, mittere ad filios et eos sanctificare, est post virtutum sensum intentionem cordis dirigere, et omne quod agitur, districta retractationis discussione, mundare; ne bona æstimentur quæ mala sunt, ne saltem veraciter bona putentur sufficientia, cum perfecta non sunt.[3] Discussio igitur diligens vel cogitationum, vel occultorum, vel etiam bonorum nostrorum non sinet nos tempus otiose atque inutiliter terere. Præterea quamvis nulla inveniamus esse delicta, non tantum hic examinis finis est ut multa deprehendamus errata, sed ut singulas perpendamus actiones, quales illæ sint, quæ quidem si sint omnes laudabiles, et vitio careant, tum finis erit examinis, non quidem fletus aut dolor, sed gratulatio et gratiarum actio.

Respondeo secundo. Quamvis cuipiam videatur examinis materia forte deesse, non idcirco remittendam esse curam studiumque scrutandi sui; scilicet ne vitia, ad quæ proclivissima natura nostra est, appropinquent; quippe hic examinis fructus est materiam semper minuere peccatorum. Custodia enim mentis nostræ diligens facit ut hostes arceat, vitia scilicet et peccata persæpe absint, Sicut communis arcis custodiæ atque vigiliæ is est fructus, ne accedant hostes ad urbem, qui si absint, aut abesse putantur, illi confestim advolant.

Respondeo tertio. Quando deest quotidiana materia examinis, nec ulla apparent deflenda aut arcenda delicta, sive in pravis actionibus, sive in bonis, tum examinis tempus ita nobis traducendum erit. Primum, ut animum revocemus vel ad magis usitata, quæ frequentius oppugnare nos solent, vitia, ut ea nostris decretis statutisque funditus expugnemus.

[1] Moral. l. 9. c. 34. [2] Job 1. [3] Moral. l. 1. c. 34

secundum, ut ad ipsum vitæ nostræ cursum præsentia cum præteritis conferentes, et nosmetipsos, ut Paulus ait, comparantes, ut intelligamus quantum in via Domini procedamus. Id quod videtur voluisse Bernardus cum dixit: "Vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias; qualis sis in moribus, et qualis in affectibus; quam similis sis Deo, vel quam dissimilis, quam prope, vel quam longe."[1] Hæc, inquam, generatim et universe perpendi possunt, cum singularia delicta quæ lugeas, vel nulla, vel perpauca sunt. Quæ quidem examinis ratio haud dubie magna quadam utilitate non caret. Faciendum etiam est ut illorum vitiorum, in quæ plerumque solemus incidere, radices inspiciamus, ut eas extirpemus et evellamus. Denique multo plus temporis in decernendo statuendoque ponamus, nec non in indagandis rationibus, quemadmodum nostris ipsi decretis atque propositis obtemperemus. Inspiciamusque vesperi quomodo matutinis, mane autem quomodo vespertinis illis decretis statutisque paruimus. Sic quod datum est discussioni temporis perutiliter traducemus.

Tertia interrogatio. Si per horas singulas, ex quo surreximus, investiganda sunt vitia atque peccata, id erit maxima aberrationis causa menti nostræ; facile enim in quotidianis expendendis actionibus mens ipsa in quibusdam insistit, et ex uno in aliud evolat minime sentiens, per occasionem tam vagam, lustrationis divinæ. Interdumque non prius se revocat ad investiganda et deflenda peccata, quam tempus examinis sit elapsum, nobis non sentientibus nec animadvertentibus.

Respondeo. Triplex adversus mentis aberrationem adhiberi potest remedium. Primum, ut magno animi ardore studioque placandi Dei, ad peccatorum examen accedatur. Si quis enim ita accedat, is non facile per hujus investigationis occasionem ad inutilia quædam et a proposito aliena aberraverit. Quod si quando minime sentiens aberret,

[1] Med. c. 5.

cito ad ea quæ agit se ipsum revocabit, quippe luctu ipso mœroreque noxarum, quibus non ignorat se sæpius apud Deum offendere, facile colligetur. Alterum est ut qui facile mente et cogitatione alio ducitur, dum suas quotidie lustrat actiones, is peculiarem adhibeat diligentiam ut mentem suam identidem, cujus jam novit vitium, omni ope cohibeat atque coerceat; sibique in memoriam revocet propositum suum, quod est se ipsum accurate discutere atque disquirere, non huc atque illuc soluta mente vagari. Tertium potest esse ut quis nolit nimium superstitiose in singulis quibusque actionibus immorari, quæ tempus arripiant et mentem defatigent, ut alia considerare et recolere jam defatigata non possit. Inutilis quippe est omnis minuta diligentia, sed in iis tantum quæ vere videntur esse delicta atque peccata, et ubi inter actiones aliquas pravas conscientia momordit ac pupugit; ibi potissimum non nihil insistat oculosque mentis infigat, seu ad cognoscendam melius perspiciendamque vim delictorum, seu ad eadem vel cavenda in posterum, vel in præsens deflenda ac deploranda.

Quarta interrogatio. Si omnes omnium horarum cogitationes, verba, actionesque expendendæ sunt, duo ex eo oriri videntur incommoda. Alterum quod memoria sæpe nos deficiet, quis enim singulas omnium horarum cogitationes aut etiam verba meminisse potest? Nam de factis operibusque minus negotii est. Sed non omnes memoria valent. Quale igitur erit hoc examen, cum pleraque in nobis ipsis scrutandis excidant? Quo circa S. Dorotheus: "Cum obliviscamur," inquit, "facillime delicta nostra et peccata, opus esset nobis in horas singulas cura diligenti et examinatione, quo pacto ambulassemus id temporis ac momenti."[1] Alterum incommodum est quod licet memoria non deficeret, deficeret tempus, tantulum enim hoc spatium, quod nobis ipsis discutiendis datum est, prius elabitur quam vel pars diurnarum actionum

[1] Ser. 11.

recognita sit. Itaque quid superest postea temporis reliquis duabus examinis partibus? Sæpe enim ante nos finis apprimit, quam cogitata aut dicta singula percursa sint.

Respondeo primum, triplici ordine juvari memoriam, primus enim ordo est non modo temporis et horarum, sed etiam personarum quibuscum egimus, locorum ubi quid egimus, munerum in quibus versati sumus; quem quidem ordinem tradidit nobis supra P. Ignatius, cum de anteactæ vitæ discussione præciperet, et ideo hic, ut brevitati consuleret, prætermisit. Alter ordo esse potest si dicta, facta, et cogitata nostra perpendantur, ut vel ad Deum, vel ad proximos, vel ad nos ipsos spectant; nam, cum in iis delinquimus, aliquem profecto ex his offendimus. Tertius ordo earum rerum esse potest, in quas solemus plerumque labi, easque oportet non dissimulanter inspicere, nam in eadem fere solemus incidere.

Respondeo secundo, ea in quibus delinquimus solere plerumque angorem quendam conscientiæ morsumque relinquere, qui quidem memoriam postea nobis excitat admissæ noxæ cum examinis tempore noxas ipsas investigamus. Si quæ tamen aliæ prætereant, ubi satis studii in nobis scrutandis collocatum est, venia digni sumus; nec necesse habemus omnia vel minutissima tam sollicite perscrutari, ut in memoriam redigantur. Sed quæ alicujus momenti fuerint, ea nos plerumque non latent, tum quia per se statim apparent, tum quia, ut diximus, memoriam vulneris reliquerunt. Atque hinc etiam intelligimus id temporis, quod conscientiis discutiendis quotidie datur, satis superque videri, quia ex cogitatis, dictis, et factis quæ vitiosa fuerint, ea statim apparent, nec longa admodum disquisitione egent ut patefiant.

Respondeo tertio, ad utrumque incommodum recte consuli tum cujusque memoriæ, tum necessitati temporis, gemino cujusque diei examine; semel enim atque iterum in die certum sibi spatium sumere ad suas recognoscendas

actiones, id adjumento videlicet est, et ad revocandum nobis in mentem quidquid per diem egimus, et ad investiganda et deflenda, per otium, quæ deliquimus. Porro non eadem ab omnibus sui excutiendi exigitur diligentia, sed pro cujusque processu et quasi gradu luminis ac virtutis. Tirones enim, et qui nunc primum viam Spiritus ingrediuntur, satis habent si crassiora quædam, non oscitanter investigata, deplorent. Perfecti autem, et qui plus luminis a Deo obtinuere, minutissima quæque perquirant oportet, ideoque plusculum fortasse otii, ut se totos dispiciant scrutenturque, desiderant. Quemadmodum videmus in artibus, in quibus, qui rudiores adhuc sunt, non multum egent temporis ad sua vitia pernoscenda, ut infans imbecillusque grammaticus, ubi soloecismos et graviora quædam errata perspexit ac castigavit, quod non magnam admodum disquisitionem desiderat, conquiescit; nec necesse est eum in pervestigandis subtilioribus, quæ nondum perspicit, insudare. Sic et in cognoscendis castigandisque suis moribus, non necesse erit unumquemque diutius hærere, quam ejus conditio et quasi gradus spiritus petiatur. Ex quo fit ut memoria ad recolendas quotidianas noxas plerisque sit satis, et temporis. Porro hæc sui discutiendi ratio per cogitationes, verba, atque res, non ab uno Patre nostro Ignatio tradita est, sed a multis etiam Sanctis, ut Basilio, Chrysostomo, Gregorio, Bonaventura, et aliis de quibus nos supra.

De quarto Examinis membro fit interrogatio. Quonam pacto, cum levia sint delicta diei, tantum concipere dolorem possumus ut digne veniam postulemus? Nam gravia sua sponte dolorem afferunt, et veniam postulare compellunt.

Respondeo, si perpendatur cujusque noxæ deformitas vel levissimæ in conspectu Dei, coram quo nec angeli, nec cœli ipsi satis puri mundique sunt. Exemplo esse potest B. Catharina Genuensis quam vel minima noxa, in suo pectore inspecta, torquebat, ut in ejus vita legimus.

Adde quod ne levissima quidem noxa, cujusque boni gratia, committenda est; etiam si totum terrarum lucraremur orbem, aut omnes animas ad Christum adjungeremus. Ex quo intelligitur quanta sit cujuscunque noxæ turpitudo, et eadem quam dolenda. Quæ quidem, quamdiu expiata non sit, ingredi nos plane prohibet regnum cœlorum; in quod, ut aiunt Sacræ Literæ, "nihil coinquinatum intrabit."

De quinto et postremo membro fit interrogatio. Cur hæc duo distinguuntur: petitio veniæ, et propositum emendationis? Nam in petitione veniæ necessario includitur emendationis propositum; nemo enim veniam ab eo petit, quem iterum molitur offendere. Quorsum igitur tot membra Examinis, si quartum satis est?

Respondeo, recte hæc duo a Patre nostro sejungi atque distingui. Primum, quia duobus his finis continetur examinis qui duplex est:—alter impetratio veniæ pro delictis, quam quidem petitione consequimur; alter castigatio reprehensioque suorum morum, quod firmis animi propositis continetur. Secundo, recte distinguuntur hæc duo, quia licet in quarto membro, hoc est in petitione veniæ, virtute quadam emendationis propositum includatur, tamen hoc fuit etiam singillatim percipiendum atque explicandum, ut intelligatur quantum studii in animi propositis sit ponendum. Nisi enim hæc valde firma atque efficacia fuerint, perierit omnis fructus examinis. Efficacia autem fieri, cursim inter postulandam peccatorum veniam, haud ita facile possunt, sed suscipienda est ad id propria et seria cogitatio, hærendumque paulisper in hac corrigendi sui animi voluntate, paciscendumque quodam modo cum anima sua, ut hoc vel illud declinetur vitium, ac præterea præsidia ad custodienda pacta nostra undique conquirenda. Quæ quidem omnia moram temporis spatiumque desiderant. Hactenus de singulis Examinis partibus: de universo vero Examine tria adhuc quæri rogarique possunt, quo magis explicata sint omnia.

De Examine universe sumpto sit Prima interrogatio. Siquis per totum diem seipsum scrutatus est, et in horas singulas noxas suas observavit ac flevit (est enim hoc sanctis viris usitatum ac familiare, ut se ipsi creberrime vel non sentientes observent) quid hic agat Examinis tempore? Otiosa quippe videtur esse nova sui ipsius observantia atque disquisitio.

Respondeo primum, viris sanctis nunquam otiosam et supervacaneam videri sui ipsorum disquisitionem, quia semper quod amputent, semper quod reprehendant, inveniunt. Audi Bernardum de putatione uniuscujusque vineæ spiritualis, suæ inquam animæ, disputantem. "Parum," inquit, "est semel putasse; sæpe putandum est, imo, si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis."[1] Et extremo capite: "Tunc te," inquit, "non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti, et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris."[2]

Respondeo secundo. Si quis examinis tempore minimum habeat quod inquirat et defleat, quia totum diem sese inspexit et flevit, is aut iterum defleta defleat, quod faciunt sancti, aut ad recolenda divina beneficia, vel ut supra diximus, ad expendenda bona sua totum se convertat ac tradat.

Dices: In bonis suis expendendis numerandisque, præsertim si multa et proba reperiantur, humilitas et cœnodoxiæ præbetur occasio. Monet autem Gregorius, ut potius ab oculis nostris, id quod electi faciunt, bona nostra removeamus, quam ut ea ad animum revocemus. "Plerumque enim hoc vitio," inquit, "tentantur etiam electi, plerumque eorum cordi suggeritur ut bona quæque quæ fecerunt ad animum revocent, et securitatis jam lætitia exultent. Sed si vere electi sunt, ab eo in quo sibi placent mentis oculos divertunt, omnem in se de peractis bonis lætitiam deprimunt, et de his quæ se

[1] Ser. 58. in Cant. [2] Ibidem.

minus egisse intelligunt tristitiam requirunt, indignos se æstimant, et pæne soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent."[1]

Respondeo igitur, bona nostra duabus de causis ad memoriam revocanda non esse, sed quatuor de causis posse, imo oportere, ea revocari. Revocanda, inquam, non sunt, 1°. ne nos extollant; quod Gregorius admonet: "Dum vivimus," inquit, "debemus bona nostra a memoria repellere, ne extollant."[2] 2°. Ne securitatem pariant, quæ mater est negligentiæ, ut, et idem alibi Gregorius ait; et paulo ante, cum dixit: "Bona quæ fecerunt ad animum revocent, securitatis jam lætitia exultent."

Quatuor autem ob causas inspicienda nonnunquam et consideranda sunt; 1°. ut agantur et expendantur, quia, ut eodem loco Gregorius ait: "Habent hoc proprium sancti viri, ut bona quæ agunt videant, et tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant." 2°. Ut ex ipsis bonis rubore potius perfundamur, quam inani gloria efferamur. Quoniam nec eo usque perfecta et absoluta sunt, et quod debuimus facere fecimus; juxta id quod ait Bernardus in Cantica. Qui, cum dixisset in sui discussione sua se bona ac mala judicaturum, statim subjecit: "In bonis de me humiliter sentiam, et juxta præceptum Domini, servum me inutilem reputabo."[3] 3°. Ut gratias agamus Deo, cui accepta referimus bona nostra, ut ex Basilio et Chrysostomo supra percepimus. 4°. Ut sumamus animos vel in vita ad majora gerenda, vel in morte ad concipiendam opem Divinæ misericordiæ. Ad majora gerenda sumpsit animos Josaphat rex, quem aiunt Sacræ Literæ: "Cum sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit."[4] Eleazarus quoque, memor anteactæ laudabiliter vitæ optimæque conversationis a puero, ne per simulationem quidem voluit obsequi regi, porcinis imperanti carnibus vesci, sed multo maluit pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta

[1] Mor. l. 22. c. 6. [2] Moral. l. 22. c. 7. [3] Ser. 55. [4] 2. Paralip. 17.

morte perfungi.[1] Appropinquante etiam morte jure possumus, auctore Gregorio, revocare ad animum bona nostra, "ut fiduciam," inquit, "præbeant, et desperatum timorem premant."[2] Quod ab Hilarione factum legimus cum, adventante morte, dicebat: "Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times?"[3] Et B. Martinus ad diabolum, instante jam morte, dicebat: "Quid adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies." Atque hic est optimus finis agnoscendi bona sua.

Secunda interrogatio. Quid, si quis, in hac quotidiana sui ipsius discussione diligenter exercitatus, ad eum gradum virtutis ascendit ut jam quod a se ipso resecet, aut quod in se ipso reprehendat, nihil inveniat. Huic licebit ne tandem a quotidiana hac suæ conscientiæ discussione cessare?

Respondeo, id fieri in hac vita omnino non posse, ut quis adeo amputavit quidquid est vitiorum ut jam quod resecet amplius nihil sit. Testis est Bernardus: "Quis ita ad unguem," inquit, "omnia a se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et exstincta reaccenduntur, et sopita denuo excitantur."[4] Et mox: "Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus; subjugari potest, sed non exterminari.[5] 'Scio,' inquit Apostolus, 'quia non habitat in me bonum,' parum est nisi et malum inesse fateatur. Ait, 'Non, quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.'[6] Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo (nempe illius ista vox est); aut fatere cum illo te quoque vitiis non carere." Quare infra sic concludit: "Scrutemur," juxta

[1] 2. Machab. 6. [2] Mor. l. 22. c. 7. [3] Hieron. in ejus Vita.
[4] In Cant. Ser. 58. [5] Jud. 1. [6] Rom. 7.

Prophetam, "vias nostras"[1] et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum non invenerit quod reprehendat, sed cum, quod invenerit, reprehendet."[2] Porro id quod dicit vir sanctus, sopita vitia denuo excitari confirmat etiam his verbis B. Macarius: "Malitia dat operam ut lateat et secreto habitet in mente hominis, et ad certum tempus vitium desinit hominem perturbare, ut audeat is jurejurando affirmare in se ultra non excitari talem affectionem, et tamen paulo post uritur concupiscentiæ vitio, ita ut in eo perjurus inveniatur."[3] Et alibi ait, sæpenumero quosdam e fratribus repertos esse tanta gratia perfusos ut affirmare auderent quinque aut sex annorum spatio concupiscentiam exaruisse, et nihilominus vehementius incitatam eos tandem torsisse et accendisse. Quæ cum ita sint, planissime intelligimus neminem posse usque adeo subigere vitia sua omnesque pravas animi propensiones, perturbationesque ita corrigere atque sedare, ut examinis præsidio ac putatione non egeat.

Tertia interrogatio. Cur, cum tanta sit quotidiani examinis opportunitas, tantumque in eo præsidii ad omnem virtutis profectum, tamen tam pauci ex eo perfecti atque absoluti evadant.

Respondeo, id accidere si manentem in nobis fomitem et adversarias potestates excipiamus; quia examinis ratio à Patre nostro tradita non rite servatur, nec aliqua ex his capitibus satis ad actionem revocantur. Sex autem vitia in ea fere incidunt, ex quo fit ut tanto proposito præsidio minus proficiamus. Primum vitium oritur ex secundo examinis capite, quia delicta nostra eorumque fœditatem non satis videmus, nec ad ea pervidenda lumen petimus; neque enim vel tenuem labeculam ferre possemus, si cujusque peccati vim turpitudinemque perpenderemus. Nam si aspersum pulverem in veste non ferimus cum regis in conspectum veniendum est, quo pacto vel levissimam ferremus culpam ante oculos Dei,

[1] Thren. 3. [2] In Cant. Ser. 58. [3] Hom. 15.

si, quanti sit cum ea nos macula in ejus venire conspectum, liquido cerneremus? Perpendebat cujusque noxæ vim gravitatemque ea, quam supra nominavi, B. Catharina Genuensis, quæ sic affirmabat animam quæ tenuissimæ vim culpæ nosset, etiamsi amplissimam Deiparæ gloriam, qua inter Beatos omnes excellit, consequi posset, levi tamen notatam labecula, renunciaturam illico tantæ gloriæ quam labeculæ illius societas obscuraret. Imo non dubitat talem animam subituram potius omnes cruciatus, et quidquid excogitari possit acerbum, quam labe illa pertenui in conspectum Divinæ purissimæque majestatis esse venturam. Eademque dicebat, ne si sanguineas quidem lacrymas ea copia atque ubertate profunderet, quanta est oceani vastitas, et sempiterna satanæ tormenta toleraret, fore ut ne levissimæ quidem in Deum offensæ aliqua ex parte per se ipsa satisfaceret; tanta est cujusque, vel exigui, peccati fœditas in oculis Dei. Quæ quidem cum aciem nostram fugiant, idcirco ea non odimus, nec a nobis studemus tollere; negligimus quidem certe lumen a Deo postulasse ut, quam fœdi in oculis ejus simus aspicientes, fœditatem ipsam nostram propulsemus ac detestemur.

Secundum vitium oritur ex eodem capite atque membro, quia dum nostris viribus tacite perfidimus, divinam opem ad expellenda peccata negligimus implorare. Intelligendum est enim id negotium esse Dei et munus Divinæ gratiæ, ut supra diximus, propulsare peccata, tametsi noster etiam ad id labor, nostra quoque requiratur industria. Verumtamen, ut Cassianus confirmat: "Impossibile est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse."[1] Et S. Macarius id confirmat cum ait: "Adhærens nobis vitium extirpare ad solam Divinam potentiam pertinet."[2] Nos autem partim quando ita nobis persuademus, partim

[1] Coll. 5. c. 14. [2] Hom. 3.

quia rei necessitatem non satis cernimus, socordi quadam victi desidia, manus ad cœlum non tendimus pro liberatione peccatorum. Ita semper iidem sumus, semper cum iisdem vitiis ac passionibus vitam degimus.

Tertium vitium oritur ex tertio capite. Quia qui sua dicta, facta, cogitata debet expendere ac perscrutari, festinanter aut oscitanter id facit, et motu quodam impatientis animi percurrit potius ista, quam attente considerat; unde fit ut minimum ex tali discussione lucrum fructumque referat. Nasci autem festinatio oscitatioque ista solet tribus potissimum ex causis. Primo quidem ex alienis curis et occupationibus; nec enim qui se discutit cæteris curis omnibus se liberavit, nec vere atque ex animo se ipse collegit. Propterea hujus mens, quæ nondum curis hujus mundi soluta ac libera est, ut ait S. Diadocus, tribunal suum agnoscere non potest, ut apud se sine errore suffragia judicii exploret.[1] Est igitur omnibus modis utilis secessus mentis scilicet; tribunal autem suum vocat cujusque conscientiam. Et S. Dorotheus: "Sicut cum turbata," inquit, "est aqua propter aggerem demersum, nemo potest faciem suam videre, sic cum anima curis mundi obruta est, non sentimus quid nobis dicat conscientia." Gregorius quoque: "Ecce," inquit, "negotia occupant quæ nobis incessanter apposita, a considerandis nobismetipsis mentis nostræ oculum declinant. In istis namque visibilibus quæ intuetur, cor nostrum extra se spargitur, et quod de se intrinsecus agatur obliviscitur, dum extrinsecus occupatur."[2]

2°. Nascitur hæc discutiendi sui festinatio ex falsa quadam opinione, quam quis habet, non esse magnam admodum discutiendi materiam, et jam præterita vitia mortua esse vel victa. Quo quidem loco nosse oportet, quod paulo ante ex Macario ac Bernardo monuimus, vitia illa quidem cessare interdum ad tempus, sed præter expectationem postea redire, eademque sopita esse non

[1] De Perfect. c. 18. [2] Moral. l. 25. c. 7.

exstincta, suppressa non mortua. Ideoque abjicienda est hæc superati vitii opinio, tanquam noxia et negligentiæ parens. 3°. Nasci potest ex contemptu minimarum culparum, cum quis enim minora negligit in quibus se deliquisse non ignorat, operæ pretium non putat esse in se ipso scrutando nimium insudare. Exploratum quippe sibi esse persuadet se graviora quandoque non admisisse, ut ad ea pervestiganda ac deflenda multum sit temporis adhibendum. Percurrit igitur actiones suas quotidianas, nulla adhibita cura, nulla attentione animi, ideoque si quid minus bene gestum est, sine medicina ac remedio cæca mente pertransit. Quisquis autem talis est ut leviora contemnat, is sensim ad perfectam insensibilitatem decidit, ut ait S. Dorotheus: "Et eo examinis commodo (quo diximus teneriorem effici conscientiam) omnino se privat."[1] Imo meretur ut eum sinat Deus in ea labi peccata, quæ sola æstimat et gravia dicit, ut habeat tandem quod lugeat.

Quartum potest esse vitium in quarto et quinto capite; quia iterum lugenda committimus nullo negotio, nullaque animi custodia, et in eadem sæpe relabimur. Decernimus quotidie aliqua, cum nos ipsi lustramus, nostris quidem animis salutaria, sed postea facile decreta ipsi nostra frangimus ac violamus, ideoque nunquam meliores evadimus. "Plerumque," Gregorius inquit, "vitam nostram ipsi reprehendimus, sed tamen libenter agimus hoc quod in nobis recte reprobamus. Ad justitiam nos spiritus erigit, ad consuetudinem caro restringit. Amori suo mens renititur, sed protinus delectata captivatur."[2] Quæ quidem imbecillitas ex tribus causis ferme oritur. Primo, quia in discussione consucta nostra nequaquam satis, aut ex animo, male gesta deflevimus, neque acriter apud nos statuimus ea castigare atque corrigere; qualia autem nostra fuere decreta animique proposita, tales et eæ quæ consequuntur actiones. Et contra hoc dicitur. "Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius. Sic homo

[1] Ser. 3. de Consue. [2] Moral. l. 9. c. 62.

qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se, orationem illius quis exaudiet?"[1] Et Gregorius, in Eccl. 7, "Ne iteres verbum in oratione tua," inquit, "Quo dicto sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: Cum male gesta defleveris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas."[2] Vel secundo, quia ad actionem referre ea quæ cum animis nostris cogitavimus et nostris parere decretis, id magnam quandam sollicitudinem et perpetuam quasi vigilantiam curamque desiderat. Ut enim in collat. Patrum dicitur: "Ut quis valeat emundari, necesse est eum die noctuque in omni cura et sollicitudine permanere."[3] Hoc autem velut operosum ac difficile plerique fugiunt; nam, teste Seneca, torquet assidue observatio sui.[4] Contra hoc dicitur: "Indicabo tibi, O homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te; utique facere judicium (quod quidem in discussione suæ conscientiæ fit) et sollicitum ambulare cum Deo tuo;[5] quod per diem fit suis decretis pactisque custodiendis. Quod si ad humanam imbecillitatem desidiæ languor accedat, nulli erunt unquam nostri progressus. Ac si tam sæpe eadem perpetramus nec sollicite ea castigamus, periculum est ne ad ea castiganda tum, cum libuerit, Divina nobis gratia denegetur, aut certe minuatur; non enim patitur eam in nobis Deus inanem et otiosam esse. Quare minus auxilii iis, qui sæpe in eadem recidunt, dari solet; sic, cum filii Juda post peccatum, quo legem Domini dereliquerant, humiliati essent, dixit Deus: "Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii."[6] Nota, pauxillum, inquit, non multum, ut ante peccatum, quia frequens casus demeretur auxilii ac gratiæ copiam. Vel tertio, nasci potest imbecillitas relabendi ex eo quia vitiorum radices non funditus amputamus, ut sapienter animadvertit Basilius. "Qui quidem necesse est," inquit, "eum qui ab

[1] Eccl. 34. [2] Moral. l. 10. c. 15. [3] Coll. 5. c. 14.
[4] Lib. de Tranquil. c. 15. [5] Mich. 6. [6] 2. Paralip. 12.

illis repurgari desiderat, primas ipsorum causas extirpare. Si quis v. g. contentionem et invidiam resecare funditus velit, amputet ejus radicem, inanem gloriam, nam ex cupiditate inanis gloriæ oriuntur illa ; sic in cæteris faciendum."[1] Inanis autem gloriæ cupiditas sananda est humilitatis studio atque exercitatione, ut ex contrario admoveatur curatio. Exercitatio vero humilitatis in rebus scilicet vilibus, atque ita affectus iste cœnodoxiæ curatur. Ex quo fit ut non amplius aut invidia, aut contentio semel amputata repullulent.

Quintum vitium accidit etiam ex quinto capite, quia in statutis nostris decretisque faciendis, plura complectimur quam virium nostrarum imbecillitas ferat, multa decernimus, et nullis decretis obtemperamus. Cum multis vitiis bella suscipimus, et nullum expugnamus. Melius autem nobiscum ageretur, si pauca statueremus, et quæ statuta essent, fideliter sancteque servaremus. Adversus unum vitium, quo maxime laboramus, arriperemus principale certamen, et contra illud præcipue, cunctis momentis, cuncta spiritus arma commoveremus.[2] Id quod ex Cassiano jam monuimus, et Climacus his verbis docet: "Qui se uno quodam vitio amplius urgeri conspicit, is contra ipsum et solum ante omnia seipsum armet, et maxime si hostis intestinus sit."[3] Nisi enim iste profligatus fuerit, nihil nobis reliquos vicisse proderit. Et in Vitis Patrum dicitur, rogatus aliquando vir sanctus a fratre, Quid suis cogitationibus multis et permolestis faceret? respondisse: "Non repugnas contra omnes, sed contra unam dumtaxat; omnes enim monachorum cogitationes unum," inquit, "caput habent." Præstat igitur considerare, primum, qualis illa sit, et adversus eam reniti ac reluctari ut, ea abscissa, reliqua sua sponte concidant et evanescant.

Sextum vitium in examine ponitur ex eodem etiam oriri capite, ubi dicitur proponendam esse emendationem cum Dei gratia; multi enim deficiunt ab hac spe, animoque

[1] In Reg. brev. Q. 289. [2] Coll. 5. c. 14. [3] Grad. 13.

dejiciuntur, cum vitium aliquod expugnare, sæpius aggressi, non potuerunt. Hi ex adverso superioribus opponuntur, quos dicebamus suis viribus nimium tribuere. Ubi enim irritos sentiunt conatus suos, quos in profligandis vitiis adhibuerint, de victoria plane desperant; et quidem pulchrum esset suis diffidere viribus, si gratiæ tamen Divinæ confiderent. Nunc autem et hujus obliti in qua omnia possent, et suæ imbecillitatis admoniti, in se ipsis superandis animo sensim concidunt, et tanquam deditione facta, taciti inducunt in animum de pristino studio et contentione remittere. Ad hunc scopulum plurimi impingunt, ut suis casibus perterrefiant, cum suis nequeunt parere decretis.

Ideoque huic quoque morbo sua est admonenda curatio, ne irridendi nostri causam præbeamus hostibus nostris. Triplex autem omnino ea esse potest. Prima est, persuadere sibi initio necessarios esse, in hoc conflictu et palæstra spirituali, sæpe casus aliquos et vulnera, ut in ipsa corporum pugna fit; ex qua non idcirco strenuus miles excedit quia vulneratus est, non ignarus etiam vulneribus comparari victoriam, usuque venire in bellis prœliisque plagæ ut infligantur vicissim et accipiantur; atque idcirco non pavet generosus miles ad vulnus, sed ex vulnere magis irritatur in hostem, ut ejus tandem sit victoria felixque exitus belli. Hæc est curatio prima quam Sancti adhibent; ita Ephræm. "Si telo vulneratus sis, penitus animo ne concidas, ad mortem usque perferas, ne timeas ictum; ostende tuam in certando scientiam ac robur, ut refulgens gloriæ corona texatur tibi. Et si a latrone spoliatus sis, a cursu incepto cave desistas; in bello contingit ut et feriamus, et vulneremur. Etiamsi pruina tuum agrum læserit, iterum ac tertio illum fodito, impigreque illum excolito, et diligenter serito."[1] Et mox vult, ut ex ipso loco vulneris studeamus referre victoriam. "Ex conflictu," inquit, "ubi vulneratus es, victoriam referre

[1] Ser. 2. de Pœn.

stude, quomodo antea tuo thesauro spoliatus es, poteris rursus tibi eundem recuperare. Nam in loco ubi rex Achab fudit sanguinem justi Naboth, ibi canes linxerunt sanguinem impii Achab." Macarius eandem curationem admovet. Sic enim ille: "Necesse est anima semper malis cogitationibus vitiisque resistat, quamvis dejiciatur et cadat. Nam domesticum latronem cædis, et ab eo cæderis, sed eum tandem domo extrudis."[1] Sic anima resistendo incipit quotidie superior evadere, et successu temporis peccatum vincere, et hoc est quod dicitur.[2] Tamdiu peccatum evertit hominem quamdiu evaserit in virum perfectum; ubi enim quis perfectus evaserit, tum demum vincet mortem. Scriptum est enim, "Novissima autem inimica destruetur mors."[3] Eandem quoque Climacus adhibet, in Gradu de accurata pœnitentia: "Noli turbari si quotidie laberis, neque resilias; sed sta viriliter, prorsus enim reverebitur tolerantiam tuam custos Angelus tuus. Dum adhuc recens et in sanguine est vulnus, facile curari solet. Nam quæ dura et neglecta atque obducta vetustate sunt, difficillime sanantur ingentique labore, et ferro, et cauterio, et igni visibili, ut curari possint, indigent. Perpende interim optimum ad delenda peccata præsidium, ne sinantur inveterascere, sed adhuc recentia curentur et defleantur. Lege etiam Justinianum, qui monet eos qui relabuntur et cadunt, velociter surgant, desiderio proficiendi incalescant, et pugnandi animositate roborentur.[4]

Ad dejectionem autem animi fere solet adjungi tristitia, ex inopinato et novo casu; quam quidem solet inferre satanas ad impediendos retardandosque processus nostros. Ephræm supra: "Satanas subdole et fraudulenter multos mœrore conatur afficere." Et Climacus: "Quicumque lapsi sumus, ante omnia spiritui mœroris resistamus; ipse enim orationis tempore assistens, priorisque fiduciæ nos admonens, orationem nostram impedire nititur."[5] Ergo in

[1] Hom. 3. [2] Eph. 4. [3] 1 Cor. 15.
[4] Opusc. de Obed. [5] Grad. 5.

nostris lapsibus non tam mœrori tristitiæque, quam humilitati nos demus, illis enim nihil proficimus, imo illis sæpe dejicimur animo; et spe nostra, quæ Deo niti debet, hac roboramur, in spem auxilii cœlestis erigimur. Quare et B. Antonius, ut scribit Athanasius in ejus vita, nunquam recordatione peccati tristitia ora contraxit.

Altera vera hujus mali curatio est confirmare animum spe Divini præsidii, ut sæpe jam diximus, et id assiduis precibus implorare. Nam si hoc nobis adjungatur, jam sumus in bello pares, jam cum inimicis nostris ex æquo pugnamus. Recte enim Macarius: "Nemo dicat non possum resistere, et vitium homini plane dominari. Deum enim constituit injustum, quisquis ita dicit."[1] Mens enim parem habet pugnam adversus peccatum; certamen enim et luctа est inter æquales. Itaque anima, quæ summo studio imploravit Divinum auxilium, digna habebitur quæ liberationem ab hostibus et tentationibus mereatur. Quanquam Divina gratia comite non modo æquamur inimicis, sed etiam longe superiores evadimus. Deus quippe pro nobis pugnat, et minimum ejus gratiæ plus habet virium quam omnis exercitus adversarius.

Tertia restat curatio ad faciendos animos accommodata, et ad ponendum in nostris casibus delictisque mœrorem. Plus nobis, ad utilitatem et proventum spiritus, casus aliquos lapsusque prodesse, quam si nunquam omnino laberemur. In quam sententiam præclare, ut solet, Gregorius tum alibi, tum in his verbis affirmat humilitatis causa parva aliqua in nobis vitia, Deo permittente, relinqui; præsertim cum verba illa Job: "Obtenebrentur stellæ caligine ejus," moraliter interpretatur. Docet enim stellas eos esse "qui magnis quidem virtutibus splendent," sed caligine tamen obtenebrari nonnunquam, quia "adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinent, ut etiam magna vitæ claritate luceant, et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod idcirco agitur," inquit, "ut mens proficiens ad virtu-

[1] Hom. 3.

tem justitiæ suæ melius infirmitate roboretur." Quod ipsum eleganti Sacrarum Literarum typo confirmat. Nam "cum populo Israelitico divisa est terra promissionis, tribui Ephraim tributarius dicitur factus populus Chananæus, non interfectus. 'Habitavit,' scriptum est, 'Chananæus in medio Ephraim tributarius.'[1] Quid enim Chananæus, gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Quia, dum magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus. Sic et in libro Judicum scriptum est: 'Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem.'[2] Israël," Gregorius inquit, "reservatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, et in parvis sibi resistentibus discit quod ex se majora non subigit."[3] Quod quidem humilitatis lucrum quanti tandem æstimatur, ut nec abjicere animos, si quid in vita delinquimus, jure debeamus; nec perturbari mœrore nam, si minus una ex parte proficimus, proficimus certe et augemur ex altera, et per eam quam hinc discimus humilitatem, ad perfectam virtutem humilitatemque conscendimus.

Hæc igitur et similia in nostris lapsibus cogitanda, ne aut mœrore afficiamur, aut animis concidamus. Sed de his, deque toto Examine satis, ad laudem et gloriam nominis Dei in secula seculorum. Amen.

[1] Josue 16. [2] Jud. 2. [3] Moral. l. 4. c. 24.

OPUSCULUM UNDECIMUM.

IN REGULAM 28. DE CASTITATE.

"QUÆ ad votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent." Sumpta est hæc regula ex Par. 6. c. 1. § 1. Quatuor in ea nobis noster Pater videtur innuere.

Primum enim, perfectionem quandam castitatis exigit in universum, dum constare jam dicit: "Quam ea sit perfecte servanda." Deinde statuit terminos perfectæ absolutæque castitatis, ad quam niti nos jubet: "Nempe ut puritatem, quoad ejus fieri potest, angelicam imitemur. Postea difficultatem indicat absolutæ castitatis, dum conatus et nisus admonet adhibendos; nisus enim et conatus rei difficultatem ostendunt, nec nisi ad ardua plerumque nitimur. Postremo tacite etiam suadet vias quasdam ad castitatem quam exigit indagandas, dum enitendum esse dicit. Qui enim nituntur aliquo, vias scilicet, quibus illuc facile perveniant, investigant.

Quæ omnia cum noster Pater hac regula complectatur, sapienter initio monet quæ ad castitatis votum pertinent, ea interpretatione non indigere. Pluribus enim ad commendationem castitatis minime utendum censuit, sed satis ei fuit, licet ad particularia quædam monita non descenderit, quatuor illa dumtaxat innuere; multa quippe, sine verecundia ac pudore, admoneri singillatim non poterant.

§ 1.—PURITAS PERFECTE EST SERVANDA.

"Ordiamur igitur a primo; si prius tamen, quid sit castitas, et de qua castitate noster Pater intelligat (multiplex enim ejus genus est), ostendamus. Est autem

castitas, ut placet Augustino, virtus quædam libidinis impetum sub rationis jugo refrenans. A castigando ductum nomen, ut D. Thomæ placet, quod concupiscentia per rationem castigetur, eaque in animo, ut in subjecto ; in corpore autem, ut in materia, versatur ; nempe cum, secundum rationis judicium, moderate utitur exterioribus membris.

Tria porro a theologis castitatis genera distinguuntur : unum conjugum, qualis Susannæ castitas fuit ; alterum viduarum, qualis Annæ Prophetissæ ; tertium virginum, qualis B. Mariæ. Bonum Susannæ, ut ait Augustinus, in conjugali castitate laudamus ; sed tamen ei, bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ Virginis, anteponimus. Intelligit igitur noster Pater, vel de castitate virginum, vel de ea quæ, aliquo modo in præterito violata, in futurum vovetur et consecratur Deo.

Castitas virginalis ab eodem Augustino dicitur esse continentia, qua carnis integritas ipsi Creatori animæ et corporis vovetur, consecratur, servatur. Duo autem in virginitate sunt : alterum integritas carnis ; alterum propositum, voto firmatum, servandæ castitatis. Hoc ad mentem, illud ad corpus pertinet. Illa semel amissa, ne per potentiam quidem Dei, recuperari potest. Sic enim Hieronymus ad Eustochium : "Audacter," inquit, "loquar, cum omnia possit Deus suscitare, non potest virginem post ruinam." Virginitas vero mentis recuperari per pœnitentiam actumque interiorem potest, quia solo etiam interiori actu deperditur. Amittitur etiam sola voluntate carnis integritas ; nam, si per vim aut etiam per somnum auferatur, perfectæ castitatis meritum non amittitur ; quia pudicitia virtus animi est, cumque animi bonum sit, etiam oppresso per vim corpore, ipsa integra manet. Quare Augustinus : "Nec de sancto," inquit, "corpore perit castitas, quia eo sancte utendi perseverat voluntas, et quantum in ipso est etiam facultas."[1] Et infra : "Admo-

[1] De Civit. Dei l. 1. c. 18.

neamur," inquit, "non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso; sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto." Ex quo postea efficit sanctus Doctor, matronas quasdam Christianas, quæ in captivitate barbarorum per vim compressæ fuerant, virginitatem tamen castitatemve non amisisse. Corporis sanctitas, quæ violenter auferri potest, sanctitate animi integra permanente, proprie virginitas ab eodem Augustino appellatur; sanctitas vero animi, pudicitia. Sic enim ille distinguit: "Ut quid," inquit, "pudicitiam et virginitatem quasi ejusdem generis jungis? Pudicitia est res animi, virginitas corporis. Denique, illa integra in animo permanente, potest de corpore violenter auferri; aut cum ista manet integra corpori, potest illa in animo lasciviæ voluptate corrumpi."[1] Hæc ille. Quanquam pudicitia appellari solet ea, ut theologi docent, quæ est circa signa venerea vel exteriora, sicut castitas circa ipsa venerea; sed sæpe altera pro altera usurpatur. Verumtamen a pudico animo, in quo pudicitiam collocant, exteriores sensus atque membra pudica dicuntur. Unde illud in ejus Regula. Nec dicatis vos animos habere pudicos, cum oculos habeatis impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.

Sed videamus jam cur constare dicat Pater Ignatius: "Quam perfecte sit castitas observanda;" cujus quidem dicti triplex potest afferri ratio. Prima est propter spiritale conjugium, quod inter nos et Deum, cui castitatem vovimus, intercedit. Ex quo enim exivimus de cognatione nostra, et de domo patris nostri, et in domum Dei venimus, domicilium, inquam, Religionis, effecta est anima nostra sponsa quodammodo Dei; ita ut cum Agnete possit dicere: Posuit signum in faciam meam, ut nullum præter eum amatorem admittat. Ideo Sanctus Augustinus ait: "Quæ virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non esse, Dei enim sponsæ fiunt."[2] Cum sit igitur anima nostra

[1] Lib. 4. contra Julian. [2] Hom. 9. in Joan.

sponsa Christi, constat profecto quanta fides servanda sit sponso, et quam jure illud Agnetis usurpandum ei sit: Ipsi sum desponsata, ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. Quod si ii, qui fidem suam hominibus in matrimonio obligant, cum eam postea violent, adulterii notam sæpe etiam pœnam incurrunt; quanto magis nos, qui animas nostras sponsas Dei esse volumus, necesse est omni studio fidem ei semel datam præstare, ne abominabiles deprehendamur adulteri, meritisque ab eo pœnis suppliciisque mactemur. Ephræm de vera et perfecta Renuntiatione: "Quemadmodum," inquit, "virgo vere desponsata, si corrumpatur ab aliis, execrabilis efficitur marito; ita et anima sordidis cogitationibus distracta, et pactis atque conditionibus obligata, abominabilis redditur cœlesti sponso suo, Christo." In eandem sententiam dicit Bernardus. "Zelotypus est sponsus iste, si forte alium amatorem receperis, si aliis magis placere studueris, statim discedit a te, et aliis adhærebit adolescentulis. Delicatus est sponsus iste, nobilis et dives est, speciosus forma præ filiis hominum, et ideo nonnisi speciosam dignatur habere sponsam. Si viderit in te maculam sive rugam, statim avertit oculos, nullam enim immunditiam potest sustinere. Esto ergo casta, esto verecunda."[1] Idcirco Augustinus virginem sic hortatur: "Cogitet sine intermissione ad cujus ordinatur thalamum, ad cujus præparatur amplexum," et mox: "indignum judicet quod Christi est, tradere satanæ, et virginea ejus membra erubescat vel simplici motu maculari."[2] Constat igitur ratione conjugii spiritualis, quam perfecte colenda sit castitas.

Altera vero ratio est propter cultum et famulatum Dei, cui nos addiximus; idque tum ex parte Dei, tum ex parte nostra. Ex parte quidem Dei, quia constat Deum puris integrisque et mentibus et corporibus esse colendum, cum sit ipse purissimus, et præ illo ne splen-

[1] De Scala Claustral. [2] Ad Sororem c. 22.

didissima quidem cœli astra satis sint munda. Vult igitur a puris in terra mentibus, sicut ab angelis in cœlo, coli, qui sunt ab omni corporis concretione sejuncti, ut ait Hieronymus ad Eustochium, cujus illa sunt verba: "Alia fuit in veteri lege felicitas, in qua beatus dicitur qui habet semen in Sion. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi legem instituit, ut qui ab angelis adorabatur in cœlis, haberet angelos et in terris. Sicut autem qui habitant in aula regia, sæpeque veniunt in conspectum regis, magis student nitori corporis et elegantiæ, quam cæteri qui raro vident regios vultus; ita ut qui in Religione tamquam in domo Dei, in ejusque atriis assidue versantur, studeant præ cæteris necesse est mentis corporisque candori. Id quod etiam barbaros legimus agnovisse, ut de sacerdotibus Ægyptiis ex Cheræmone Stoico Hieronymus refert: qui nunquam se mulieribus permiscuisse, nunquam cognatos et propinquos, ac ne liberos quidem, ex quo cœpissent divino cultui deservire, aspexisse dicuntur. Ex parte vero nostra, qui servi famulique sumus, ideo necessaria est omnis in tuenda castitate perfectio. Quia sic paratiores sumus ad Divinæ gratiæ recipiendos influxus, nam sicut in animam coinquinatam non introibit sapientia, sic in animam puram atque mundam omnis sapientiæ thesaurus, tamquam in vas purissimum, infundetur. Et ut speculum, quo lucidius et nitidius est, eo magis exprimit ac reddit hominum vultus formasque omnes, quæ e regione collocatæ sunt; ita et mens nostra, quo nitidior puriorque fuerit castitate colenda, eo facilius ac melius Dei notitias omnesque ejus influxus admittit, sicut contra Gregorius ait: "Quando mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus utique visus obtunditur ut spiritualia bona ignorare mereatur. Ideo servi Dei, qui religiosæ disciplinæ se tradunt, non ignari quam necessaria sit in divino famulatu perfecta mentis corporisque mundities, sponsione voti se obligant ut castimoniam perpetuo colant.

Tertia ratio est, quia castitas præstantissima virtus est et nobilissima, ergo nisi perfecte colatur, minimum quodque vitium in ea valde eminet ; nam quo laudabilior est virtus, eo magis quod eam deformat atque inquinat, vitium. Idcirco nihil impudicitia ac libidine fœdius, quia nihil speciosius castitate; ita ut vel ex ipso vitio admodum laudabilis ostendatur hujus natura virtutis. Ut enim philosophatur Augustinus : "Cujus recte vituperatur vitium, procul dubio natura laudatur ; recta siquidem vitii vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis. Sicut ergo vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet visus, quo nihil in animante pulchrius."[1] Sic ex ipso vitio castitatis, libidine inquam quæ opponitur castitati, satis arguitur, quam nobilis præstansque sit castitas, ac proinde quam studiose perfecteque servanda. Libido autem ipsa quam sit fœda ac dedecorosa præ cæteris affectibus, ex eo docet Augustinus quod libidinis opera et membra abscondimus propter pudorem, cæterorum autem affectuum non item ; "Magisque fert homo spectantium multitudinem," ut idem ait, "quando injuste irascitur homini, quam vel unius aspectum, quando juste miscetur uxori. Sed unde tantus pudor ac verecundia? Nempe quia animus, superior corpore, corpori ipsi dominari non potest in cohibenda libidine ; in cæteris autem affectionibus, ut in ira, amore, et cæteris hujusmodi potest ; idcirco minus animus erubescit, quia secum ipse certat, et a se ipso vincitur, non ab inferiori. Sic enim idem Augustinus : "Pudet animum," inquit, "resisti sibi a corpore, quod ei natura inferiore subjectum est. In aliis quippe affectionibus cum sibi resistit, ideo minus pudet, quia cum a se ipso vincitur, ipse se vincit ; etsi inordinate atque vitiose, quia ex his partibus, quæ rationi subjici debent, tamen a partibus suis, ut dictum est, a seipso vincitur." Et mox : "Minus tamen pudet, cum sibi animus ex vitiosis suis partibus

[1] De Civit. Dei l. 12. c. 1. [2] Ibid. l. 14. cap. 19.

non obtemperat, quam cum ei corpus, quod alterum ab illo atque infra illum est, et cujus sine illo natura non vivit, volenti jubentique non cedit."[1] Nimirum sic se res habet, ut cum domini filius a fratre, vel a servo vincitur; minus enim dedecus est a fratre, quam a famulo vinci, quia frater est æqualis, et fere alter ipse, servus autem inferior, et sibi subjectus. Ex quibus satis intelligi potest, quam fœdum et probrosum sit libidinis vitium, quod tam speciosæ virtuti, castitati inquam, opponitur; ut vel hoc ipso magnopere expetenda sit castitas, omnique studio colenda, ut longe absimus a tanta turpitudine vitii. Verissimum est ergo quod diximus, vel ex ipsa vitii deformitate satis declarari quantum sit castitatis decus. Plura autem de ejus splendore disserere non est hujus loci; veniamus igitur ad id quod secundo loco propositum est.

§ 2.—ANGELICA PURITAS EST IMITANDA.

Deinde constituit noster Pater terminos Castitatis, quo niti atque aspirare nos jubet, dum dicit: "Enitendo angelicam puritatem imitari. Summum videlicet gradum et perfectissimum castitatis attigit. Sunt enim alii aliis magis minusque perfecti, varieque a S. Patribus distinguuntur, nemo tamen, mea sententia, melius perfectissimum expressit gradum quam duobus hisce verbis P. Ignatius. Quidquid pluribus ab aliis dictum est, summa is brevitate perstrinxit, dum in præcipienda castitatis perfectione puritatem Angelorum proponit ad imitandum. Ostendamus igitur prius, quibus gradibus ad perfectam castitatem S. Patres ascendant; deinde cur P. Ignatius, dum ad hujus perfectionem cohortatur, angelicam puritatem proponit ad imitandum.

Cassianus in suis Collationibus, ex Chæremonis sancto-

[1] Ibid. c. 23.

rumque Patrum sententia, sex distinguit gradus, quibus sensim castitatis perfectio quotidianis profectibus adolescit. Primus est, ne quis impugnatione carnis vigilans elidatur. Secundus, ne mens illius voluntariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne femineo vel tenuiter ad concupiscentiam moveatur aspectu. Quartus, ne vigilans vel simplicem carnis preferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio, vel necessitas lectionis ingesserit, subtilissimus mentem voluptariæ actionis perstringat assensus; sed de ejus recordatione nihil amplius concipiat, quam si operationem laterum mente pertractet. Sextus, ne illecebrosis phantasmatibus feminarum vel dormiens illudatur; licet enim hæc ludificatio peccato non credatur obnoxia, concupiscentiæ tamen adhuc medullitus latitantis indicium est. Hæc ex Abbate Chæremone antiquisque Patribus Cassianus, ex quibus intelligi licet eum, qui postremum gradum attigit, angelorum puritatem imitari; qui est a Patre nostro Ignatio perfectæ castitatis terminus constitutus. Climacus autem tres constituit castitatis gradus: Initium, medium, finem. Initium ait esse cogitationibus sordidis non acquiescere, et per intervalla temporum nocturni seminis redundantia, absque ulla imaginis illusione, respergi; medium vero naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus inquietari, modo ad fluxum motus illi non perveniant; finem autem mortificare corpus cogitationibus sordidis jam antea mortuum, felicemque vere esse qui, ad omnem colorem corporis aspectumque perfecte insensibilis, sit perfectus. Hæc ex Climaco. Sed huc quoque perpauci veniunt, quo forsitan Serenus Abbas pervenit, ut de eo scribitur: "Hoc est ut eo usque mens nostra castitatis puritate formetur, ut etiam naturali motu carnis emortuo, obscœnum illum liquorem omnino non proferat."[1]

Bonaventura de Processu religionis, tres etiam statuit

[1] Coll. 12. c. 7.

gradus religiosæ castitatis. Prima est continentia ab actu carnali, cum proposito continendi negandique consensum quibusvis pravis motibus. Hunc, ait, infimum esse gradum, et adhuc in labore pugnæ versari, atque in incerto victoriæ; solam quippe voluntatem, Divina tamen gratia comite, quatuor hisce cum hostibus decertare; carnis pruritu, affectionis appetitu, libidinis irritamentis, dæmonum suggestione; ita quatuor esse contra duos. Secundus gradus apud eundem est, cum per corporis macerationem aliaque pia studia, et affectus ipse purgatur, et caro spiritui ita subjicitur, ut jam mitius rariusque tentetur. In hoc gradu, aut nulla jam lucta est, aut admodum levis; facili enim negotio libidinis commotio sedatur, et imperando, magis quam reluctando, nisi forte propter negligentiam atque desidiam caro ipsa interdum gravius impugnare et vires sumere permittatur, ut per quæ quis peccaverit, per eadem puniatur. Hoc tamen loco, B. Doctor observat morem esse dæmonis, cum semel strenue fortiterque victus est, cedere interdum ad tempus, et ab oppugnatione desistere, dum certandi usum repugnandique dediscamus; eo sane consilio, ut mox de improviso nos adortus, tanto certius nec opinantes sternat, quanto imparatiores nos magisque inermes offenderit. Ut inter homines venit usu, cum hostis in hostem irruit magisque tum sævit, cum alter, positis armis, abjectoque ferro, securus atque oscitans conquievit. Cujus rei figuram cernimus Primo Machabæorum Libro, ubi die Sabbato, nempe in otio ac quiete, bellum Judæ intulit hostis, plurimosque ex Hebræa gente necavit. Ad hunc igitur gradum quantumvis aliquis ita pervenerit, ut nulla jam lucta superesse videatur, semper tamen debet esse paratus ad pugnam, ne securitas eum sternat. Tertius est gradus ita edomitos atque compressos habere libidinis motus, ut vix rarissime et tenuissime sentiantur; talemque ex affectu induisse castitatis amorem, ut horreat quis ac detestetur, etiam ad nauseam, omnes carnis motus, imo nec audire queat sermones

ullos de operibus carnis, sine horrore animi atque tormento. Quod si ad aliorum utilitatem, disputationis gratia, audire tale quidpiam vel loqui necesse sit, perinde se habeat ad hos sermones cogitationesque, ac si de luto vel lapidibus ageretur; ac ne in somnis quidem fœda ulla deludatur imagine, sed sine ullo sensu libidinis egeratur humor non sentienti redundans. Sed ad hanc castitatis perfectionem quippe angelicam, ut nemo sine præcipua Dei gratia conscendit; ita nec in ea se continere jugiter posse negat D. Bonaventura, ait enim: "Supra naturæ vires esse, in carne vivere, et carnis vitia non sentire." Hic est igitur, Patrum sententia, perfectæ castitatis apex; quod aliud profecto non est nisi angelorum more vivere, id quod a Patre Ignatio dictum cernimus. Quod enim illi pluribus, ut dixi, verbis significare voluerunt, hic uno perstrinxit.

Sed cur, in præcipienda potissimum castitatis perfectione, angelos imitari nos jubet; in aliis vere votis perfecte solvendis, quod commode fieri poterat, non ex angelis, sed aliunde similitudinem duxit? Potuit enim in obedientiæ perfectione declaranda, quam commendatam nobis esse volebat, angelorum ita obedientiam nobis proponere ad imitandum, qui semper ad omnem Dei nutum expeditissimi sunt, facientes verbum illius. Iidemque angeli, id est nuntii, dicuntur, instructique finguntur alarum præsidio, ad capessenda celeriter atque exequenda Divina mandata. Maluit tamen noster Pater, dum ad perfectam cohortatur obedientiam, nunc cadaveris similitudinem afferre, quod quoquoversus ferri ac tractari se sinit; nunc senilis baculi, qui a sene ubicumque, et quacumque in re collibitum fuerit, adhibetur. In præcipienda vero castitatis absolutione angelorum puritatem ad imitandum proponit. Quid ita? nempe quia in castitatis perfectione tradenda non satis commode poterat, ut initio significatum est, ad singularia quædam præcepta nec satis verecunde descendere, quemadmodum in enucleandis tum paupertatis, tum obedientiæ præceptis;

ideoque maluit id universe præcipere, castitatis dumtaxat summam, quo nostri niti debent, attingens. Non potuit autem melius id universe præcipere, nec vero planius, quam si, brevi quadam comparatione ex angelorum puritate ducta, quidquid a S. Patribus enucleatius fuerat de perfecta castitate præceptum comprehenderet.

Porro in castitatis voto, potius comparationem perfectionis ex angelis sumere, quam aliunde maluit ; quia, inter cæteras eorum virtutesque divinas, iis maxime puritas adscribi solet. "In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo."[1] Lucas dicit : "Æquales angelis sunt."[2] Et respondens Achis, "locutus est ad David : Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei."[3] "Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur."[4]

Cur autem puritatis perfectio angelis adscribatur, purique vulgo nominentur, triplex potest esse causa, aut etiam quadruplex. Prima est quia sunt ab omni materiæ concretione sejuncti, et cum corporibus nihil habent, ut humanæ mentes, quorum contagione ac permixtione fœdentur, sed hæc causa non est talis cur S. Angelis puritatis perfectio tribuatur. Est enim iis, cum malis angelis dæmonibusque, communis, qui et ipsi quoque substantiæ quædam abstractæ sunt, et ab omni corporis concretione sejunctæ, et tamen immundi spiritus nominantur. "Cum immundus spiritus exierit ab homine,"[5] et, "Dedit illis potestatem spirituum immundorum,"[6] et, "In potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei."[7] Sunt igitur aliæ tres S. Angelorum maxime propriæ, quæque in malos angelos omnino non cadunt.

Secunda causa est quia per amoris affectum S. Angeli conjunctissimi Deo sunt, nec alium amatorem agnoscunt, præter Deum, cujus faciem semper intuentur.

[1] Matth. 22. [2] Luc. 20. [3] 1. Reg. 29. [4] 2. Reg. 14.
[5] Luc. 11. [6] Matth. 10. [7] Mar. 1.

Quemadmodum autem sponsa tum casta dicitur, cum suum dumtaxat sponsum adamat, nec alium amatorem agnoscit, aut ad aliam faciem convertit aspectum; ita mentes illæ, quæ amorem suum in Deo tantum collocant, purissimæ nominantur, ut illud testatur Agnetis: "Quem cum amavero, casta sum; cum eum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum." Contra vero, quæ in rebus creatis amorem suum collocant, habentur impuræ. Hic enim castitatis est finis, continere se ab amore affectuque creaturarum, hoc est hominum; qui quidem affectus impurus est, corpusque sæpe corrumpit et solvit in actus impuros, quæ est labes ultima castitatis. Mali autem angeli, quia apostatarunt a Deo, et in se ipsi converterunt amorem quem Dei debebant, idcirco dicuntur immundi, ut modo dicebamus; quanquam et propter immunditiam elationis atque superbiæ, quæ in eis maxime est, tales vocantur, quia immundus est apud Deum omnis superbus, ut enim immundis inflatur per libidinem caro, ita superbis per elationem animus, ideoque utrique apud Deum immundi.

Tertia causa, quia S. Angeli ex consortio Divini conspectus, a quo nunquam recedunt, et ex decore Divinæ gratiæ, pulcherrimi gratiarumque pleni sunt. Ideo cum quempiam pulchritudine ac forma præstantem laudare volumus, angelo comparamus. Sic Esther ad regem: "Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum."[1] Et de B. Stephano: "Intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli,"[2] id est pulcherrimam. Porro pulchritudo beati spiritus in puritate consistit, quæ si absit, jam non pulcher sed deformis efficitur. Ut autem in sanctis angelis, ex ubertate Divinæ gratiæ in qua confirmati sunt, et novæ beatitudinis qua postea sunt aucti, ingens orta est

[1] Esther 15. [2] Act. 6.

pulchritudo; ita in malis angelis, quia exciderunt a gratia, et a Divino conspectu ad inferos sunt relegati, ingens extitit turpitudo, tantaque deformitas ut merito nominentur immundi.

Quarta causa, quia S. Angeli sunt puritatis et castitatis nostræ peramantes, ut ejus etiam se custodes defensoresque profiteantur. Ideo Judith: "Vivit," inquit, "Dominus quoniam custodivit me Angelus ejus, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me."[1] Et B. Agnes ad Symphorianum Præfectum: "Si virginitatem," inquit, "meam in discrimen adduxeris, mecum habeo custodem corporis mei, Angelum Domini, qui me inviolatam servabit." B. etiam Paulus jubet velari feminarum caput propter angelos, nimirum quia honestatis et puritatis amantes.[2] Contra vero, quod sint mali angeli ac dæmones omnis impuritatis omnisque obscœnitatis amici, planum id fieri potest ex Augustino, in Levit. ubi ait: "Diabolum maxime gaudere luxuriæ crimine." Et dicit malignos spiritus ad flagitia incitare homines, cum, in committendis olim sceleribus, quasi divinam sui exempli auctoritatem interponerent, jubentes sibi ludos scenicos dicari sacrarique, ubi deorum tanta flagitia theatricis canticis atque fabularum actionibus celebrantur, ut quisquis illos libentissime sibi talia velle exhibere cerneret, securus imitaretur.[3] Ut de ludis Floræ Deæ, qui a meretricibus turpissimis celebrabantur, scribit Lactanctius.[4] Quæ sacra adeo execranda sibi fieri impurissimi dæmones flagitabant, ac nisi fierent irascebantur, ut jam non quæras amplius cur nominentur immundi, nec mireris cur a Christo petant: "Si ejici nos ex homine, mitte nos in gregem porcorum;"[5] porcorum cœno lutoque delectati. Etiam Climacus negat ullo vitio ita dæmones gaudere, ut inquinatione corporis nostri.[6] Ac denique, ad eorum impuritatem redarguendam exempla

[1] Judith 13. [2] 1. Cor. 11. [3] De Civit. Dei l. 2. cc. 25. 26. [4] L. 1. [5] Matt. 8. [6] Grad. 19.

non desunt; ut in Greg. Nazianz. de dæmone quo Cyprianus, ante baptismum, ad solicitandam despiciendamque Justinam virginem familiariter utebatur.[1] Qui quidem dæmonem scribit esse corporeum ac voluptatum amantem, ideoque pro lenone Cypriano famulari solitum. Reddit autem rationem Sanctus Thomas cur malus dæmon, cum sit expers corporis, contaminatione nostri corporis delectatur; quia dæmon, inquit, intelligit hoc peccatum maxime adhærere humanæ naturæ, difficileque ab eo quempiam liberari posse, cum insatiabilis sit rerum delectabilis appetitus, ut dicitur.[2] His igitur tribus de causis proximis, quæ nullo modo, cum malis angelis, bonis spiritibus sunt communes, sanctis angelis adscribitur puritas; meritoque ab Ignatio nostro perfectæ castitatis idea ex illorum potissimum comparatione petita est. Ex his autem colligere licet, quo quis est in castitate tuenda vigilantior, eo propius ad sanctos angelos beatasque illas mentes eum accedere; quo vero negligentior, eo congruere cum dæmonibus magis.

Jam vero quos B. Ignatius fines et quasi terminos religiosæ castitati constituerit satis ostensum est. Nunc quod tertio loco propositum erat: Quam difficilis, quamque ardua sit castitatis laus, pluribus ostendamus.

§ 3.—ANGELICA PURITAS EST DIFFICILIS.

Enitendum autem cum dicat noster Pater ad angelicam puritatem, non obscure significat quanta hæc castitas difficultate paretur, quantis cum laboribus custodiatur. Difficilis est autem castitatis pugna tribus de causis. Primum, ratione imbecillitatis humanæ. Secundo, quia universalis, fereque neminem excipit. Tertio, quia castitas multis patet insidiis, doloque circumvenitur.

[1] Orat. 18. de Dæmone. [2] Comment. in Ethic. l. 3.

DIFFICULTAS EX HUMANA IMBECILLITATE.

Imbecillitas humana in tribus item cernitur rebus. Primum in ipsa hominis natura, ut ei cum multis animantibus est communis, quæ sua sponte ad procreandi voluptatem toto impetu fertur.

Et quidem S. Diadocus, cum de perfectis jam viris loqueretur, quorum etiam corpora his interdum facibus inflammantur, ejus rei causam in naturam primum retulit: "Quia hæc," inquit, "voluptas propria est naturæ, utpote ad generandum insita, quamobrem facile corpus superatur;" et quidem tanta est hæc voluptas, ut, juxta Augustinum: "In corporis voluptatibus nulla sit major."[1] Et B. Hieronymus ad Furiam: "Grandis virtutis est et sollicitæ diligentiæ, superare quod nata sis; in carne, non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, et inclusum hostem Argi (ut fabulæ ferunt,) centum oculis observare." Atque hanc quidem tantam naturæ voluptatem auctor ipse naturæ, Deus, ei inservit; ut et hic Hieronymus dicit, et confirmat Basilius, propter necessitatem propagandæ prolis, ne in tam necessario opere cessatio ulla contingeret.[2] Quocirca, etiam ante primi hominis lapsum naturamque corruptam, fuisset hic procreationis appetitus, excepto tamen ardore immoderatæ libidinis, et cupiditatis deformitate; licet Augustinus sentire videatur, non fuisse primos homines per hanc libidinem, qua nos, gignituros.[3] Sed theologi plerique dissentiunt. Quodsi tantam vim tum habebat hic, quam diximus, appetitus, quia naturalis; quantum nunc habeat necesse est post acceptum vulnus originalis culpæ, cum usque quaque hominis est infecta et depravata natura? Quare ex ipsa corporis natura tam infirma, tamque ad voluptatem sua sponte propensa, licet intelligere quanta sit hominis imbecillitas ad resistendum, quamque ardua castitatis pugna, cum intestinus et inclusus

[1] De Civit. Dei l. 14. c. 16. [2] Lib. de vera virgin.
[3] De Civit. Dei l. 14. c. 24.

sit nobis hic hostis, ut ait Hieronymus ad Eustochium, et quocunque pergimus portemus inimicum. Hæc naturæ proclivitas ad libidinem carnis infirmitas dici solet, a B. autem Diadoco facilitas corporis appellatur, quia facile ad hanc voluptatem labitur.

Secundo, cernitur hæc eadem hominis imbecillitas in infirmitate sensuum externorum, qui omnes admodum lubrici sunt et proclives ad lapsum, omnes hinc carnis infirmitati lenocinantur et serviunt. Oculi enim uni quam lubrici sunt, "Oculus meus," propheta inquit, "deprædatus est animam meam."[1] Ferturque sibi oculos eruisse Democritus, quod sine sensu motuque libidinis feminas intueri non posset, ut Tertullianus scribit. Et B. Antonius, cum Didymum accusaret quod cæcitatem doleret suam, satius esse dixit illos oculos possidere, in quos peccati festuca non posset incidere, quam illos, qui solo cupiditatis aspectu possent homines in gehennam præcipites agere. Ideo Petrus Abbas Claravallensis, cum ex morbo alterum oculum amisisset, joco dictitabat unum se de inimicis evasisse, et plus se a reliquo, quam a perdito formidare. Quod idem dicitur, altero item captus oculo, dixisse Jordanus, is qui, alter a B. Dominico, Generalis magister sui ordinis fuit. Quid de tactu dicam, quam item lubricus proclivisque est ad excitandam commovendamque libidinem! Unus Summus Leo satis locuples testis est, qui ex muliebri osculo libidinis non ferens ardorem, manum, quam osculata est mulier, amputare sibi non dubitavit! Quæ causa fuit, ut sanctissimi viri, ne cum quidem animam agerent, ut paulo infra dicemus, a feminis se attrectari permiserint; ita exardescit ex solo tactu libido. Recte enim Climacus: "Fit," inquit, "interdum ut ex solo tactu corpus inquinatur;" nihil quippe sensu isto gravius, nihil periculosius. Admoneat te is, qui matris manui pallium circumdedit, atque ab his, quæ vel naturalia, vel præter naturam sunt proprio atque alieno corpore, comprime

[1] Thren. 3.

manum. Ut sapienter videatur cautum voluisse lex nostra: ne quis alterum vel joco tangat. Omitto dicere de reliquis sensibus, ne longum faciam, qui materiam plurimum noxiis ardoribus subministrant; ut enim apud Climacum aiunt quidam, ex venustissimo aspectu, vel tactu manuum, vel olfaciendi suavitate, vel suavissimæ vocis auditu, cogitationibus nequitiæ aditus ad cor patet. Quod si ad infirmitatem carnis, proclivitatemque naturæ accedat proclivitas sensuum, quanta denique futura sunt prœlia castitatis!

Tertio. Sed cernitur etiam hæc hominis imbecillitas in infirmitate mentis, quæ impotens est et imbecilla ad resistendum vehementissimæ voluptati; tum quia pulsu phantasmatum ac simulacrorum, quæ sensibus figurantur, facillime mens ipsa excitatur, ut cum voluptate sibi umbram libidinis representat; tum quia lubricus et præceps est ejus assensus, ut cohiberi vix possit, simul ac viso aliquo jucundo ac voluptario commoveatur, momento enim voluntas flectitur et cum voluptate conspirat, in qua peccandi tota vis est. Ita minimus ejus assensus, qui subito fit, satis est ad maculandam animam. Atque in hanc sententiam sic Augustinus: "Hæc autem," inquit, "scilicet libido, non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas sequatur, qua major in corporis voluptatibus nulla est; ita ut momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pæne omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruatur."[1] Cujus etiam impotentiam humanæ mentis ad resistendum recolens B. Gregorius: "Quis ita," inquit, "refrenare cogitationem potuit, ut ad eam immunditiarum obscuritas per cogitationem nulla perveniret?"[2] Ut autem ad resistendum, sic ad resurgendum, cum huic voluptati succumbit, infirmissima mens ipsa est, imo multo infirmior.

[1] De Civit. Dei l. 14. c. 16.

[2] In 1 Reg. l. 6. c. 1.

Quia cum quis semel per libidinem peccat, perinde afficitur ac si peccandi in eo genere habitum contraxisset, habitus autem difficile tollitur. Ratio porro cum ita afficiatur, ea est partim quia in hoc libidinis vitio fomitem habemus ab originis peccato, qui est instar habitus; partim quia unus actus hujus peccati fortius imprimit sui vestigium, et intensior est quam viginti actus alterius peccati. Ut enim ait Aristoteles: "In his quisque intentius agit, in quibus magis delectatur;" sed in corporis voluptatibus nulla est hac delectatione major, ut ex Augustino diximus. Relinquitur ergo, ut qui semel in hoc vitium lapsus est, licet se diu multumque in virtutibus exercuerit, perinde afficiatur ac si multos annos in eodem sit vitio ac labe versatus.

Quæ cum ita sint, quis jam non intelligat quanta sit imbecillitas humana adversus carnis pugnam atque victoriam, cum et in hominis natura, ut ei cum mutis animantibus est communis, et in omnium proclivitate sensuum, et in ipsius mentis infirmitate cernatur? Non enim tuendo dumtaxat corpore, et a voluptatum illecebris defendendo castitas ipsa defenditur; sed custodienda quoque mens est et tuenda, quæ si delicatis voluptatibus mollitiisque fuerit inquinata, parvi refert corpus castum incorruptumque servari. Ideo dicitur in Regula: "corporis, et mentis nostræ munditia."

DIFFICULTAS EX PUGNA UNIVERSALI.

Præterea difficilis est castitatis pugna, quia universalis est neminemque fere excipit, sive ætates hominum spectes, sive conditionem.

Nam quod attinet ad ætates, ætatem omnem intestinus hic hostis oppugnat; ut enim Chrysostomus ait, dejicit pueritiam, perdit juventutem, illicit et inquietat emortuam senectutem. Nec multo secus Augustinus qui ait: "Castitatem etiam in ipsis ægris, vel senibus peri-

clitari." Et "emortuam," inquit, "senectutem intestinum hoc malum sæpius inquietat."[1] Id confirmat Bernardus: "Super omnia mala delectatio carnis, quæ ab ipsis cunabulis semper mecum crevit, mihi semper adhæsit, nec adhuc jam præ senectute deficientibus membris me deserit."[2] Climacus autem vix fieri posse putat, ut quamdiu in hac vita sumus libidinis sedentur incendia; et B. Gregorius, licet in suis Dialogis sentire videatur molestias carnis ad annum usque quinquagesimum solere esse vehementiores, tamen in primam Regulam dicit: "Dum in carne sumus, libidinis nos fortia bella sustinere." Hieronymus quoque: De suspecto contubernio vitando, negat ullis in ætatibus tutam esse libidinem.[3] Et quidem exemplum in Scripturis Sanctis habemus duorum senum, qui vulnerati sunt amore Susannæ, quorum alterum Daniel "inveteratum dierum malorum" appellat.

Ac præter ea quæ de senibus narrantur in Vitis Patrum, scribit B. Jordanus Saxon se ex sene quodam centenario quæsivisse, an in ea etiam ætate motus libidinis experiretur, respondisseque: "Adhuc se hominem esse, non enim deficiente ætate deficit emoriturque libido;" imo sæpe cum ætate, si eidem Jordano credimus, crescit saltem mentis cordisque concupiscentia. Nunquam enim deest animus, qui aut recordatione præteriti, aut spe futuri delectetur. Itaque narrat se a nonagenario audivisse, in senectute illum sua vehementiores, quam unquam antea, titillationes et molestias carnis fuisse perpessum. Cujus ratio ea reddi potest, vel quia, ut in Moralibus Gregorius ait: "Antiquus hostis plerumque hominibus tunc graviores culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos propinquare cognoscit; vel certe, quia eas permittit Deus ad materiam meriti uberiorem." Nam quod David regem jam septuagenarium memoriæ tradunt Sacræ Literæ, eum Abisag Sunamitidem, præstanti forma puellam, non cognovisse, non id ætatis deficientis vitio, sed perfectioni

[1] Ad Soror. cc. 26, 28. [2] De Interior. Dom. c. 36. [3] Epist. 47. (117).

virtutis tribuendum Jordanus censet. Imo aliquos jam spirantes et animam agentes, cum jam caro prope esset emortua, accepimus nondum se ab hoc igne liberos proclamasse; ut presbyter ille moriens, apud Gregorium, qui accendente femina, quæ conjux illi quondam fuit: "Recede," inquit, "mulier, etiam num vivit, tolle paleam." Nec vero ætatem omnem modo, verum etiam omnem hominum conditionem hic hostis aggreditur, hoc est, non modo novos atque tyrones, verum etiam veteranos atque perfectos. Testis est eximia sanctitate vir, B. Macarius, cujus hæc sunt verba: "Qui prudentia ac discretione pollent, asserere non audent, nos, qui gratia Divina prædíti sumus, turpibus et obscœnis cogitationibus non affici."[1] Climacus etiam neminem excipit; sic enim in Gradu de Castitate: "Quis, oro, homo est qui vivat, et non videbit mortem inquinationis suæ?" Ac ne Gregorius quidem quempiam excipit, qui in 1. Reg: "Quis," inquit, "ita sibi subjicere carnem, quis unquam sibi restringere mentem potuit? Quis sic manere in carne, ut de carne turpes motus nullos sustineret?"

Sed quid conquirimus testimonia cum sanctum Prophetam "secundum cor Dei" lapsum esse turpiter non ignoremus? Imo graves Patres censent stimulum carnis in Paulum stimulum fuisse libidinis, ut Anselmus: "Stimulus," inquit, "iste forsitan concupiscentia carnis erat;"[2] et Gregorius idem significat: "Ecce," inquit, "qui ad tertii cœli se secreta sustulerat, resistentes carnis motus habebat."[3] Et Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis, cujus illa sunt verba: "Si Paulus apostolus, vas electionis, separatus in evangelium Christi, ob carnis aculeos et incentiva vitiorum reprimit corpus suum, et servituti subjicit, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniatur, et cum videt aliam legem in membris repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati; si post nuditatem, jejunia, famem, carceres, et

[1] Hom. 16. [2] In 2. Cor. 12. [3] In 1. Reg. l. 6. c. 1.

flagella clamat: 'Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus;'[1] tu te reputas securum esse debere?" Nec mirum quod Hieronymus ita sentiat, qui hoc etiam agitabatur stimulo, ut ad eandem Eustochium scribens de se ipso fatetur. Præterea Augustinus non semel significat in Paulo fuisse motus concupiscentiæ, quos tamen Divina gratia refrenabat. Verum, et hoc obiter dictum sit, alii aliter Pauli locum interpretantur; ac Chrysostomus quidem, Theodoretus, et alii non pauci aiunt hunc in Paulo stimulum fuisse afflictionem quandam ex persecutionibus suis. Sicut idem Apostolus tribulationem carnis afflictiones et sollicitudines vocat.[2] Contraria tamen sententia, tantorum Patrum auctoritate nixa, probabilitate non caret, ut intelligamus ne perfectos quidem viros ab hac pugna eximi; imo iis sæpe vehementiorem acrioremque permitti, uti Sancti Patres nobis tradiderunt. Cujus ratio ipsis Patribus triplex afferri potest.

Prima ratio est quia viri perfecti majorem causam tumoris habent et elationis, cum multitudine ac varietate virtutum excellant. Ideo Paulus, si ex Hieronymi sententia carnis suæ sentiebat aculeos, hunc stimulum datum sibi esse dicit, ne magnitudo revelationum ipsum efferat et extollat; et Sanctus Diadocus: De perfectione spirituali, id nobis disertis verbis ostendit. Cum enim docuisset, devictis omnibus passionibus, duo restare ad perfectorum agonem, zelum scilicet importunum placendi Deo, et molestiam suæ carnis; hujus posterioris rationem affert hanc: "Quia cædit," inquit, "Deus, cum enim aliquem in numero luctantium multitudine virtutum excellentem esse videt, permittit eum quandoque ab hujusmodi dæmone fœdari, ut existimet se omnibus viventibus viliorem; et profecto vel molestia passionis sequitur recte facta, vel recte facta antecedit, ut vel per anticipationem, vel per subsecutionem passionis

[1] Rom. 7. [2] 1. Cor. 7.

anima sibi inutilis quodammodo videatur, quamlibet alioquin sint virtutes ejus et recte facta." B. autem Isaac Syrus: De contemptu mundi, inter tentationes quæ Dei famulis tacite se extollentibus accidunt, numerat sensualitatem acutam intentionis fornicandi.

Altera ratio, quia quisquis studet in virtutibus esse perfectior, et probandus est magis cum omni genere probationis, tum hoc præcipue. Unum est enim, quod idem S. Pater Diadocus scribit, aliter nunc probari famulos Dei cum tranquillitatem et pacem obtinet Christi Ecclesia, aliter Ecclesiæ nascentis initio cum tyrannorum persecutio sæviebat. "Tunc enim corpora Sanctorum," inquit, "cum peccato pugnabant verberibus, et aliis variis tormentis tradebantur. Nunc vero opus est eorum, qui certant, corpus quidem frequentium morborum, animus vero malarum cogitationum periclitatione probari." Et infra ait; "hanc cum dæmoniacis, hoc est obscœnis cogitationibus, pugnam vice secundi martyrii numerari." Qui enim olim per tyrannos sanctis Martyribus dicebat: "Negate Christum, concupiscite hujus vitæ gloriam, et id genus alia; eundem nunc præsto esse ad eadem dicenda famulis Dei."

Tertia ratio, quæ non ita multo ante tacta est, quia Dei famulis castitatem colentibus majores dæmon tendit insidias, quæ fuit ejus semper invidia. "Non enim quærit diabolus homines infideles," ut ad Eustochium Hieronymus ait "non eos qui foris sunt, et quorum carnes rex Assyrius in olla succendit, de ecclesia Christi rapere festinat. "Cibus ejus" secundum Habacuc "electus est."[1] Loquitur autem hac ipsa de re, et infra: "Piget dicere quot quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum."[2] Exemplis abstineo quia multa ubique suppetunt. Illud ex tamen Vitis Patrum indicasse sit satis. De filio idololatræ sacerdotis, qui patrem clam

[1] Hab. 1. [2] Epist. 22.

secutus ad templum satan vidit in suo throno sedentem, suis stipatum satellitibus ac ministris, apud quem cum de unoquoque quid egisset curiosius inquireretur, multique, qui jactarent se in perniciem hominum multa molitos, auctoresque fuisse discordiarum et cædium, gravissime plecterentur; ad extremum surrexit quidam qui se diceret quadraginta ipsos annos insidiatum monachi castitati, vix tandem extorsisse, ut proxima nocte antecedente cum scorto rem haberet; cujus tam ardui facinoris magnitudinem Princeps dæmonum admiratus detractum de suomet capite diadema vertici ejus imposuit, et suo eum collocavit in throno. Tanti est apud dæmones posse aliquando in hanc fraudem, atque in hanc labem perfectissimum quemque Dei servum impellere.

DIFFICULTAS PROPTER INSIDIAS.

Tertio, difficilis etiam redditur carnis libidinisque victoria, quia castitas multis patet insidiis, dolo circumvenitur; caro autem cum putatur exstincta et jam domita, tum maxime nos oppugnat. "Somnum vulpes simulant ut ovem fallant," Climacus ait, "dæmon vero corporis pudicitiam fingit, ut animam perimat." Ne credas in vita tua luto carnis tuæ, neque tibi ipsi omnino fidas, donec Christo Domino obviam pergas. Scribit in Homilia quadam B. Macarius, sæpenumero repertos esse quosdam e fratribus tanta gratia perfectos, ut affirmare auderent, quinque aut sex annorum spatio, omnem libidinis cupiditatem omnino exaruisse, quæ nihilominus vehementius incitata eos torserit atque accenderit.

In perpetua sui ipsius custodia dicitur fuisse Paphnutius, tantaque multos per annos continentia vixisse ut existimaret se a libidinis cupiditate jam tutum, ut qui cunctis dæmonum oppugnationibus superiorem se esse sentiret. Sed cum, in adventu fratrum, parat aliquod obsonii quod iis opponat, nescio quo casu manum adurit, qua ex

re cum tristior esset effectus, quod is, qui dæmones subjectos haberet, ignis sentiret injurias, somno consopitus angelum Dei per quietem vidit, qui causam tristitiæ sciscitatus ; et cur, inquit, doles nondum tibi placatum esse terrenum ignem, in quo residet etiamnum noxius libidinum ardor ? Sopitur igitur ad tempus hic ignis, et cum jam securitas putatur et pax, vehementius ex improviso suscitatur.

Sed aperiet nobis S. Joannes Climacus hujus nefarii dæmonis, qui libidinis faces admovet, multas fraudes; quas breviter attingere, ad erudiendos tyrones, non erit abs re. 1°. Quidem suadere studet hominibus, præsertim novis et crassioribus, Deum clementissimum esse, et huic vitio quippe naturali facile ignoscere ; sed qui clementiam suggerit ante lapsum, post lapsum inviolabilem ejus justitiam prædicat, ut in desperationem, qui lapsus est, agat.

2°. Solet etiam spiritus fornicationis, quoties aliquos sibi invicem turpi ac nefario vinculo ligare voluerit, utrasque partes explorare diligenter, et illic faces admovere, ubi libidinis flamma facilius excitatur.

3°. Solet item nocturna phantasmata per diem menti objicere, ut, iis retractandis animoque volvendis, vigilantis mens inquinetur.

4°. Aliquando etiam qui mollius ac delicatius vixerit, quique cum mulieribus diu fuerit, eum non statim oppugnat, ut hac ille fiducia negligentior effectus, cum in cellula sua securitatem esse crediderit, opprimatur.

5°. Interdum fornicationis spiritus se ipsum ad finem usque subducit, summamque monacho religionis reverentiam interim suggerit, fortassis etiam lacrymarum flumina subministrat, id præsertim temporis quo cum feminis formosisque colloquitur, suadetque ut de memoria mortis, de judicii die, de pudicitia admoneat ; ut per hos sermones, fictamque religionis speciem facta jam fiducia ac consuetudine, tum demum miser ille inducatur in laqueos.

6°. Item eos, qui nunquam hanc mortiferam voluptatem degustarunt, importune sollicitat ut dumtaxat experiantur, ac desinant; qui vero jam degustarunt, eos ex memoria præteritæ dulcedinis, ut iterum regustent, hortatur. Quod idem observavit Ephræm, in Controversia de virginitate et continentia: "Præstiterit dæmon," ait, "semel cupiditati satisfecisse, et mox resipuisse."

7°. Sæpe etiam dæmonis suasu fit, ut tanquam pudicitiæ patrocinio suscepto, in eos vehementius excandescamus quos audivimus vitio libidinis irretitos, ut in illa turpis vitii reprehensione obscœnis ac delicatis imaginibus oblectemur.

8°. Interdum etiam fit, ut de his rebus quæ ad matrimonium, quæque ad humanam generationem pertinent disputantes tanquam per necessitatis licentiam, in hujusmodi cogitatione immoremur, unde veneni dulcedinem quandam incauta mens hauriat. Ut enim Diadocus ait: "Necesse habet mens nostra ut eodem momento, quamvis nolens, honesta et turpia cogitata ferat, ii præsertim qui ad subtilitatem discernendi veniunt."[1]

9°. Suadet etiam interdum diabolus de ipsis Sanctis Scripturis legere aliquid, vel narrare, quod idem animum ad cogitationes venereas transferre queat; ut quæ de B. Susanna in pomerio se lavante, et insidiantibus ejus pudicitiæ senibus scriptura sunt, et id genus alia complura; quæ, cum non sine divino Spiritus Sancti afflatu scripta credantur, eo minore verecundia vel leguntur, vel commemorantur.

10°. Mos est etiam diabolo sæpe nos ad orandum pro iis, quos sensu quodam diligimus, excitare. Vidisseque Climacus se testatur quosdam, dum ex animo pro suis charis ac dilectis orarent, ex hujusmodi memoria in nequitiæ concupiscentiam præcipitatos, legem charitatis se putantes implere. De qua fraude uberius etiam Bonaventura de Puritate.[2] Item post lapsum aliquem orare nos

[1] Diad. c. 88. [2] Cons. 1. c. 14.

prohibet, vel officiis religionis insistere. Quod tamen contra faciendum Climacus admonet.

11°. "Aversare," inquit, "totis viribus eum hostem, qui te post actum fœdum orare vel vigilare prohibet; memor ejus qui dixit: Idcirco autem quod mihi molesta esset anima mea, anticipationibus violenter oppressa, faciam ultionem ejus ex inimicis ejus."

12°. Observat etiam tempora malus dæmon, quibus adversus ipsum corporis habitum minime possimus orare, quo nos acrius ac facilius oppugnet, hoc est, cum nec manus ad Deum extendere, nec pectus tundere, nec gemere ac suspirare ad Deum propter præsentes facile possumus, quibus religionis significationibus impuri dæmones exterrentur sæpeque fugantur. In discutienda etiam conscientia, peccatisque præteritis, sæpe dæmonis fraus latet; nam, ut ait Marcus Anachoretus:

13°. "Inimicus, sub confessionis prætextu, antea menti impressa vitia effingit, ut affectus, gratia Dei oblivioni traditos, iterum incensos exsuscitet." Idemque sic monet: "Si volueris Deo offerre irreprehensibilem confessionem, speciatim errorem ne recorderis, nam valde inquinares animum."[1] Propterea Climacus, cum immundæ cogitationes a fornicationis spiritu suscitantur, satius ducit eas pro nihilo æstimare, quam cum periculo pudicitiæ discutere. Denique tales et hujuscemodi fraudes diaboli vir sanctus et rerum spiritualium experimentissimus nobis aperit, ut eas toto pectore declinemus, si victores evadere ex tam difficili conflictu velimus.

Ex quibus omnibus satis intelligitur quam difficilis sit castitatis pugna, ut merito dixerit Augustinus: inter omnia certamina christianorum duriora esse prœlia castitatis, continuam pugnam, sed raram esse victoriam: ac de hujus pugnæ difficultate jam satis. Ex his autem duo colligere libet. Primum, hujus victoriæ summam in uno Deo positam esse; dicit enim Sapiens: "Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det."[2] Et

[1] Disp. 3. [2] Sap. 8.

Augustinus: "Quis est," inquit, "hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem?"[1] Ideoque idem sic orat: "Domine continentiam jubes; da quod jubes, jube quod vis."[2] Et Climacus "Nemo ex his, qui se studio castitatis exercent, suis hanc laboribus aut sua industria se acquisisse putet, nam possibile non est ut quispiam naturam suam vincat. Ubi denique natura superata est, illuc is, qui supra naturam est, advenisse cognoscitur; nam, sine controversia, id quod deterius est a potentiore destituitur;"[3] et alibi sæpe. Chæremon etiam abbas apud Cassianum, Davidicum illud, ad id efficiendum, usurpat: "Quia tu possedisti renes meos." "Hoc ipsum," inquit, "quia supra conditionem videtur humanam, qualiter obtinuerit idem Propheta subjungit, dicens: Quia tu possedisti renes meos; id est, non industria mea neque virtute hanc promerui puritatem, sed quia tu mortificasti insitum renibus meis libidinosæ voluptatis ardorem."[4] Et in illud: "Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis,"[5] "Quis non obstupescat," inquit, "opera Dei, cum illum ignem libidinis, quem naturalem antea et velut inexstinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, ut ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari?"[6]

Dicet quispiam: Quid de philosophis dicemus antiquis, quorum aliqui casti erant, et tamen Divinæ gratiæ erant expertes? Nam Xenocratem, scribit Valerius, non sensisse eam quæ apud se accubuerat meretricem, quæque eum se spoponderat allecturam; deridentibusque eam, qui aderant, quod suis illecebris flectere hominem minime potuisset, respondit victoriæ pactum de homine, non de statua fecisse.

Respondet Chæremon, "habuisse philosophos illos quandam dumtaxat, scilicet portiunculam, castitatis, hoc est abstinentiam carnis, ut tantum a coitu libidinem coercerent; hanc autem internam mentis ac perpetuam corporis

[1] Conf. l. 2. c. 7. [2] Ibid. l. 10. c. 29. [3] Grad. 15.
[4] Coll. 12. c. 8. [5] Psal. 138. [6] Coll. 12. c. 12.

puritatem, non dicam opere, sed ne cogitatione quidem assequi potuisse. Ita Socrates id de se profiteri non erubuit; nam, cum intuens eum quidam physiognomon male dixisset, et, irruentes in eum, discipuli ejus ulcisci illatum magistro vellent convicium, indignationem eorum brevi dicitur compressisse sententia. Apertissime igitur ipsorum professione monstratur, commixtionis dumtaxat turpitudinem violenta ab illis necessitate compressam, non tamen desiderium de cordibus eorum, et oblectationem illius passionis exclusam." Et infra sic concludit: "Ideo satis certum est circumcisionem nostram, quæ in spiritu est, non posse nisi Dei tantum munere possideri, et his inesse solummodo, qui Deo tota spiritus sui contritione deserviunt. Et idcirco licet in multis, imo in omnibus, possit ostendi semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adjutorio Dei posse perficere; in nullo tamen evidentius, quam in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur."[1] Et "certos nos esse convenit, quod, licet omnem continentiæ districtionem, famem scilicet ac sitim, vigilias quoque et operis jugitatem, atque incessabile subeamus lectionis studium, perpetuam tamen castimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, nisi, in his jugiter desudantes, experientiæ magisterio doceamur incorruptionem ejus Divinæ gratiæ largitate concedi."[2]

Alterum autem, quod colligere ex dictis libet, est pernecessariam esse, ad tuendum castitatis bonum, perennem quandam ac maximam vigilantiam, et hujus virtutis amorem ardentissimum. De vigilantia quidem sic B. Gregorius in 1. Reg.: "Caste vivere volentibus. contra fraudes fornicationis spiritus subtiliter vigilandum est." Et infra: "Quid est," inquit, "libido nisi ignis? Et quid de carne, et mente exortæ virtutes, nisi flores? Quid item turpes cogitationes, nisi paleæ? Quis etiam nesciat

[1] Coll. 13. c. 6. [2] Coll. 12. c. 4.

quia, si in paleis ignis negligenter exstinguitur, ex parva scintilla quæ remanet, omnes paleæ accenduntur?" Quamquam enim victoriam nostræ carnis in unius virtute Dei sitam esse diximus, tamen studium etiam nostrum laboremque ad eam obtinendam Deus ipse a nobis postulat; sicut in plerisque rebus, quæ quamvis nostris viribus studiisque parari non possint, sed Divinis potius quam humanis sint comparandæ præsidiis, tamen nostra quoque studia vigiliæque requiruntur, quæ sicut sola sunt nulla plane, ita ut nisi adsint, frustra implorentur Divina præsidia. Hoc est quod dicit Augustinus in Reg. "Deus, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiat vos ex vobis, scilicet vestro etiam adhibito studio, ac vigilantia.

Jam de amore et desiderio vehementi hujus virtutis, sic is, quem dixi, abbas Chæremon apud Cassianum. "Tanto autem erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore inflammemur, quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summa honorum ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, desiderium suum impatientissimo ardore optat expleri; et ita fiet, ut dum pro integritatis perpetuitate insatiabili cupiditate succendimur, desiderabilis despiciatur cibus, necessarius horreat potus, somnus denique ipse naturæ debitus respuatur."[1] Hactenus de tertio capite; restat quartum de viis ac mediis.

§ 4.—DE MEDIIS AD ANGELICAM PURITATEM.

Quoniam igitur difficillimam maximeque arduam ostendimus castitatis pugnam, id quod erat tertio loco propositum, vigilandumque esse die ac nocte ne quis tanto thesauro insidietur; reliquum est ut, quibus viis mediisque carnem ipsam vincere, tuerique castimoniam mentis corporisque possimus, paucis explicemus. Ac si

[1] Coll. 12. c. 4.

universe generatimque loqui volumus, una tantum via potest nos ad perfectam ducere castitatem; si vero singillatim, quinque omnino vias ostendemus, quæ sunt præcipua quædam capita, quo omnia fere, quæ traduntur a Patribus, revocantur.

Communis igitur tuendæ castitatis via est fervor spiritus, et ardens studium in famulatu Dei; nihil enim adversus spiritus ardorem carnis ac libidinis fervor potest. Extinguitur hic ab illo, ut nunquam appareat. Argumento est, quod, ad nos excitandos, desides ac torpentes permittit Dominus carnis stimulis agitari. Quod animadvertit Gregorius: "Si quasi fessi," inquit, "a solitæ conversationis rigore torpescimus vel mollescimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt:"[1] quod si quis se ipsum semper excitet, fervorique se tradat, non huic jam erit hujuscemodi stimulus admovendus, nisi forte ad ampliorem coronam. Quocirca Cassianus, inter utilitates colluctationis carnis et spiritus, hanc velut præcipuam numerat: "Quod desidias ac negligentias nostras statim arguit, et, ut diligentissimus quidam pædagogus, a districtionis et disciplinæ linea nunquam nos declinare permittit." Et infra: "Essemus," inquit, "absque remedio tepidi, nisi nos nostra stimularet caro, utpote non habentes indicem negligentiæ nostræ, vel in corpore nostro, aut in conscientiis propriis insidentem, nec studeremus ad perfectionis unquam pervenire fervorem." Ideoque alibi ait: "In spadonibus hunc animi teporem plerisque deprehendi, quia, velut soluti ab hac necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere."[2] Et, "Considerate illos qui corpore sunt spadones, quæ præcipue causa in virtutibus appetendis desides reddat ac tepidos. Nonne quia corrumpendæ castitatis credunt se periculum non habere?"[3] Ideo memoriæ proditum est monachum quemdam, cum carnis ureretur incendiis, noluisse ab abbate pro sua liberatione preces

[1] In 1. Reg. l. 6. c. 1. [2] Coll. 4. cc. 15, 16, 17. [3] Coll. 12. c. 5.

fundi, quod in eo certamine multum se proficere in virtute sentiret, jejuniisque, orationibus, ac benefactis plurimis ardenter insisteret, ut infra dicemus ex Dorotheo. Et Gregorius narrat de Equitio abbate, quomodo "cum in juventute carnis incentiva sentiret, ipsæ suæ tentationis angustiæ eum ad orationis studium fecerunt solertiorem."[1] Jam si quis sua sponte spiritus ardori se dedat, studeatque omnem ab se torporem abjicere, is profecto nullis erit hujuscemodi stimulis incitandus, sed suæ carnis semper erit tranquillus dominus ac possessor. Confirmat hæc quæ diximus Pauli doctrina ad Romanos, ubi præposteras Gentilium libidines et passiones ignominiæ in eorum impietatem refert: "Qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt," sed "coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori;" et idcirco hujus erroris mercedem in se ipsis receperunt, "ut contumeliis afficerent corpora sua."[2] Est igitur hoc commune atque universale castitatis tuendæ præsidium, pietas et ardor spiritus in famulatu Dei. Præcipua autem et propria quinque, ut diximus, afferri possunt, ad quæ reliqua revocantur omnia.

Primum itaque præsidium castitatis præcipuum est oratio; quia, ut diximus, in Deo sita est victoria carnis nostræ, ergo ab eo in primis petenda. Chrysostomus jubet virginem inter alia id usurpare frequenter: "Custodi me Domine ut pupillam oculi." Et Hieronymus ad Eustochium: "Statim," inquit, "ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro." Et Gregorius: "Quid est," inquit, "quod contra alios solis armis pugnabat Moyses, contra Amalec vero non solis armis, sed etiam virtute orationis?"[3] Amalec autem luxuriæ vitium designare dicit, et respondit: "Quia magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tanta virtute, tanta difficul-

[1] Dial. 1. c. 4. [2] Rom. 1. [3] In 1. Reg. l. 6. c. 1.

tate superatur;" ideoque subdit pernecessariam esse intentissimam orationem. Et mox: "Levet ergo manus suas," inquit, "levet mentem, ut opere bono et devotione resplendeat, qui abscindere perfecte a se libidinis bellum tentat." Idcirco solitus est dicere abbas Joannes monachum similem ejus esse debere, qui a sinistris ignem, a dextris aquam habeat; ut quoties succensus fuerit libidinis ignis, prompta sit orationis aqua, unde is possit extingui. Narrat etiam B. Jordanus Saxon virgini cuidam, quæ ab angelo satana per carnis stimulos colaphizabatur, visum esse inter orandum sanctum angelum ita monentem: Visne ab hac molestia liberari? Cum illa se pervelle dixisset, tum angelus: Quoties te invaserit libidinis æstus, recita versum illum, "Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui,"[1] quod cum illa fecisset, omnem statim conquievisse libidinem. Altera etiam ratio potest esse cur ad castitatem valeat oratio, quia per eam unus efficitur spiritus cum Deo is qui orat; ut autem "qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur," ita "qui adhæret Domino, unus spiritus est,"[2] ejusque et domus et templum est. Ad orationis porro genus illa quoque referuntur.

Primum, memoria Dei, divinique conspectus; quamquam enim nulla ad Deum mittatur vox, tamen cogitatio ipsa Divinæ præsentiæ valde nos continet in officio, fugat enim omnem libidinis vel intimam, maximeque reconditam voluptatem. Augustinus: "Quotiescunque nequam spiritus illicita quæque suggesserit, vehementior incubuerit æstus; illum, qui scrutatur corda et renes, scito esse præsentem, et sub ejus oculos esse quidquid agis, vel cogitas."[3] Et B. Isaias: "Si tibi," inquit, "in cellula commoranti semina turpitudinis in corde sparsa fuerint, totis viribus contende ne coalescant, atque imperent tibi."[4] Considera Deum esse præsentem, cujus oculis patent ea quæ in corde loqueris, sic igitur animam tuam alloquere: Si tui similes

[1] Psal. 118. [2] 1. Cor. 6. [3] Ad Soror. c. 25. [4] Orat. 4.

erubescis peccatores, metuisque ne videant flagitia tua, quanto magis Deum vereri debes, cui hæc omnia sunt manifesta? Hoc præsidio adversus impudicam feminam, quæ se ad flagitium procaciter incitabat, ausus est olim S. Ephræm; simulans enim ejus se cupiditati velle servire, duxit eam in celeberrimam totius urbis plateam, conversusque ad mulierem: "Hic," inquit, "quod a me requiris, agamus." Cum illa abnueret, oculosque hominum se reformidare contenderet. Tum Ephræm: "Si ora," inquit, "hominum erubescis, cur Deum potius omnia cernentem non erubescas?" Quo dicto scortum illud, ab impura illa ac flagitiosa vita, ad frugem sanctimoniamque traduxit. Nec absimile B. Antoninus narrat exemplum de Thaide meretrice, quam Paphnutius revocavit ad frugem; rogatus enim vir sanctus ab ea ut suum cubiculum conscenderet, secretiorem requisivit locum. Cum illa in interiorem quemdam recessum duxisset hominem, "Nemo te," inquit, "hic videre poterit, hominem si vereris; sin autem vereris Deum, quocumque nos includamus, ille nos aspicit." Cui Paphnutius: "Scis," inquit, "Deum esse?" "Scio," inquit illa, "et ejus futurum regnum, et improborum supplicia." "Si hæc," inquit, "nosti, cur tot animas ad inferos trudis, pro quibus mox Deo rationem reddere judici debebis?" Cujus illa verbis, tanquam e veterno quodam excitata, resipuit illico, in arctamque se inclusit custodiam, tresque ipsos annos in acerrima diuturnaque pœnitentia conticuit. Tanti est recordatio Divini conspectus! Tum autem maximam vim habet hoc præsidium ad custodiam castitatis, cum ab eo, cui fidem dedimus et castitatem nostram vovimus, videri et conspici nos meminimus; erubescit enim anima vehementer et magno pudore perfunditur, si contra sponsionem suam, contraque fidem spiritualis conjugii se fecisse arguatur a sponso Deo, inquam, cui per castitatem desponsata est; non secus ac sponsa pavet et erubescit, cum a viro suo in adulterio deprehensa est.

Secundo, refertur etiam ad orationem imploratio Sanctorum, præcipueque Dei Matris, angelorum, ac patronorum. Ac de Dei Matre nulla potest, nec debet esse dubitatio, cum illa sit Virgo virginum, et castitatem præstantissimam adamet. Idcirco in pugnis carnis secundum Deum, ea est potissimum imploranda, ut faciebat Justina sanctissima virgo, cum a teterrimo Cypriani dæmone, de quo supra diximus, sollicitabatur; auctore Nazianzeno in Oratione de laudibus Cypriani. Quotidieque sunt ei certæ preces, ut nostram castitatem protegat, adhibendæ. Angelorum etiam quotidie sunt imploranda præsidia, qui et pudicitiæ nostræ amantissimi sunt, ut supra dictum est, et acerrimi defensores. Quare Augustinus cum dixisset: "Quotiescunque nequam spiritus illicita quæque suggesserit," mox ita subjecit, "deprædatori responde: Habeo angelum amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum."[1] Et paulo ante, cum D.Agnetis attulisset exemplum, rite confiderat: "Si igitur," inquit, "et tu oraveris, et contra libidinis incentorem lacrymarum tuarum arma levaveris, non certe angelus tuo casto deerit cubiculo, qui postribulo non defuit." Ac de Moyse quidem abbate legimus, cum propter impuram cogitationum turbam consistere in cella non posset, ad Isidorum abbatem consilii causa perexisse; deductumque ab Isidoro in superiorem cellæ partem, jussum esse ad occidentem respicere, ubi cum dæmonum turbam expeditam ad prœlium aspexisset, jussum etiam esse ad orientem se convertere; ibique cum innumerabilem vidisset angelorum exercitum, dixisse Isidorum: Ecce quos in occidenti vidisti, ii sunt qui sanctos etiam Dei lacessere atque impugnare non dubitant; quos autem in oriente, ii sunt quos in eorum auxilium Divina bonitas mittit. Intellige igitur plures esse nobiscum, quam contra nos.

Quo quidem egregie videtur allusisse Hieronymus. Nam cum in Epistola ad Eustochium dixisset: "Caro fragilis, et cinis futura post modicum pugnat sola cum

[1] Ad Soror. c. 25.

pluribus," mox ita subjecit: "Quod si eorum te multitudo turbaverit, et dixerit tibi cogitatio tua: Quid faciemus? Respondebit tibi Eliseus: "Noli timere, quia plures nobiscum sunt; quam cum illis."[1] Sancti etiam tutores et patroni magnum nobis in colluctatione carnis et spiritus auxilium præbent. Cujus rei exemplum, ut cætera sileantur, legas licet apud Cyrillum,[2] qui monachum, sui præstudiosum, incestum meditantem sæpe prohibuit, foresque cœnobii nec invenire, nec aperire ut ad flagitium egrederetur est passus; ea tantum de causa, quod proximæ Beati imagini caput aut cervices, ut illius religionis mos fuerit, inclinasset.

Tertio, refertur etiam ad orationem meditatio piarum rerum, quibus mens nostra capta, pravas scilicet cogitationes abjicit. Ideo præcipit Cassianus ut incipiamus bonas cogitationes deligere, et statim ab iis, quæ malæ sunt, dignabitur Dominus liberare.

Inter pias autem meditationes cogitationesque magnam vim habet, atque haud scio an, ad id quod quærimus, omnium optimam, meditatio necis Christi ejusque sanctissimæ Passionis. Nam ut ait Glossa in illud ad Galatas, "Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;" "Nihil est quod tam diabolum terreat quam arma passionis Christi, quia his victus est." Et Origenes in id ad Romanos, "Non regnet peccatum in vestro mortali corpore;" "tanta est," inquit, "vis crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, et in mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentus oculus mentis inspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuo ad ejus præsentiam totus ille peccati et carnis fugetur exercitus." Augustinus etiam: "Cum me pulsat," inquit, "aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cum me premit caro, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus parat insidias, fugio ad viscera Domini mei,

[1] 4. Reg. 6. [2] Ep. 206. ad Aug. de B. Hieron.

et recedit a me; si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Filii Dei extinguitur."[1]

Meditatio etiam novissimorum multum habet ad id virium, ut affirmat Ecclesiasticus: "Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis;"[2] præsertim vero attenta mortis et inferorum meditatio. Ac de morte quidem S. Diadocus: "Cum in hoc," inquit, "dæmoni pugnamus incontinentiæ, vacatione iræ, et profunda mortis cogitatione;"[3] intelligit autem fornicationis dæmonem. Idem docet Gregorius, cum melius domari negat vivam carnem, quam cogitare qualis erit mortua. Et Climacus de Castitate: "Memoria mortis," inquit, "tecum semper quiescat, tecumque simul vigilet, solaque semper ruminanda oratio Jesu; nullum enim adjutorium in somno his præstantius invenies." Et infra ait: "Sepulcrorum habitationem plurimum ad id valere." Ideoque et Bernardus in Speculo suo hortatur, ut ad abigendam carnis molestiam collocet se quispiam super feretrum, vel super lapidem quo mortui lavantur. Inferorum vero meditatio idcirco valde prodest, quia sempiterni illi cruciatus ac voragines ignium pro vilissima et brevissima voluptatis dulcedine revocantur in mentem. Quod faciebat sanctus ille Pater, dum, libidine inflammatus, injectos quoque in ignem digitos inflammabat, ut experiretur possetne sempiternos illos ardores, qui carnis præparantur incendiis, tolerare.

Secundum præcipuum castitatis adjumentum est devotus ac frequens usus Eucharistiæ, est enim frumentum electorum, et vinum germinans virgines, quod de Eucharistia interpretatur. B. Hieronymus et Paschasius Corbeiensis: "Felix fructus ubertatis ex quo virginitas germinatur, nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, et ab isto virgines procreantur."[4]

Hæc est forsitan causa potissima, cur in Societate, ubi tam frequens et tam egregie inventus est, et ubi victus

[1] Manuale Contempl. c. 22. [2] Eccl. 7. [3] L. de Perf. Spir. c. 99.
[4] Lib. de Cor. et Sang. Dom. c. 21.

cultusque communis est, tanta tamen et tam insignis castimoniæ laus sit. Facit hoc, inquam, inter alia creber ac pius usus Sacrosanctæ Eucharistiæ; ut enim ait Bernardus in Sermone de Cœna Domini: Duo hoc sacramentum operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori et Sanguini Domini; quoniam virtus sacramenti operatur in eo, et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. Ratio vero cur Eucharistia castitatem tueatur et augeat, ea nimirum est quia cum Deo nos conjungit; est enim symbolum unionis. Disjungit nos ab amore hominum et creaturarum in quibus amandis periclitatur castitas, quæ suum Creatori servat amorem, ut supra significavimus. Quare Remigius in ea, quæ dixi, Zachariæ verba: "Hoc," inquit, "vinum germinat virgines," quia quos amor Christi inebriat, omnia mundi oblectamenta spernunt, et quasi ebrii et insensibiles mundo fiunt, et solum Christum diligunt, et dicunt cum Apostolo: "Itaque nos ex hoc neminem novimus super terram." Amor igitur Dei magnam vim habet ad expellendum ac retundendum carnis amorem, quod confirmat Hieronymus: "Philosophi," inquit, "seculi solent amorem veterem amore primo vel novo, quasi clavum clavo, expellere; quod et Assuero septem principes fecere Persarum, ut Vasthi reginæ desiderium aliarum puellarum amore compescerent. Illi vitium vitio remediantur, nos amore virtutum vitia superamus."[1] Carnalis siquidem amor spiritus amore superatur, et desiderium desiderio restinguitur.

Inter alios ergo Eucharistiæ præclaros effectus est diminutio cupiditatis, et charitatis amplificatio. Sed necesse est ejus usum non modo esse frequentem, verum etiam pium atque devotum; nam vitio nostro sæpe fit, ut

[1] Epist. ad Rusticum.

quamvis crebro tractemus hæc sacrosancta mysteria, tamen iidem semper simus, nunquam animo commutemur, quia consuetudinis æstus nos absorbet, de illo pane edentes, deque illo calice bibentes non dijudicantes corpus Domini. Ut mirum videri non debeat, si contra tentationum procellas hæc arma sumentes, concutiamur tamen interdum, et jam jamque manus demus, quia ea tractare non novimus, et quæ aliis ad defensionem adhibentur, nobis sunt offensioni.

Tertium castimoniæ præsidium, et quidem præsentissimum, humilitas est. Ac Climacus quidem, eo Gradu quem de castitate præscripsit, dum varia ejus comparandæ custodiendæque suppeditat instrumenta, humilitatem non dubitat anteponere. Nam periculi atque imminentis ruinæ tempore, summum, inquit, nobis adjutorium præstabit cilicium et cinis, totisque noctibus immobilis panis desiderium, sepulcrorum habitatio, atque ante omnia humilitas cordis. Et in extremo Gradu, ubi loquentem facit concupiscentiam carnis, post alia castitatis præsidia quæ jam attulit, ita concludit: "Si possideas humilitatem, amputasti caput meum." Cassianus quoque sæpe id attulit remedii, imo ex animi elatione plerumque carnis contumaciam affirmat existere.[1] Idemque sancti Patres uno omnes ore confirmant; quos, quia in promptu sunt, et enumerare longum esset, consulto prætereo. Rationem tamen ex ipsis afferre libet, cur ad custodiam castitatis maxime prosit humilitas; eaque gemina esse potest, alia Gregorii, altera Augustini. Beatus enim Gregorius "Si vigilanter," inquit, "intenditur ut et mentis humilitas et carnis castimonia teneatur, cito cognoscimus quod alterum custoditur ex altero. Nam multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit." Lege totum caput, quod de hoc re est; ubi concludit ad extremum: "Proinde per humilitatis custodiam

[1] Coll. 4. c. 15.

servanda est munditia castitatis, si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur; habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et a subjecta carne prœlium suscipit." Et "si plerumque virus libidinis de radice nascitur elationis, tunc caro vicit, cum spiritus latenter intumuit. Jam tunc anima per originem culpæ in petulantiam jumentorum cecidit, cum efferendo se, more volucrum, ultra quam debuit, evolavit. Hinc est enim, quod longa continentia repente solvitur, hinc quod plerumque et usque ad senium virginitas servata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex despicit integritatem corporis."[1] Idcirco is, quem antea nominavi, Climacus: "Præstat," inquit, "cum inquinatione carnis, quam cum elatione mentis, habere conflictum." Et B. Isaac Syrus dicit, prius solitum esse diabolum aggredi religiosorum mentes amore cœnodoxiæ atque superbiæ, deinde eis occurrere specie habituque fornicationis. Altera est Augustini ratio, quia ipsa continentiæ laus superbiæ patet insidiis, cum magnum quoddam præclarumque sit bonum. "Ideo audeo," inquit, "dicere superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur."[2] "Da mihi," inquit, "profitentem perpetuam continentiam, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quo magis inest unde sibi placeat, eo magis vereor ne, sibi placendo, illi displiceat qui 'Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.'"[3] Confirmat hoc Cassianus: "Sunt quidam," inquit, "quibus cum aliqua particula castitatis arriserit, continuo in conscientiæ suæ secretis, quadam elatione subtiliter illabente, sibimet blandiuntur."[4] Idem confirmat his verbis Climacus: "Et quidem," inquit, "in somnis quædam emissio seminis quæ

[1] Moral. l. 26. c. 17. [2] Ser. 53. de Verb. Dom.
[3] De Sanct. Virgin. c. 34. [4] Coll. 13. c. 16.

ex ciborum multitudine, et requie est; et alia, quæ ex superbia cohtingit, cum diutius mundi a fœda hac respersione persistimus, et per hoc in superbiam efferimur.

Ad hoc humilitatis caput, quinque humilitatis filiæ referuntur, necessariæ omnes ad castitatis custodiam. Prima est obedientia, quia ex inobedientia spiritus orta est in primis parentibus carnis inobedientia, ut sæpe docet Augustinus.[1] "Injustum," inquit, "erat ut obtemperaretur a servo suo, id est a corpore suo, ei qui non obtemperaverat Domino suo."[2] Et "ut pœna," inquit, "reciproca inobedientia plecteretur, exstitit in motu corporis quædam impudens novitas, et fecit attentos, reddiditque confusos."[3] Idem docet Gregorius: "Ille primus inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit; et, quia auctori suo esse subditus noluit, jus carnis subditæ quam regébat, amisit."[4] Ergo si inobedientia spiritus causa fuit inobedientiæ carnis nostræ, profecto obedientia spiritus, adversus Deum Superioresque nostros, obedientem subjectamque faciet nobis carnem nostram. Figura hujus, abstulit Deus regnum Sauli quia non obedivit voci ipsius; et nobis aufert regnum ac dominationem carnis nostræ, cum Superiorum voci dictoque audientes non sumus.

Secunda, quæ ex humilitate gignitur virtus ad castitatis cautelam necessaria, est confessio et nudatio vulneris nostri, cum carnis stimulis vulneramur. Humilem enim non pudet pectoris sui plagas spirituali medico sanandas prodere, sive id fiat in sacramentali confessione, sive extra sacramentum confessionis. Ac de sacramento, propter usum atque experientiam, magistram docet Bonaventura, ubi negat ullam esse meliorem ac faciliorem viam ad evadendas libidinis tentationes, quam si quis cogitationes omnes vitiosas, cum suis circumstantiis, sæpe et clare suo

[1] De Civit. Dei. l. 14. cc. 15. 17. 23. [2] De Nuptiis et Concupisc. c. 1.
[3] De Civit. Dei l. 14. c. 17. [4] Mor. l. 26. c. 13.

detegat confessario, totiesque eas exprimat quoties illæ renovantur.[1]

De confessione vero extra sacramentum B. Joan. Climacus, cum multa alia ad evincendam carnis molestiam attulisset, ita subjunxit: "Et si fieri potest, Pater spiritualis, aut pater sollicitus cautusque sensu, ad auxilium adhibeatur." Et merito, quia, ut ait apud Cassianum abbas Moyses: "Illico ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus, velut e tenebroso et subterraneo specu, confessionis virtute, protractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus, abscedit." Idcirco Patres illi veteres sic suos monachos educabant, tirones præsertim, ut omnes cogitationes suas senioribus aperirent. Porro ad hæc confirmanda exempla non desunt, si quis ea velit colligere in Vitis Patrum; ubi de B. Astione, qui injussu abbatis cella egressus ad fluvium, cum impudicis cogitationibus versaretur, et id postea confessus esset, ob eam confessionem, velut puerulum ignea cum ferula de sinu suo egredientem audivit: "Confessio tua, Astion, magnas meas contrivit hodie vires."[2]

Tertia virtus est diffidentia sui ipsius, ut enim in Collat. Chæremonis abbatis scriptum nobis reliquit Cassianus: "Unicuique nostrum, adversus spiritum fornicationis totis viribus desudanti, victoria singularis est, de merito conatus sui remedium non sperare." Cujus rei rationem aliquam statim subjicit; quia "qui castitatem credunt se diligentiæ suæ studio consecutos, necesse est ut superno illo præsidio paululum denudati, tamdiu illis quas Divina virtus exstinxerat passionibus opprimantur, quamdiu experientia docente cognoscant se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse."[3] Quod confirmat iis verbis Climacus: "Qui sua industria carnem suam vincere aut debellare vult, in vanum currit. Nisi

[1] Opusc. de Purit. Conscien. c. 12.
[2] Lib. 1. c. 11.
[3] Coll. 13. c. 61.

dominus domum carnis deleverit, domumque animæ ædificaverit, frustra quispiam hanc jejunando ac vigilando destruere nititur; offer ante oculos tuos domini carnis naturalem infirmitatem, et tuam humiliatus imbecillitatem agnoscens, prorsus suscipe in intimis castitatis donum."

Quantum autem quisque sibi ipse diffidit, tantum Deo confidat oportet, et cum Augustino dicat: "Domine continentiam jubes, da quod jubes, jube quod vis." Exemplo nobis sit Pachomius abbas, qui in magnis diuturnisque libidinis tentationibus atque ardoribus, cum suo corpori aspidem admovisset, ut ejus morsu vitam cum tentatione finiret, vocem ex occulto missam hujuscemodi audivit: "Vade Pachomi, et a sententia desiste, ideo enim et Deus vexari permisit, ut et tuam agnoscas infirmitatem et Divinæ gratiæ vim, ad quam confugere tuto debeas." Signum autem ejus, qui suæ virtuti nimium fidit, est cum periculis et manifestis occasionibus sese exponit, has enim quisquis declinare non studet, ne vim quidem ad resistendum a Deo accipit; ut hoc ipsum infra pluribus.

Quarta virtus est patientia ac tolerantia tentationum, quæ humilitatis est filia; humilis enim, quæ a Deo permittuntur, moderate fert, et patienter expectat dum suam Deus dexteram porrigat. Quare B. Ephræm, in Controversia de virginitate et continentia: "Fratrem," inquit "sive sororem aggreditur dæmon, sic eos affatur. 'Ecce quotidie fornicationis stimulis concitaris; quo usque molestiam eam sufferes et patiens eris?' Ad quem, frater: 'Donec Dominus,' inquit, 'respexerit in humilitatem et laborem meum, remittatque universa peccata mea.'" Et Marcus Anachoretus: "Patientia," inquit, "et oratione fuganda est tentatio, quæ si absint, si te illi opposueris, vehementius te impugnabit."[1] Et de Lege Spirituali: "Qui citra orationem et patientiam tentationes vincere voluerit, nequaquam

[1] Disp. 3.

eas a se propulsabit, sed multo magis illis implicabitur." Docet nos hanc viam etiam Apostolus Paulus, qui semel, iterum, ac tertio rogabat, ut recederet a se carnis stimulus, et tamen adhuc expectare jubetur et ferre; Dei tantum gratia contentus, "quia virtus in infirmitate perficitur."[1] Quod quidem nos valde movere debet ad hanc tolerantiam, cum in hac carnis infirmitate, si patienter toleretur, virtus et augeatur et perficiatur. Quare inventi sunt aliqui tanto robore animi ac patientia prædíti, ut ne rogari quidem Deum pro tentationibus suis abigendis passi sint, non ignari quantum ex eorum tolerantia meriti utilitatisque perspicerent. Ut de eo narrat B. Dorotheus, qui cum suæ carnis ureretur incendiis, quæsivit senex, velletne ut pro sua ipse liberatione preces funderet. Tum ille, "roga potius," inquit, "Pater, ut mihi vires ad ferendum præbeat." Cui senex "nunc demum intelligo te ad perfectam sanctitatem niti, neque a te hodie isto tuo facto superari."[2]

Imo nonnulli alii viri sancti ausi sunt (in quo tamen admiratione potius, quam imitatione videntur digni) pravas cogitationes admittere in animam suam, quo major esset, dum eas repugnando vincerent, meriti virtutisque materia. Abbas enim Pastor, cum ex abbate Joseph quæsisset: Quid sibi faciendum videretur cum tentationes propius accessissent, repugnandumne iis esse aditumque præcludendum, an potius admittendæ, cum iisque pugnandum? "Sine," inquit, "eas ingredi, et cum illis pugna." Cum vero ab alio de hac re rogaretur: "Ne sinas," inquit, "illas ingredi, sed eas confestim abige, aditumque præclude." Miratus Pastor quod alii aliter respondisset, et contrarias inter se curationes eidem morbo præscriberet: "Nobis," inquit, "jam veteranis sic expedit ut ad coronam admissis pugnemus luctemusque, quia probatiores nos faciunt; aliis vero, qui teneriores adhuc sunt, præstat eas confestim abigere, quam ad punctum temporis intermittere."

[1] 2. Cor. 12. [2] Ser. 3.

Quinta quæ ex humilitate oritur virtus ad custodiam castitatis necessaria est, non esse proclivem ad condemnandos judicandosque proximos, sed potius alienæ compati infirmitati, si quando hi labuntur; sic enim miserebitur nostri Divina clementia. Quare Climacus cum aliis alia de causa lapsus corporis fieri doceret. "In iis," inquit, "qui rudes imbuuntur, lapsus corporis ex deliciis maxime fieri solet, in mediocribus vero ex elatione animi. Porro in his, qui ad perfectionem propius accedunt, solum ex condemnatione contemptuque proximi superbo." Scimus autem ex Cassiano senem illum, qui adolescentem libidinis facibus inflammatum acrius objurgaverat, conversa in eum libidinis tempestate, Apollinis abbatis precibus, furere atque æstuare cœpisset, jamque ad explendam libidinem cucurrisset, nisi idem abbas obviam factus, causamque furoris sciscitatus ab eo ipso dæmone, qui eum tam ardenter invaserat, edoctum atque eruditum ex alienis infirmitatibus compati liberasset.

His igitur humilitatis filiis occurrendum est angelo satanæ, cum nos carnis stimulo colaphizat. Ex quibus apparet verum esse quod affirmat B. Gregorius: "Qui contra fornicationem pugnare volunt, eos non posse vincere, si non cæteris virtutibus muniuntur."[1] Quod ipsum magis etiam ex reliquis castitatis adjumentis, quæ proxime subjicimus, intelligetur. Certe Cassianus: "Ad integritatem," inquit, "mentis et corporis conservandam abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi fuerint cæteræ quoque virtutes animæ conjugatæ."[2] Idemque, docet: "Nullo modo concupiscentiam cordis extingui, nisi omnia vitia pariter extirpentur."[3]

Quartum est igitur præcipuum castitatis adjumentum corporis castigatio ac maceratio. Hæc autem quintuplex est, una est per abstinentiam cibi et potus, subtractis enim libidinis alimentis libido ipsa minuitur, et iisdem auctis eadem augetur. Ita autem Climacus De quiete:

[1] In 1. Reg. l. 6. c. 1. [2] De Cœnob. Instit. l. 5. c. 10. [3] Ibid. c. 11.

"Ut oleum," inquit, "mare etiam invitum facit tranquillum, sic jejunium nolentia quoque ac reluctantia corporis incentiva restinguit."[1] Idemque ait: "Qui fornicationis spiritum vincere vult, dum ventri obsequitur, perinde facere ac si oleo flammam extinguat." Hoc abstinentiæ remedio adversus libidinem usi sunt plerique Sanctorum, quos non necesse habeo singulos nominare. Hoc Hieronymus, qui ad Eustochium ita de se scribit: "Pallebant ora jejuniis, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam." Hoc ante ipsum Hilarion, cujus adolescentia, cum carnis titillaretur aculeis, sibi ipsi vehementer iratus: "Ego te," inquit, "aselle faciam, ut non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis; fameque, ac siti conficiam." Nec aliter, quam minitatus est, fecit; "herbarum enim succo, ut Hieronymus scribit, et paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat." Narrat etiam B. Jordanus de sene quodam, qui cum fratrem conquerentem audisset, quod pravis cogitationibus oppugnaretur: "Ego," inquit, "nunquam istiusmodi cogitationibus oppugnatus sum." Cum ille miraretur, ac potius offendi eo dicto, tanquam hominis arrogantis, videretur, tum senex: "Nimirum ego," inquit, "ex quo factus sum monachus, nec pane, nec aqua, nec somno satiatus unquam sum."

Id quod ad potum attinet, idem B. Hieronymus hoc Eustochio virgini dat consilii, ut suo exemplo vinum pro veneno fugiat. "Si quid," inquit, "in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno." Et mox: "Vinum et adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus! Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?" Quod consilium maxime ad juvenes spectat; nam, ut idem ait ad Furiam: "Non Ætnæi ignes, non vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ

[1] Grad. 27.

vino plenæ et dapibus inflammatæ; ut mirum non videatur cur Paulus dixerit: "In vino est luxuria."[1] Ideoque parce, ac ne parce quidem adolescentibus attingendum. Diadocus etiam: "Cum mens," inquit, "nostra in fluctu largi potus natat, non solum libidinose intuetur simulacra, quæ per somnum dæmones figurant, sed in se ipsa quasdam formas pulchras fingens, visis suis tanquam quibusdam adamatis utitur ardenter. Tepefactis enim ardore vini illis partibus corporis, quæ ad generandum datæ sunt, necesse omnino ut mens sibi umbram libidinis cum voluptate repræsentet."[2]

Alterum castigandi corporis genus est per vigilias somnique incommoditatem; somnus enim, in quo calor ad externas corporis partes manat, insidiatur pudicitiæ, ac propterea appellatur a Cassiano: "deceptor fraudulentissimus puritatis, et æmulus contrariusque castitati;" Et Climacus ait: "Somnum viam parare spiritui fornicationis. Idemque ad evincendam carnis labem commendat stationem immobilem totis noctibus, scilicet ut somnus stando, non quiescendo, capiatur."[3] Et "Exterioris," ait, "incendii genitricem in primis esse immodicam requiem."[4] Recte igitur a Paulo hæc duo junguntur simul: "Non in cubilibus et impudicitiis;"[5] quia somnolentiam mollitiemque strati comitatur plerumque carnis tentatio. Hinc igitur apud Sanctos olim Chameuniæ, seu humi cubationes, aut vestitorum non nudorum corporum dormitiones, ad arcendam ex incommoditate quietis libidinis flammam. Ac de Hieronymo quidem sic Augustinus in Epist. ad Cyrillum, "stratum alium nisi terram nescivit." Imo de se ipso sic idem Hieronymus ad Eustochium: "Si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo ossa vix hærentia collidebam." Et de Hilarione scribit, eum super nuda humo stratoque junceo ad mortem usque cubitasse; et id ipsum de Paula Romana memoriæ

[1] Eph. 5. [2] Diad. c. 49.
[3] Grad. 19. [4] Grad. 15. [5] Rom. 13.

prodidit. Porro Benedictus præcipit in regulis, ut cum veste quisquis decumbat, non tam ut ad surgendum mane, ad vigilias matutinasque preces sit expeditior, quam ut castimoniæ puritatique corporum melius consulatur; ut in eum regulæ locum docet Turrecremata.

Tertium macerandi corporis genus est per flagella et inusti doloris aculeos, qui doloris sensus sensum libidinis aufert. Quo præsidio scimus usos in carnis oppugnationibus tum B. Benedictum, cum se in urticarum spinarumque versavit aculeis; tum B. Franciscum, cum se aut diris verberibus accipiebat, aut in algore nivium nudo corpore volutabat. Hieronymus de se ipse non dubitat confiteri se non prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas; intelligit autem id temporis, cum libidinum incendia bulliebant, ut paulo antea dixerat ad Eustochium. Hoc nimirum est quod de eo scribit Augustinus ad Cyrillum: "Ter in diem carnem diris verberibus flagellabat, ita ut ex ejus corpore rivi sanguinis effluerent;" verbera fortasse pectoris, quod tundebat, intelligit. Nam flagellorum et disciplinarum, quas vocamus, usus per id temporis nondum erat, ut docet Gerson Parisiensis. Alios etiam aliis se affecisse doloribus ad restinguendos libidinis ignes non ignoramus, ut qui, nocte una, digitos omnes ad lucernæ flammam tentatione urgente combussit, de quo nos supra ex Vita Patrum.

Quarta macerandi corporis ratio per labores; si carnem atterunt, et quidem universam, non partem aliquam, ut cæteri dolores et flagella. Exemplo nobis sit Macarius ille, qui media nocte saccum sabulo plenum suis humeris per solitudinem bajulabat, interrogatusque respondebat: "Vexo vexantem me," carnem suam scilicet describebat, quæ pravis inhians voluptatibus spiritum illum castum purumque vexabat.

Quinta est cilicinam vestem et asperiorem cultum. "Nam," ut ait Bernardus, "sicut asperior cardo pannum facit leniorem, sic asper habitus carnem facit castiorem."

Hoc præsidio castitatis idem B. Hieronymus se usum scribit. Horrebant sacco membra deformia, et squallida cutis situm Ethiopicæ carnis obduxerat. Quod idem de eo confirmat Augustinus ad Cyrillum; et Climacus: "Summum," inquit, "adjutorium, scilicet oppugnationis tempore, præstabit cilicium et cinis. Ad asperitatem cilicinam refertur omnis asperitas cultus, quo scimus Sanctos omnes maxime delectatos, et multos religiosos uti solitos laneis vestibus, non linteis, ad arcendum carnis luxum, tollendamque mollitiem inimicam castitati.

Postremum castitatis adjumentum est assidua cordis custodia, ut huc spectare videatur præceptum illud Sapientis: "Omni custodia serva cor tuum."[1] Custoditur autem cor iis declinandis fugiendisque, quæ ei nocent. Nocent autem præcipue duo: otium, et pericula quæ imminent; ergo hæc duo maxime fugienda sunt. Fuga otii triplici occupatione continetur, ut ex Sanctis accepimus: piarum rerum meditatione; lectione præsertim Scripturarum; et opere manuum. His quippe tota monachorum vita constabat, quibus occupati nullis vacabant cogitationibus pravis. Ac de meditatione quidem jam diximus. De lectione autem Scripturarum sæpe Hieronymus, præsertim ad Rusticum: "Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis." Demetriadi quoque certas legendæ Sacræ Scripturæ constituit horas, non modo ad delectationem et instructionem animæ, sed ut infra significat, etiam ad custodiam castitatis. Et B. Gregorius ait: "Quemlibet exempla Patrum, ac Scripturarum præcepta considerare debere, ac sic illis mentem occupare ut lasciviæ inquinamenta non spectet."[2] De opere autem manuum idem Hieronymus ad eandem virginem cum dixisset: Habeto lanam semper in manibus; et talia hujusmodi manuum opera, quorum occupatione distineri posset, enumerasset, subdidit: "Hæc observans, et te ipsam salvabis et alias, et eris magistra sanctæ conversationis,

[1] Prov. 4. [2] In 1. Reg. lib. 6.

multarumque castitatem lucrum tuum facies; Scriptura dicente: "In desideriis est omnis anima otiosi." Nec idcirco ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges, sed ideo cum omnibus laborandum est, ac per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitutem. Et Augustinus: "Omnem otiositatem," inquit, "expellite, semper aliquid boni facite, et quem tædet orare vel psallere, manibus operari non differat; cogitantes quod quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit ei luxuria. Salomon, cum occupatus fuit in ædificatione templi, non sensit luxuriam."[1] Huc revocari potest omnis alia mentis aberratio, sive sponte suscepta, sive ab aliis orta; ut exemplo esse potest adolescens illis in Vitis Patrum, qui jurgiis et conviciis ab aspero quodam duroque fratre, abbatis jussu, vexatus, liberum se a diuturna carnis molestia ac titillatione persensit. De quo etiam Hieronymus ad Rusticum monachum.

Fuga periculorum et occasionum tribus item rebus potissimum continetur, nempe tribus periculorum generibus declinandis. Prima sunt ea quæ creantur ex sensibus. Secunda, quæ ex injuria mentis, maleque custodiendis cogitationibus suis. Tertia, quæ ex locorum, temporum, et personarum opportunitatibus oriuntur.

1°. In sensibus enim vehemens quædam illecebra, magnumque violandæ castitatis discrimen inest, nisi custodiantur; mors quippe intrat per fenestras. Ideoque ii præcipue sensus custodiendi sunt: oculi, manus, lingua, seu etiam aures. Oculi quidem: "Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt."[2] Idcirco David cecidit, ut nemo nescit, quia Bethsabeæ captus est nuditate; de quo sic Augustinus: "Proponunt sibi causam David (sancti viri) et ad hoc illum magnum cecidisse vident, ut parvi nolint videre unde pos-

[1] Ad Fratres. Ser. 17. [2] Eccl. 9.

sint cadere." [1] Propterea idem in regulis ita suos admonet patres: "Oculi vestri, et si jaciuntur in aliquam feminarum, figantur in nullam." Nec vero aliter ipse faciebat, qui in suis Confessionibus ita dicebat: "Resisto seductionibus oculorum meorum ne complicentur pedes affectus mei, quibus ingredior viam tuam Deus meus." In hoc genere insignis fuisse perhibetur, paucis ante seculis, B. Rogerius, qui suos oculos ita custodire solitus est, ut ne in senectute quidem in muliebres vultus oculos figeret, ac ne matrem quidem patiebatur aspicere, summa jam senectute confectam, parique præditam sanctitate. Narravit ipsemet sacerdoti illi, quo ad confessiones peccatorum utebatur, nunquam se toto triennio feminam aspexisse. Cui cum respondisset confessarius: Et quid causæ est, cur tam alienus ab omni libidinis voluptate cum sis, ita tamen vultus muliebres reformides, præsertim earum, quarum congressus atque colloquia sive earum virtute, sive etiam necessitatis lege, vitare non possis. Cui prudentissime dicitur respondisse vir sanctus: Quoties homo quantum in se est laborat pro studio castitatis, et peccatorum occasiones amputat, nec se temere conjicit in pericula, tum Deus quoque, quod suum est, facit, et a peccatis hominem protegit. Cum quis autem in aperti se peccati discrimen offert, ejus præsertim quo depravatæ naturæ vitio proclivis est homo, tum æquum est ut sibi suisque viribus relinquatur; quæ quidem solæ, ne ad punctum quidem temporis, satis sunt ad repugnandum vitiosæ corruptæque naturæ.

Propterea sancti viri, cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina restinguunt, ne pravæ cogitationis visio lenocinata famuletur, ut ait B. Gregorius. Et legitur etiam in Vitis Patrum de eo, quem de itinere in quo moniales aspexerat declinantem, vel ex hoc ipso minus diligentem in custodiendis oculis

[1] In Psal. 50.

abbatissa coarguit, ejus enim fuit illa vox: Si perfectus monachus esses, non ita nos aspexisses ut feminas posses agnoscere.[1] De continendis etiam oculis cum in elegantes adolescentulos incidunt, sic Ephræm: "Si contingat cum adolescentibus colloqui ætate et aspectus venustate florentibus, custodi oculos tuos ne concupiscentia mentem tuam conturbet." Quid quod in nobis etiam ipsis oculorum tenenda est verecundia, "ut ne quis se talem secretus aspiciat, qualem se videri ab hominibus erubescit;"[2] et confirmat Ephræm: De patientia et compunctione. "Ne proprium," inquit, "corpus fas est eum, qui in virtute exercetur, contueri." Quod quidem scimus a B. Antonio factitatum, qui ne sui quidem corporis nuditatem, cum flumen ei Lycus transeundum esset, passus est intueri, ut Athanasius refert in Vita. De hac verecundia aspiciendi sui, ut etiam tangendi, Bernardus ex Ambrosio: "Quam impudentes," inquit, "sunt, qui has secretas partes corporis, non solum desiderantes cernunt, sed etiam studiose tangunt?"[3] Et Clemens etiam monet continendos esse oculos a secretioribus corporis partibus contemplandis.[4] Tactus vero plenus etiam ipse periculi custodiendus est; nam præter id quod de B. Leone supra diximus, in quo feminæ osculum subsecutum est ingens carnis incendium, scribit B. Jordanus se novisse quendam magnæ existimationis virum, eundemque castissimum, qui, ex tactu pulsus ægrotantis feminæ, ita oppugnari et cogitationibus et motibus libidinis cœptus est, ut ad mortem usque oppugnatio illa nunquam conquieverit.

Ideo alios se novisse dicit, qui, si forte necessitas tangendæ feminæ incidisset, noluissent id nisi interposita veste facere, quod de quodam alio scribit etiam Climacus: "Admoneat te is," inquit, "qui matris manui pallium circumdedit." Custodiendus autem maxime hic sensus est,

[1] L. 3. c. 46. [2] Coll. 12. c. 8. [3] Tract. de Ord. Vitæ. [4] Sec. Pædag.

quoties eos qui sensu amamus alloquimur, vel cum eis una versamur; amor enim impellit ad tactum, quia amoris est non solum animos, verum etiam corpora una conjungere. Ideo sapienter cautum est lege nostra, ne quis vel joco alterum tangat, ut etiam Pachomii regula: "Manum alterius nemo teneat, uno cubitu distet ab alio." Et Basilius in Asceticis: "indumentis juvenis tua ne conjungas;" imo vetat in ea sedere sella, ubi is paulo ante quieverit. Eadem de tactu præcipit Dorotheus.[1] Cassianus quoque: "summa observantia custodiri solitum apud Ægyptios monachos, ne quisque cum alio, ac præcipue juniore, vel ad punctum temporis substitisse, aut uspiam secessisse, aut manus suas invicem tenuisse deprehendatur."[2]

Quod autem ad linguæ sensum auriumve pertinet, colloquia haud dubie minus honesta periculosa sunt, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava; et, ut Marcus ait anachoreta: "Audiendi aliena flagitia voluptate flagitiorum quoque characteres aluntur." Et B. Augustinus: "Si ei sermo fuerit cum aliquo, semper metuat aliquid audire, quod vel modicum serenitatem castitatis obnubilet; deserendam se a gratia non dubitet, si vel unum verbum contra honestatem proferat."[3] Curandum est igitur non modo omnes libidinis motus, verum etiam omnes obscœnæ locutiones, ut Gregorius ait in prima regula, perimantur in corpore. Quamvis autem religiosus quisque apertam verborum licentiam lasciviamque vitare studeat, occultam tamen interdum non omnes vitant. Ideoque in bonorum etiam collocutionibus potest latere fraus, ut supra significavimus, quamvis recta et casta mens videatur. Primum quidem latere periculum solet, si, exorto de pudicitia sermone, ad earum rerum nomina, quæ contra pudicitiam sunt, imprudenter quidem aliquando, sed tamen natura labente veniatur. Quare sanctus Ephræm de quibusdam sic ait: "Quia de continentia verba facientes, ac de ea merito legentes a turpi passione non recedunt, et

[1] Ser. 20. [2] De Cœnob. Instit. l. 2. c. 15. [3] Ad Soror. c. 23.

mox intemperanti libidine victi, frequenter, cum de pudicitia disserere incipiunt, animum ad dissolutionem et exterminationem ejusce virtutis appellunt." Ideoque idem alibi: "Necessarium est," inquit, "novitiis religiosis, ut rarissime de cogitationibus secretis inter se conferant atque confabulentur; quoniam ipsa recordatio rei motum, qui non erat, generat, sordes menti reconcilians.

Latet etiam periculi fraus si, dum libidinis vitium in alio carpitur, de ipsius vitii reprehensione blanda quædam delectatio captetur, ut supra etiam monuimus. Quin etiam cum Sacras Literas legunt adolescentes, et incidunt in ea quæ motum possunt excitare libidinis, immorari in eorum lectione nequaquam debent, sed percurrere, et ad alia confestim, et nulla interposita mora, properare. Deinde, si inter loquendum amatoria verba misceantur, aut conferatur mutuus inter amicos amor; ait enim Bonaventura: "Carnalis amoris esse de mutua dilectione insatiabiliter ruminare;" et alibi ait eos, qui hoc amore se amant, reserare sibi invicem solitos esse immensum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant. Quisquis igitur castitatem adamat, hos sermones nec introducat ipse, nec introductos æquis auribus audiat. Hactenus de periculis sensuum externorum.

2°. Nunc de interioribus cogitationibus. Alterum igitur periculorum genus ex cogitationibus nimium oritur, quæ nisi mature et tempestive pellantur, magno animæ periculo libidinem excitant. Recte enim Gregorius: "Sæpe quis invitus et incautus ad immundas cogitationes trahitur, sed ea, quæ negligendo intus cogitat, carnem foris excitant ut ad turpes motus voluptatis surgat."[1] Et, ut idem ait: "Non potest quidem tolli mente quod aliquo modo immunda non videat, sed in mirabilem usum puritatis deducitur, ut immunda videns nulla delectationis labe maculetur. Ideoque præcipit sanctus Doctor pravas cogitationes tanquam lactentes parvulos abscindendas, quia "si motus,"

[1] In 1. Reg. l. 6. c. 1.

inquit, "turpis per cogitationem non pascitur, quasi negato sibi lacte, parvuli necantur."[1] Hinc apud Job dicitur secundum Septuaginta: "Myrmecoleo periit, eo quod non haberet escam;" hoc est, formica cogitationis non evadit in leonem nisi alatur et nutriatur, contra si alatur, efficit leo difficilis superatu. Quod etiam Apollonius præcipiebat abbas, cum suos quotidie monachos erudiret, ut insidias diaboli ex ipsismet cogitationum initiis repellerent. "Si enim," inquit, "draconis caput amputetur aut perstringatur, totum ejus corpus reddatur emortuum, et idcirco mandasse Deum ut caput serpentis, hoc est cogitationum observentur initia." De alio quoque memoriæ proditum est in Vit. S. Patrum, qui cum ne multis quidem et vehementibus cujusdam senis, cui se commendaverat, orationibus liberari stimulis carnis posset, admonitus est senex ille divinitus idcirco in illo operam perdi, inanesque suas orationes esse, quia cogitationes, quibus ille repugnare omni ope debuerat, potius aleret ac foveret. Quare fratrem senex ille conveniens: "Fieri non potest," inquit, "frater, ut aliis pro te orantibus fornicationis spiritus a te discedat, nisi et tu ipse pravis tuis cogitationibus pro viribus renitaris." Quod cum ille fecisset, tum demum libidinis stimulus conquievit. Hoc igitur tanti est, ut cuivis asperitati atque flagello Chrysostomus anteponit, sic enim ille in Matthæum: "Neque abscissio membri," inquit, "ita deprimit tentationes et tranquillitatem facit, ut cogitationis frenum." Sed quamquam cogitationes ipsæ sæpe sunt causa titillationis in membris, tamen interdum etiam ipsa membrorum commotio mentem commovat, et libidinis in ea umbras et simulacra depingit. Quod apud Climacum sensere quidam, Gradu de castitate, et idcirco omnis est initio adhibenda diligentia, tum in abigendis pravis cogitationibus, tum in reprimendis sedandisque libidinis motibus, quorum alterum ex altero oritur. Abiguntur illæ facillime suscipiendis bonis cogitationibus, ut ex Cassiano

[1] In 1. Reg. l. 6. c. 1.

supra diximus. Et Ephræm: "Oportet," inquit, "de turpibus rebus cogitationem assidua Dei recordatione amoliri.

Reprimuntur autem hi traducenda alio cogitatione atque mente, priusquam species ulla menti ipsi ex his motibus imprimatur. Quanquam autem, ut ait Climacus, excitantur hi motus omni dicto atque imaginatione celerius, nullamque hoc spiritu celeriorem occultioremque inveniri posse testatur; tamen videndum est (ut admonet Bonaventura) ne quod naturale est, vitiosum fiat. Sæpe enim libidinis motus naturales quidem sunt, sed vitiosi mox fiunt, cum voluntaria quædam delectatio subsequitur; aut vitiosa oriuntur ex causa, ut ex aspectu, collocutione, congressuque hominum, quorum præsentia delectatione quadam sensus afficitur. Ut de his sanctus Isaac Syrus quibus ait maxime mederi distantiam rerum scilicet quæ amantur, fugiendis occasionibus: "Nam distantia rerum," inquit, "concupiscentiam in membris mortificat, et oblivionem ac perditionem operatur in ipsis."[1] Ab hoc amore igitur potissimum avertenda mens est, eorumque recordatione quos sensu quodam amamus; nihil enim tam excitat motus illos quam ardor amoris, cum ex spiritibus quibusdam, ex corde manantibus, excitantur amoris ardore. Ideoque oblivisci nos oportet eorum, quos sensu quodam, ut dixi, et mollitudine tenerioris amoris amamus, si volumus nobiscum ipsis, hoc est, cum carne nostra pacem habere: "Concupiscentia autem, ut ait Augustinus, alterutro delectatur ardore, licet nulla violatio corporis consequatur, nulla macula." Congressus autem et furtivus aspectus multo magis fugiendi sunt, ut de personarum opportunitate vitanda infra dicemus. Sed de hoc secundo periculorum genere, deque ejus vitandi declinandique ratione, satis.

3°. Alterum restat periculorum genus, quod ex opportunitatibus loci, temporis, et maxime personarum creari solet. Quoad opportunitatem loci pertinet, solitudo præcipue

[1] L. de Contempt. mundi c. 37.

vitanda est, quæ malum omne suadet. Hic autem non de solitudine monachorum loquimur, in qua dicit Climacus solere aliquos oppugnari vehementius; sed de ea, quam in mediis etiam hominibus sæpe nanciscimur, ubi cum solis soli versamur, nullo teste arbitroque præsente. Ideo B. Hieronymus ad Nepotianum: "Solus cum sola non sedeat in secreto, absque arbitro et teste." Et B. Augustinus nunquam solus cum muliere loqui voluisse dicitur, etiam si quid afferretur arcani, sed semper fratrem aliquem vel clericum adhibebat. Quod ipsum nostrorum sacerdotum regulæ jubent, cum ad audiendas feminarum confessiones in earum domibus missi sunt; non enim permittunt comitem longiore intervallo distare, ne solitudo aut periculum animæ creet, aut suspicionem afferat criminis, famamque in discrimen adducat. Narrat quippe Bonaventura quemdam ex fratribus, missum ad audiendam mulieris confessionem, rogatum ab ea esse rem turpem, dabatque hanc illis solitudo licentiam, si castus frater muliebri libidini obsequi quam repugnare maluisset. Qui tamen veritus ne, dum negat, illa clamores tolleret, flagitiique reus, a quo longe aberat, putaretur, divino prope consilio admonitus elata ipse voce socium advocat, jubetque sibi Breviarium afferri; qui cum accurrisset, fracta est illico mulieris impudentia, et novo ejus ars elusa consilio, ut obmutesceret rubore perfusa. Temporis quoque opportunitas maxime vitanda est, nam ut ait Climacus, Gradu de Quiete: E dæmonibus alii aliis horis temporibusque molestiores nobis sunt, præsertim vero quietis tempus et noctis expectant. Idcirco cum in lectulo decumbimus, ut idem vir sanctus ait, tum maxime sobrii et vigilantes simus, tunc enim mens exuta corpore cum dæmonibus luctatur, et, si inveniatur addicta voluptatibus, in proditionem labitur. Memoria mortis tecum semper quiescat, tecumque simul evigilet, solaque semper ruminanda oratio Jesu; nullum enim adjutorium in somno his præstantius atque efficacius invenies.

Jam personarum opportunitas maxime omnium vitanda est, maxime feminarum: "Quæ," ut ait Hieronymus ad Oceanum: "Nocivum genus est femina; cum approximat stimulat, incendit ignem, flammigero igne percutit femina conscientiam. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Mihi crede, non potest inde cum Domino habitare, qui feminarum accessibus copulatur." Idemque ad Nepotianum: "Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant." Et mox: "Nec sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior." Et Sanctus Ephræm de abstinendo ab omni consuetudine perniciosa: "Si te ipsum trahi videris a cogitatione aliqua ad fruendum formoso aspectu vel pueri, vel mulieris, te laqueis inimici proximum esse noveris; sin admonitus quoque non desiteris, jam te laqueis irretitum agnosce, unde nec facile voluptatem vinces. Si enim ex ipsa te noxia controversia eximere nequivisti, quomodo te non volet adversarius, vel ex hoc tuo actu, jugulare? Quod si dixeris conversor equidem, sed detrimentum inde non patior; et hoc male affecti animi indicium est, quo enim pacto fieri potest ut quis in prunis deambulet, et plantas pedum non comburat?" Sed cum omnis consuetudo mulierum vitanda est, tum spiritualium; quia, ut ait B. Augustinus, quo sanctiores fuerunt, eo magis alliciunt, ideoque vult cum omnibus brevem ac rigidum haberi sermonem, nec tamen, quia sanctiores fuerint, ideo minus eas cavendas. Imo affirmat se vidisse sub hac specie, cedros Libani, id est magnos ecclesiæ antistites cecidisse. Idcirco nunquam ipse ne cum sorore quidem passus est habitare, ut narrat Possidius in Vita. Idemque admonet Bonaventura.[1]

Fugiendus est etiam congressus conspectusque adolescentulorum, quia, ut Basilius ait, "Sæpe fit ut adolescentioribus corporibus per ætatem insit florida colorum ele-

[1] De Purit. Conscien. c. 14.

gantia, et affectionis occasionem colloquentibus exhibent."[1] Et Ser. De abdicatione rerum hujus vitæ: "Juvenis," inquit, "sive ætate sive animo fueris, æqualium tuorum consuetudinem fugito, ab illisque te, non secus atque ab ardentissima flamma, abducito procul, quandoquidem illorum opera usus adversarius, plerosque olim incendio dedit." Lege reliqua. Et sanctus Ephræm de Vit. Spir. ad amicum: "Cave a nimia," inquit, "juvenum consuetudine; multi enim corrupti sunt, et contempti ac stulti evaserunt." Et beatus Isaac Syrus: "A fiducia juvenum et allocutione fuge, sicut ab amicitia diaboli."[2] B. Dorotheus: "Adolescentulorum colloquia et amicitias fuge, ut amicitiam diaboli;"[3] et, "Bonum est monacho, proficere cupienti, non admodum affici erga æqualem, solet enim hujusmodi consuetudo fletum et fervens animi propositum plerumque extinguere."[4]

Maxime vero earum personarum congressus consuetudoque fugienda, quibus cum nobis est aliqua sympathia et similitudo sanguinis ac naturæ; etiam si amor, qui jam est ortus, spiritu et virtute niti videatur, ex his enim facillime amoris ardor incenditur, aut renovatur incensus. Ideo harum non modo congressus, verum etiam aspectus omnis, sive feminæ, sive adolescentuli fuerint, diligentissime cavendus est; etiam si, ut dixi, amicitia et sympathia orta ex spiritu videatur. Quia, ut ait Bonaventura, sæpe mutatur amor, qui primo bonus et spiritualis videbatur; et, cum discretionis et sobrietatis metas excesserit, in carnalem transit. "Quia astutus," inquit, "diabolus primo occultat tentationis laqueum, donec amor increscat et tenax fiat, sicut viscus quo capiuntur aviculæ. Eademque fere docet: De puritate conscientiæ. Quamquam autem amor ille, qui sensu nititur, honestus videri potest, quoniam ad actionem pravam minime spectare videatur, tamen tenendum est memoria Augustini dictum in Speculo: "Intactis etiam ab immunda violatione corporibus, fugit

[1] Ascet. c. 1. [2] C. 45. [3] Ser. 20. [4] Ser. 21.

castitas ipsa de moribus."[1] Bonaventura quoque dicit: Maximum igitur præsidium positum est in fugiendis personarum opportunitatibus, et periculorum occasionibus, ei qui ad perfectæ castitatis laudem decusque nititur. Quia, ut sancti Patres docent, cæteris vitiis animique morbis plerumque resistendo, at libidini non tam resistendo, quam fugiendo, superiores evadimus. Ideo recte aiunt a Paulo dictum: "Fugite fornicationem," cum ad Corinthios scriberet, potius quam resistite. Et Aristoteles in Ethicis præcipit ad venerearum delectationum cupiditatem debere homines se habere, sicut Troiæ senes ad Helenam; quæ cum propter eximiam pulchritudinem multorum esset illecebra, decreverunt senes illi, ut eam præco in itinere præcurreret, qui ad obvios quosque clamaret: Fugite, fugite, Helena venit; tantum philosophi illi in una fuga ponebant. Atque ita demum omni custodia cordis aditus observantur, ne quid castitati noxium erumpat et violet templum Dei, quod sumus nos. Id quod erat postremum ad eam tuendam conservandamque præsidium; atque hæc, tum de viis mediisque quibus ad eam nitendum, ut Pater noster præcipit; tum de universa hac castitatis disputatione interpretandæ Regulæ causa suscepta, videatur sint satis.

[1] Spec. Anim. c. 3.

OPUSCULUM DUODECIMUM.

DE DISCIPLINA MENSÆ JUXTA SUMMARII REGULAM 30. EX 3. PARTE, C. 1. § 5.

"In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia, et decentia interius et exterius in omnibus observetur. Præmittatur benedictio et sequatur actio gratiarum," &c.

Ad mensæ disciplinam tria Constitutio requirit: 1°. Cibi sumendi rationem; 2°. Benedictionem actionemque gratiarum; 3°. Lectionem spiritalem, quæ sit pabulum animorum.

§ 1.—DE CIBI SUMENDI RATIONE.

Ratio sumendi cibi ex Constitutione triplici laude contineri debet: temperantia, modestia, et decentia. Quanquam enim decentiæ nomine comprehendi etiam temperantia et modestia potest, si quidem vox decoris seu decentiæ patet latius; tamen, majoris explicationis gratia, a duabus eam prioribus secernemus, et quidquid, præter temperantiam et modestiam, ad honestatem moremque vescendi referri potest, decentiæ nomine comprehendemus. Jure autem tribus hisce virtutibus constare debet edendi ratio, quia tribus præcipue modis in mensa delinqui potest. Primo quidem, cum cibi mensura non tenetur, et ideo Constitutio temperantiam exigit. Secundo, in compositione situque membrorum, et ad hoc modestiam præcipit. Tertio, in eleganti, pura, et bene morata vescendi ratione, et propter hoc decentiam requirit; et hanc quidem cum interiorem, tum exteriorem. Nec enim satis habet

P. Ignatius nos externæ tantum servire decentiæ, nisi ab interiore proficiscatur exterior; ex interiore quippe animi affectu, potius quam ab optima quadam institutione, manare debet honesta, pura, atque elegans vescendi ratio; ut infra etiam dicemus. Sicut et temperantia et modestia ab interiore animi affectu ipsæ quoque prodire debent, ut veræ solidæque sint, nam hoc quod addit Constitutio: "interius et exterius," non tantum ad decentiam, verum etiam ad duas priores, temperantiam inquam et modestiam, referre possumus. Omnis quippe virtus in Societate, si ex Constitutionum præscripto nutuque vivimus, magis interior, quam exterior, esse debet.

Dicamus igitur de singulis; et primum de prima, hoc est, de temperantia. Temperantiam autem hoc loco non eo modo accipimus, quo accipit et intelligit Hugo, quam in eo tantum videtur ponere, ut tractim et sine festinatione quis comedat.[1] Id enim nos ad decentiam potius quandam revocabimus; sed temperantiam, ut diximus, appellamus modum quemdam atque mensuram in cibis, quæ est inter nimium et parum, quam, non edendi voluptas, sed naturæ necessitas statuit. Hanc Bonaventura paucis expressit, cum ita dixit: "De mensura vero comedendi difficile est dare certam regulam, nisi quod inter duo semper medium teneas."[2] Nimirum temperantiæ summam attigit, qui utrumque vitat extremum. Virtus enim, cum sit, medium scilicet obtinet, ut virtus omnis moralis. Tertullianus: "Editur," inquit, "quantum esurientes capiunt: hæc est cujusque mensura, fames et esuries."[3] At multi, etiam hac sedata atque restincta, mensis incubant et ultra captum capiunt. Quam sit autem in religiosorum mensis temperantia tum utilis, tum necessaria, nihil attinet dicere. Nihil enim sic salutem, ut Chrysostomus ait, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat ut moderata refectio.

[1] De Instit. Novit. c. 21. [2] De Instit. Novit. p. 1. c. 8.
[3] In Apolog. c. 39.

Sed de hujus commodis, quæ plurima sunt, disputare non est hujus loci, alibi quam ea, quæ ad tuendam valetudinem, et ad religiosæ vitæ rationes studiaque accommodata sint explicavimus.[1]

Nunc quod hujus loci proprium est, id tantum breviter indicabo, quam ea sit præclara ad famam decusque religiosi nominis, seu potius, quam indecora et turpis intemperantia. Vilis enim habetur religiosus ubique, cum sibi in mensa parcere atque imperare non potest, præsertim apud externos et seculares, qui graviter offenduntur cum vident hominem Deo deditum, et quem tanquam aliquem de cœlo lapsum minimo cibo arbitrantur egere, buccas et maxillas implere. Vitium autem intemperantiæ ex se maxime exprobrabile est, ut ait in Ethicis Aristoteles.[2] Exprobratio porro, ut docet S. Thomas, honori et gloriæ videtur opponi, quorum alter excellentiæ debetur, altera claritatem quandam designat ac notat.[3] Ex quo fit ut intemperantia duobus nominibus sit exprobrabilis; partim quia hominis excellentiæ dignitatique adversatur, cui cum brutis edendi delectatio communis est; partim quia ejus pulchritudini ac claritati valde officit, quatenus in delectationibus intemperantiæ minus vis rationis elucet. Ex ratione autem omnis existit claritas et pulchritudo. Quod si id in omni hominum genere verum est, multo magis in religiosis, et iis qui cultui se dedere Divino. Nobis enim, ut ait Clemens, cibum cœlestem venantibus, necesse est ventri, qui sub cœlo est, imperare, et iis quæ ei grata sunt.[4] Ideo Ecclesiasticus ita nos admonet: "Ne comprimaris in convivio. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso;"[5] hoc est ex tuo in heluonis affectu. Quemadmodum enim tu asotos et intemperantes ferre non potes, ita ne alii quidem, sed justo odio eos habent, propterea subjicit: "Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne cum man-

[1] Opusc. de rat. hab. valet.; Opusc. de gulæ vitio. [2] Lib. 3. c. 2.
[3] Sum. q. 142. a. 4. in c. [4] Pædag. lib. 2. c. 1. [5] Eccl. 31.

ducas multum, odio habearis."[1] Augetur autem intemperantiæ turpitudo in homine religioso, quia præter professionem suam facit; turpe est enim eum, qui in schola virtutis suis cupiditatibus repugnare condiscit, ab edendi voluptate superari; et qui dominum se suarum appetitionum profitetur, gulæ dominari non posse. Hinc autem existimat B. Dorotheus posse quempiam de sua virtute conjicere, si cum accubuerit, sese possit a nimiis epulis continere, et si diversa nactus fercula, non se totum ingurgitet, et ad vomitum expleat.[2]

Sed cum omnis intemperantia religioso homini turpis est, tum intemperantia vini turpissima; quia, ut ait Bonaventura, vitium hoc hominem coram Deo et hominibus vilem reddit;[3] ideoque eo majore animi provisione declinandum, quo magis ex vini copia temperantiæ bonum periclitatur. Neque enim apud nos vinum præbetur ad mensuram, sicut cætera obsonia. Quod forte Benedictum impulit ut etiam in vino paneque mensuram constituerit suis; quippe intemperantiam veretur aliquam aut crapulam, qua christiano homini nihil magis putat esse contrarium.[4] Et Clemens eos admiratur et laudat, qui moderatæ vitæ medicamentum aquam appetunt, vinum autem, tanquam ignis minas, quam longissime fugiunt; placetque ei ut tenera ætas vino abstineat, cum sit omnium humidorum calidissimum, perinde enim esse ei vinum infundere, ac si quis ignem in ignem derivet.[5] Qui vero ætate provectiores sunt, iis permittendum vinum putat ad ætatis refrigerationem, quæ tempore quodammodo emarcescit; optimum tamen esse aqua plurima miscere vinum, et non ipsum tanquam aquam requirere. Propterea quod ambo Dei opera sunt, et ea ratione conducat valetudini utriusque mixtura; quoniam ex eo quod est necessarium, id est ex aqua, et ex eo, quod est utile, id est vino, vita consistit. Addit et intemperatæ perpo-

[1] Eccl. 31. [2] Ser. 16. [3] Spec. Disc. p. 4. c. 6.
[4] In Reg. c. 49. [5] Pædag. l. 2. c. 2.

tationis incommoda, ut legenti planum est. Quod si Paulus Timotheum episcopum, et qui ex stomacho laborabat, modico tantum vino uti jubet, potabat enim aquam; quanta est moderatione religiosis, præsertim valentibus, usurpandum? Et qui aquæ potu dumtaxat utuntur, iis quoque Clemens modum quendam et temperantiam præcipit: "Neque enim," inquit, "aqua nimium profuse impleri convenit, ne obruatur putrimentum." Omninoque consulendum moderatione potus valetudini censet de sententia cujusdam Cornarii, Lib. de longa vita, qui existimat oportere eo usque potum præberi corporibus, donec humectentur cibi, ut nobis vitam paremus longiorem. Sed de potus cibique temperantia, pro ratione loci, satis superque.

Quam tamen ipsam non mediocriter adjuvabit, si eam non foris dumtaxat atque in oculis hominum teneamus, ut qui videri ab iis ventri dediti et gulæ nolimus; sed demus operam, ut eam multo magis interius, quod Constitutio nostra significat, adhibeamus; hoc est ut interiori cupiditati ponamus modum, et paucis contenti esse discamus. Sic enim Dorotheus præcipit: "Debet, qui comedit," inquit, "cibum cum gratiarum actione recipere, et se quasi indignum existimare refectione hujuscemodi."[1] Et Bonaventura: "Cum gratiarum," inquit, "actione sufficiat habere quod potes. Et semper velis penuriam aliquam potius sustinere, quam plus abundare."[2] Et hanc demum frugalitatem a Paulo significatam:[3] "Sive comedatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite,"[4] putat Clemens, quia qui gloriam Dei spectat, in sumendo cibo necessitatem non voluptatem sequitur. Ut significat etiam Basilius: "Jam modestia quoque in religiosa mensa requiritur, quæ quidem etiam ipsa patet latius, et ad omnem bene moratam vescendi rationem pertinere potest."[5] Sed quo districtius disserantur omnia, de ea hic agemus, ut in

[1] Ser. 15. [2] De Instit. Nov. p. 1. c. 8. [3] 1. Cor. 10.
[4] Pædag. l. 2. c. 1. [5] In Reg. brev. 196.

membrorum compositione versatur, nam id significare potissimum modestiæ nomine Constitutio videtur.

Quoniam autem in omnibus hanc servandam Constitutio ipsa jubet, descendendum nobis erit ad minuta quædam, quo etiam gravissimorum Patrum descendit auctoritas; ab eorum quippe fontibus hauriemus quidquid fere in hoc genere præcipiemus. Et si pauca nos quidem de multis, sed tamen unde conjici de reliquis ac similibus possit. Modestiam igitur in mensa servabimus, si membris omnibus moderemur, præcipue vero versari in his quinque corporis partibus hæc virtus debet. 1°. In moderatione capitis et cervicum. 2°. In moderatione oculorum. 3°. In moderatione oris et linguæ. 4°. In moderandis manibus brachiisque. 5°. Denique in moderando toto corporis trunco.

1°. In moderatione capitis et cervicum, ne vel nimia capitis inclinatione, tamquam pecudes, projecti videamur ad pastum, vel conversione colli motuque minus decoro levis arguamur ingenii. Ideo Clemens: "Cum de vitiis quibusdam, malisque moribus in convivio vitandis præcepisset, tandem ad cervicum motum ita descendit. Sit gravis quoque aspectus, collique conversio ac motus honestus et decorus."[1] Et supra: "Sæpe," inquit, "moveri, habitumque et figuram mutare, signum est levitatis." Idemque monet, eodem loco, ne videri velimus tanquam feræ cibis hærere, ideoque præstat inter edendum erecto esse capite, non inclinato.

2°. In moderatione autem oculorum, ne eos vagari patiamur, aut in convivas eorumque cibos conjiciamus; id enim est, et nimiæ aviditatis in cibis, et illiberalis educationis indicium. Quam oculorum modestiam, dum cibum sumimus, plurimum commendant Sancti. Ac beatus quidem Pachomius in regula, quam per angelum a Deo accepit, ita monet: "Ne circumspicias vescentes alios, unusquisque præpositorum docebit in domo sua

[1] Pædag. l. 2. c. 7.

quomodo debeant cum disciplina et mansuetudine comedere."[1] Et Hieronymus: "Nequaquam avidi et vagabundi oculi per discumbentes huc illucque vagando, hanc vel illam, magis vel minus denotent comedentem."[2] Et B. Isaias: "Inter vescendum oculos tuos in proximum ne conjeceris, neve respicias huc illuc." Bonaventura autem tanta nos oculorum continentia vult esse, ut quis nobis assideat, vel quid agat, habeatque apud se, penitus ignoremus.[3] Quod ad unguem Ægyptii monachi servabant, ut scribit Cassianus, idemque quid sit in mensa delicatius vetat inspicere. "Nec vagis," inquit, "oculis et inquieto corde, circumspicias quod sit in mensa delicatius, nec ante quæras satiare oculum, quam palatam."[4] B. etiam Vincentius: "Statue," inquit, "pactum tecum omnino, ut nullo modo circumspicias comedentes."[5] Quod quidem cum inter edendum immodesti hominis est, tum maxime inter bibendum. Clemens: "Nec ante quam biberimus oculos indecore se gerere cogemus; est enim immoderati atque intemperantis oculos tantisper continere non posse, dum poculum hauris."[6]

3°. In moderatione oris et linguæ cerni debet eadem virtus, atque hic tria potissimum cavenda sunt vitia. Primum, ne sit enormis hiatus oris cum porrectas excipit dapes, id enim ferarum potius est, quam hominis ratione utentis; ita Clemens. Secundum, ne intempestivus risus erumpat qui solutum animum indicet. Et quidem huic vitio suam statuit Pachomius pœnam: "Si quis," inquit, "vel locutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam;"[7] et in eodem loco: "mox increpabitur, et stabit donec surgant alii de vescendo." Et Clemens: "Oportet et profusum risum arcere, scilicet in mensa;"[8] de hoc enim ibi agit. Postremo, ne quid verborum, dum cibum in os inserimus, proferamus; ac ne mussitemus quidem.

[1] Reg. 11. [2] In Reg. Mon. c. 34.
[3] De Instit. Nov. p. 1. c. 8. [4] Inst. l. 4. c. 17. [5] Tract. Spir. c. 7.
[6] Pædag. l. 2. c. 2. [7] Reg. 11. [8] Pædag. l. 2. c. 7.

Rationem reddit Clemens: "Quia inter mandendum indecora fit vox, nec satis expressa atque significans, ut quæ plenis maxillis in angustum coercetur; et lingua, quæ nutrimento premitur, a naturali operatione præpedita oppressam edit prolationem."[1] Hoc intellige apud externos, cum loqui licet. Nam apud nos in nostris cœnaculis ne mussitatio quidem permittitur; arctum enim sancti Patres in his locis silentium imperant, ut ne necessaria quidem petendi in potestatem faciant. Quod de Ægyptiis monachis ita scriptum reliquit Cassianus: "Apud Ægyptios, vel maxime Tabennensiotas tantum silentium ab omnibus exhibetur, ut cum in unum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus ne mutire quidem audeat præter eum, qui suæ decaniæ præest. Qui tamen si quid mensæ superinferri vel auferri necessarium esse perviderit, sonitu potius quam voce significat."[2] Quod ipsum Pachomii regula præcipit: "Si aliquid," inquit, "necessarium fuerit ad mensam, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitum dabit."[3] Et B. Benedictus: "Summum silentium fiat ad mensam ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Si quid opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce."[4] Hoc tamen hodie signum tabernarum potius videtur, quam religiosi cœnaculi; ideo satius est nutibus admonere ministros, ut regula nostra significat, aut etiam tenui voce, quam sonitu. Et Bonaventura: "Loqui vero seu mussitare ad mensam, ubi silentium est servandum, turpe vitium est."[5]

4°. In moderandis manibus præseferenda modestia multis modis. Primum, ne promiscue in capiendis escis altera pro altera usurpetur; Basilius, De renuntiatione vitæ: "Ad mensam ubi sederis, cave ne sinistra manus inhoneste se gerat, aut dextræ partes impudenter usurpet."[6] Secundum, ne in alienas portiones, aut ea quæ ante alios

[1] Pædag. l. 2. c. 1. [2] Instit. l. 4. c. 17. [3] Reg. 13. [4] In Reg. [5] Spec. Disc. p. 1. c. 21. [6] Ascet. Ser. de Renunt.

apposita sunt, injiciantur, præsertim cum in commune conferuntur obsonia. Ideo S. Dorotheus, De honesta compositione monachi: "Ne impudenter et irreligiose manum tuam extendas, ut quæ sunt ante fratrem tuum capias."[1] Et, "Interdum," inquit, "haud quaquam erubescit aliquis manum extendere, et minorem atque deteriorem portionem ante fratrem suum detrudere, meliorem vero atque majorem ante se trahere, quantula obsecro est differentia inter majorem et minorem illam portionem? Et in re tam vili, tamque exigua reperitur, qui fratrem suum circumvenire et defraudare velit!"[2] Et B. Isaias: "Si quid," inquit, "ante alium positum est, ad id manum injicias cave."[3] Idem monet S. Isaac Syrus.[4] Tertium, ne perpetuo ad obsoniam extendantur, sed certis adhibitis intervallis. Clemens: "Est a ratione alienum, perpetuo manus ad obsoniam extendere, non gustantium ritu, sed rapientium." Idemque eodem capite. "Nec inter comedendum," inquit, "se indecore gerendo, sed manum ordinate certis intervallis adhibitis porrigendo."[5] Quartum, ne cœnatorio cultro cernantur armatæ, dum cibum ori ministrant. Bonaventura: "Decentiæ," inquit, "detrahit, qui manu armata cultellum habente, cibum ori ministrat."[6] Quintum denique, ne aut felibus, aut canibus, aut avibus blandiantur ex appositis esculentis, quod idem Bonaventura in eodem Speculo reprehendit. De manuum vero inquinatione, ut de quibusdam aliis earum vitiis, mox dicemus cum ad decentiam ventum fuerit. Brachia vero longius porrigenda non sunt, aut mensæ cubitis innitendum. Bonaventura: "Oportet disciplinam in corporis et habitus dispositione servare, ut comedentes se non appodient super mensam, vel accubitando, vel alio quocumque modo inordinate se gerant."[7] Et B. Vincentius: "Non teneas cubitos super mensam, sed simpliciter manus."[8]

[1] Ser. 20. [2] Ad Cellistas Ser. 16. [3] Orat. 3.
[4] De Contempt. Mund. c. 45. [5] Pædag. l. 2. c. 1. [6] Spec. Disc. p. 1. c. 21.
[7] Ibidem. [8] Tract. de vit. Spir.

5° Postremo in reliquo trunco corporis moderando comedentis modestia cerni debet, ne dissolute confuseque sedeat, ne crura longius explicet, ne pedem pedi supponat, vicissimque inter se permutet, aut etiam agitet; et id genus alia, quæ in sedendo spectaculum exhibent indecorum. Nam quæ in omni sessione vitanda monent Sancti, ea multo magis in sessione mensæ declinanda sunt. Dorotheus: "In mensa religiose et modeste, non dissolute et confuse sedeas."[1] Clemens: "Si sederint, ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur femori superponant."[2] Basilius: "Sedeas, nec crus imponas alteri pedi, est enim segnitiei indicium et animi extravagantis."[3] Denique Bonaventura: "Sedens non pigre in latus reclines te, nec crura longa extendas."[4] Idemque membrorum agitationem in mensa reprehendit. Hæc et similia vitanda sunt servo Dei, quia "Ex visu cognoscitur vir,"[5] ut ait Scriptura; et ex eo quod foris cernimus, argumentamur quale sit id quod intus latet.

Sequitur decentia, quæ reliqua omnia vitia removet quæ, vel a nimia aviditate ciborum, vel ab illiberali educatione nascuntur. In quibus breviter perstringendis, tria mensæ tempora distingui possunt: initium, progressus, et finis. Et quidem quoad initium, illud potissimum vitandum est vitium. Ne cum accubueris, moræ impatiens statim ad cibum manum explices; indicat enim id tum illiberalem educationem, tum nimiam edendi cupiditatem, quæ scilicet ratione frenanda est, ut complures admonent Sancti. Clemens: "Si in medio plurium sederis, ne ante ipsos manum porrigas."[6] Et est regula S. Pachomii: "Ne ante Præpositum domus tuæ manum in mensa extendas." Beatus etiam Isaias: "Si ad amicum tuum diverteris, eum tibi omnibus in rebus antepone, ut et in mensa prius discumbat, et prius cibis manus admoveat."[7] Et Beatus Vincentius: "In principio cum sederis, ne extendas subito

[1] Ser. 20. [2] Pædag. l. 2. c. 7. [3] Ascet. Ser. de Renunt.
[4] Spec. Disc. p. 1. c. 19. [5] Eccl. 19. [6] Pædag. l. 2. c. 7. [7] Reg. 11.

manus ad incidendum panem."[1] Imo Scriptura ipsa nos admonet: "Supra mensam magnam sedisti, non aperias super illam faucem tuam prior." Et mox: "Si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere."[2] Id servabant monachi Tabennenses, ut scribit Hieronymus: "Qui primus," inquit, "monasterium ingreditur, primus in mensam manum extendit."[3] Bonaventura autem ex Hugone reprehendit: "qui initio mensæ, statim absque orationis alicujus præambulo, ad cibos manus extendit."[4] Beatus vero Vincentius expectari tantisper jubet, dum pro vita functis oratio dominica et salutatio angelica recitentur. Ideo optimus in Societate mos, ut nemo prius initium edendi faciat, quam panem is, qui præest, detexerit, et mappam explicarit. Hoc est igitur præcipuum in inchoanda mensa vitium, Dei famulis fugiendum.

In edendi vero progressu tria potissimum vitanda sunt vitia: effusio super escam, voracitas, et inquinatio. Effusio super escam, ne quis ad eam procliviorem, quam par est, se extendat, et præ nimia aviditate in patinis totus hæreat. Ideo Ecclesiasticus: "Noli," inquit, "avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam."[5] Clemens autem monet non esse unquam prohibendum ad cibum, ab ingluvie persuasis, et obsonia despicienda, ut quæ paulo post non sint;[6] et quod minus est, id eligendum potius;[7] idque tardius et non proclivius, tam in principio quam in intervallis.[8] Nempe Antonii illius magni versari ante oculos nobis debet exemplum, qui pudore quodam suffundebatur cum ad mensam accederet, ut edere videretur invitus; id quod Beatus præcipit Isaias: "Ad id quod tibi appositum fuerit, sic manus extendito, tanquam edere coactus sis.[9]

Voracitas quoque pari studio fugienda est, quæ tum

[1] Tract. de vita Spir. c. 7.
[2] Eccl. 31. [3] Præfat. Reg. S. Pachom. [4] Spec. disc. p. 1. c. 21.
[5] Eccl. 37. [6] Pædag. l. 2. c. 7. [7] Ibid. c. 1.
[8] Ibid. c. 7. [9] Orat. 3.

in edendi festinatione, tum in exhauriendis totis patinis conficiendisque, quæ apposita sunt, universis maxime cernitur. Qua de re Clemens idem: "Licet," inquit, "videre eos qui sunt hujusmodi, suibus vel canibus propter voracitatem assimilari potius quam hominibus, qui adeo festinant ut saturentur, ut ambæ maxillæ simul inflentur, elatis vasis quæ sunt in facie; quin etiam sudore præterea diffundi, dum propter insatiabilitatem arcte comprimuntur, et propter intemperantiam anhelant festinatione indecora, et ab honesta consuetudine aliena intruso in ventrem nutrimento, et tanquam ad viaticum, non ad digestionem edulia reponunt." Ex festinatione igitur alia vitia oriuntur maxillarum inflatio, sudoris diffusio, anhelitus etc, quæ omnem religiosi decentiam perdunt. Qui autem nihil reliqui faciunt ex iis quæ apponuntur, sed insatiabilitate quadam totas patinas exhauriunt, ii tanquam ad viaticum, non ad digestionem edulia in ventre reponunt. Ideo monet Bonaventura semper aliquid in potagio honeste relinqui, tum temperantiæ causa, tum etiam pauperum, præsertim cum apud externos cibum sumimus. Et Beatus Vincentius generatim ex omnibus, quæ esse volumus, suadet particulam Christo pauperi dimittendam, et quidem optima quæque, non vilissima ut non nulli solent.[2]

Jam vero inquinatio longe maximum vitium est, et ab omni cum religione, tum honestatis decoro, alienum. Ea quinque præcipue temporibus est cavenda. Primum in tollendis capiendisque de mensa cibis, ne scilicet digitis attrectentur, totæque dexteræ contaminentur. Clemens: "A ratione alienum, manus condimentis immiscere."[3] Bonaventura ex Hugone: "Indecenter agitur, si digitos quis immittit potagio, et offas vel olera nudis articulis, cochlearis vice, piscatur."[4] Ita ut in eodem jure et manus ablutionem, et ventris refectionem, ut ait Hugo, quærere videatur, ejusdemque turpitudinis est digitos dapibus

[1] Spec. Disc. p. 1. c. 21. [2] Tract. de Vit. Spir. c. 7.
[3] Pædag. l. 2. c. 1. [4] Spec. Disc. p. 1. c. 21.

inunctos lambere, labiisque detergere. 2°. Vitanda est etiam in eisdem cibis in os inserendis, ne, dum eos inserimus, barbam et mentum inquinemus, neve mappam et mensam, et vestes ipsas quas gerimus, commaculemus; intemperantiæ notas, quocunque ingredimur, totis pectoribus ostentantes. Clemens supra: "Ab omni servili et illiberali actione et intemperantia abstinendum est; quæ apponuntur honeste tangendo, et manum et lectum et barbam servando impollutam." Lectum dixit pro mensa, quia in lectis olim discumbebant cœnantes. 3°. In mandendo conficiendoque cibo eadem est inquinatio cavenda, ne vel strepitus aliquis dum manditur exaudiatur, quem Bonaventura labiorum tumultum appellat; vel priusquam extenuatus sit cibus, in ventremque delapsus ad alium properes; vel præmansum aliquid, aut etiam præmorsum in mensa colloces, mox iterum degustandum; vel in eandem mensam inutile aliquid ex esculentis ab ore projicias; vel denique, ossium corrosionibus curiosius insistas, quæ omnia, ut illiberalis atque intemperantis hominis notas, Bonaventura præcipit fugienda.[1] Turpe est etiam multum obsonii in os ingerere, et olerorum magnitudine buccas inflare.[2] Clemens: "Nec obsonii multum ingerendum est, neque enim ut obsonium devoret, sed ut frumento vescatur, homini innatum est. 4°. In potando etiam omnis est impuritas evitanda. Ut nec nimis avide vinum attrahamus, ut idem admonet Clemens, nec mentum conspergamus, vestemque madefaciamus, dum potus simul totus infunditur, faciem nostram phialis, ut is loquitur, proluentes. Impurum etiam et indecorum in bibendo spectaculum ex festinata potatione susurrus: "Dum potus," inquit, "magno impetu fertur, et plurimo spiritu attrahitur, perinde ac si in vas fictile infundatur; gutturque resonat propter rapidam ingurgitationem." Ex quo efficit Clemens, placide ac tranquille, non cum festinatione bibendum, nulla præsertim festinationis causa

[1] Ibidem. [2] Pædag. l. 2. c. 7.

accedente, quia: "A te," inquit, "non rapitur potus, tibi datus est, te expectat, ne disrumpi festinaveris ingenti hiatu attrahens. Impletur tua sitis, et si tardius biberis, honeste ac decore te gerens, dum potus ut decet per partes dividitur: non enim tempore aufertur, quod præripitur ab intemperantia."[1]

Sed cavendum hoc loco, ne in alterum incidamus extremum, ut nimis lente tardeque bibamus, non enim id vitio vacat, et ad insaniam spectat gutturis, longiusculam delectationem aucupantis; simileque vitium est, si ejusdem voluptatis aucupandæ causa, non uno haustu cyathum ebibas, sed interruptim, et brevibus intervallis, quæ duo ut vitiosa duobus verbis Bonaventura perstrinxit: "Si longum," inquit, "et interpolatum faciat haustum."[2] Impuri etiam inquinatique convivæ est, si prius quam cibum dente confecerit atque in ventrem abstulerit, ad cyathum os admoveat, eodemque simul tempore et edat, et bibat. Clemens ibidem: "Nec simul edere et bibere convenit, est enim maximæ intemperantiæ tempora confundere, quorum usus non simul conveniunt."[3] Et Bonaventura: "Decentiæ detrahit, qui ori, nondum expedito a cibo, potum nihilominus ingerit." Denique in ipsis refectionis intervallis, quidquid impurum nauseam convivis affert, honestus vir evitabit. Abstinebit igitur crebris excreationibus, emunctionibus, sternutationibus, simillimisque motibus quos stomachorum plerique fastidiunt. Dorotheus: "Noli ante quemquam expuere vel excreare; quod si te tussis et pituita cum ad mensam sedes invaserit, verte faciem tuam retrorsum, et expue modeste."[4] Sed de his multo Clemens uberius: "Frequenter," inquit, "expuere, et violentius excreare, et etiam emungere in convivio vitandum est. Convivarum enim habenda est utique ratio, ne præ nausea talem aversentur turpitudinem, quæ arguit intemperantiam. Non

[1] Pædag. l. 2. c. 2. [2] In Spec. Disc. p. 1. c. 21.
[3] Pædag. l. 2. c. 1. [4] Ser. 20.

enim, sicut bobus et asinis, simul est præsepe et sterquilinium."[1] Multi enim eodem tempore se emungunt, spuunt, et cœnant. Idem de sternutatione et ructu, eodem loco sic: "Sternutatio, si cui evenerit, sicut etiam ructus non oportebit sono proximos ciere, qui de mala educatione ferant testimonium. Sed ructus quidem cum expirato aere est transmittendus, ore decore composito, nec instar personarum tragicarum diducto et hiante. Sternutationis autem, qui conturbat, strepitus, respiratione leniter repressa ac retenta, auferendus est." Monet autem arrogantiæ et insolentiæ signum esse, velle in sternutationibus aliquid sonis ipsis addere, ac non potius detrahere. Idemque perstringit eos, qui dentes scalpunt, auresque fricant. "Qui dentes," inquit, "scalpunt et ulcera cruentant, tum sibi ipsis molesti sunt, tum invisi proximis. Aurium quoque fricationes, et sternutamentorum irritationes sunt suilli pruritus et confricationes." "Impuri etiam hominis est mappas communes dentium fricatione," ut ait Bonaventura, "aut crebra cultri abstersione fœdare."[2] Itemque "panem exenterare aut effeminare," ut Clemens loquitur, "excribrando quod frumenti nutriens est."[3] "Aut etiam inordinate," ut ait Hugo "circumcidere, detrahendisque crustulis deformare;" ut Bonaventura, locis citatis. Quæ quidem omnia, et similia ad impuram et male moratam vescendi rationem spectant.

Hæc de progressu; restat mensæ finis, qui quidem præcipuum continet vitium longæ accubationis et moræ. Cum edendi nullus est finis, nulla satietas. Quod in quibusdam reprehendit Dorotheus, eosque vetat imitandos, qui "vel consuetudine," inquit, "vel ex necessitate, servitia ministrorum adhibent sibi frequentia, et in mensa diutius recumbunt."[4] Bonaventura autem negat "decere per morosam," ut ipse loquitur, "comestionem, totam sæpe congregationis multitudinem detinere."[5] Et alibi: "Moram,"

[1] Pædag. l. 2. c. 7. [2] Spec. Disc. p. 1. c. 21.
[3] Pædag. l. 2. c. 1. [4] Ser. 15. [5] Spec. Disc. p. 1. c. 21.

inquit, "in mensa facere religiosum non est. Caveant ne, aliis a comestione cessantibus, ipsi comedendo vel loquendo mensam detineant; cum non sit hominum, sed magis pecudum, super mensam ruminando diutius immorari."[1] Clemens etiam, ex Ecclesiastico, honesti modestique hominis esse confirmat, priorem desinere, et ab affectione se alienum ostendere: "Cessa," inquit, "prior causa disciplinæ, et noli nimius esse, ne forte offendas."[2] Loquitur autem Ecclesiasticus de comedendi disciplina atque honestate, et disciplinæ causa vult aliquem in conviviis cessare prius, hoc est ut se bene institutum atque educatum esse declaret; in conviviis enim male educati se produnt. Quod tamen præceptum cessandi prius ita accipiendum est ut debita servetur honestas, quemadmodum B. Vincentius præcipit: "Ne si multo ante alios cessemus, aut nullam rationem fraternæ habuisse concordiæ, aut temperantiam sobrietatemque affectasse præ cæteris videamur."[3] Scimus autem Patrem nostrum Ignatium solitum esse consulto edendi tarditate non nunquam mensam extrahere, quoad novissimus quisque sine rubore aut sollicitudine per otium absolveret.[4]

Atque hæc de externa quadam mensarum decentia, quæ ipsa tum demum perfecta et cumulata erit, cum ex interiore quadam honestate potius, ut initio diximus, quam ex præceptis atque institutione manabit. Ideoque recte a Patre nostro præcipitur, ut eam interius exteriusque servemus. Interiorem namque intelligit, ut semper tanquam præsente Deo honeste versemur, et ex pietate quadam affectuque animi bene compositi, sobrios, modestos, honestosque nos præbeamus. De qua interiore decentia, idem eodem loco Clemens: "Semper," inquit, "tanquam præsente Domino honeste versandum est."[5] Et non ita multo ante proponit ante oculos bibentis Christi modestiam, cum inter homines versaretur. "Quomodo,"

[1] Spec. Disc. p. 1. c. 32. [2] Eccl. 31. [3] Tract. de Vit. Spir. c. 7.
[4] In Vita Maff. l. 3. c. 5. [5] Pædag. l. 2. c. 2.

inquit, "Dominum bibisse existimamus, cum propter nos homo factus est! Adeo ne imprudenter, ut nos? An non honeste ac temperate, an non considerate?" Eandem interiorem modestiam atque decentiam significavit Dorotheus: "Comede," inquit, "et bibe, ut decet servos Dei."[1] Eandem Isaac Syrus: "Cum sobrietate comede et bibe, sicut decet filios Dei."[2] Eandem in suo Speculo Bonaventura: "Studeant in cibo et potu sobrietatem servare, sicut servi Dei, et religiose viventes." Præsentia igitur Divini conspectus plurimum valet ad obtinendam in vescendo modestiam, decentiam, sobrietatem; ut qui eam ante oculos sibi proponunt, orare potius inter epulas putes, quam comesse, tanta se modestia atque honestate reficiunt. Et hoc, si verum quærimus, est manducare et bibere ad gloriam Dei, quod Paulus præcipit; hoc est, tali affectu animi, ut ait Basilius:[3] "Quæ ex corporis quoque testimonium habeat quod non negligenter edat, sed tanquam sub inspectore Deo." Tanti autem facit B. Basilius hanc in mensa decentiam atque modestiam, ut qui immodeste et turpiter comedit, eum abire nolit impune. Sic enim scribit. "Immodeste quis et turpiter comedit? Tempore refectionis, cibo prohibitus cogatur alios scite vescentes contueri, ut et abstinentia puniatur, et gravitatem discat."[4] Atque hæc demum est religiosa comedendi ratio.

§ 2.—DE BENEDICTIONE MENSÆ.

Sequitur alterum, quod e tribus propositum erat, benedictio actioque gratiarum, quam ad eandem mensæ disciplinam Constitutio requirit, cujus hæc sunt verba: "Præmittatur benedictio, et sequatur actio gratiarum, quas omnes agere debent cum ea, qua par est, devotione et reverentia." Quibus verbis, et gratos nos esse admonet

[1] Ser. 24. [2] De Contempt. Mund. [3] In Reg. brev. q. 196. [4] In Ascet. c. 15.

bonorum omnium largitori Deo pro collato corpori beneficio, et quo affectu peragendæ sint gratiæ. Decet enim cum omnem hominem, si a bestiis differre velit, quibuscum ei vesci commune est; tum præcipue religiosos, qui pauperes se profitentur, et ex Dei providentia toti pendent, agnoscere unde sibi paratæ sint escæ. Idcirco Filius Dei, cum inter homines versaretur ut suo nos doceret exemplo, acceptis in solitudine panibus piscibusque perpaucis, unde quinque hominum millia sese alerent, aspexisse prius in cœlum dicitur, cibisque de more benedixisse.[1] Quod ipsum fecisse legimus in novissima cœna, eaque expleta hymnum dixisse pro gratiis:[2] quo ex loco Chrysostomus colligit, et ante cibum, et post cibum oportere Deo nos gratias agere. Id quod etiam observat Hilarius: "Sicut enim," inquit, "gratias egerunt ante quam biberent, ita et gratias agunt postquam biberunt. Unde dicitur, et hymno dicto, ut addiscas et ante cibum, et post cibum gratiarum actiones Deo reddere."[3] Hinc igitur apud religiosos fluxit hæc sancta et Christiano homine digna consuetudo, benedicendi mensæ, agendique post epulas gratias. Sed observandum in Sacris Literis non modo post cibum, verum etiam ante cibum, dici a Christo actionem adhiberi gratiarum.[4] Matthæus enim ait: "Et accipiens calicem gratias egit;" nempe postquam panem, gratiis item actis, accepisset, discipulisque dedisset, et "Accepit Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus."[5] Ubi item observat Chrysostomus, Christum hoc loco orare voluisse, ut doceret etiam ante cibum gratias agere oportere; quanquam autem post acceptum beneficium gratiæ peragi fere solent. Tamen quoniam parata jam instructaque epulis mensa præsens est beneficium, idcirco jure etiam prius quam accumbas, aut edere instituas, gratiæ dicuntur agi. Et quidem ipsa, quæ mensarum

[1] Matth. 14. [2] Matth. 26. [3] In Marc. 14.
[4] Matth. 26. [5] Joan. 6.

adhibetur initiis, benedictio gratias continet; nam, cum dicimus: "Benedic Domine nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi," et "Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno," et similia; nonne, quæ ad gratias et laudes Dei pertinent, admiscentur? Cujus benignitatem, largitatem, et providentiam agnoscere genus quoddam gratiarum est.

Duobus ergo temporibus adhibenda est gratiarum actio, et initio mensæ cum accumbimus, quam benedictionem appellamus; et in fine, cum a mensa discedimus. Hæc fuit priscæ illius ecclesiæ disciplina de qua Tertullianus: "Non prius," inquit, "discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur." Et mox, "Atque oratio convivium dirimit."[1] Quanquam non desunt e veteribus Patribus, qui inter ipsas quoque epulas velint nos Deo psallere, et gratias agere, ut quemadmodum eas egimus ante cibum, sic et ante potum nominatim agamus.

Clemens quidem ita præcipit: "Quemadmodum antequam sumamus alimentum laudare nos convenit factorem universorum; ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum ejus creaturarum efficimur participes."[2] Sed nimirum ad tollendos ethnicorum in conviviis ritus, qui inter recentes christianos etiam tum perseverabant, illud videtur præcepisse; vult enim psalmodiam esse loco fistularum et tibiarum, quarum in conviviis cantu olim ethnici utebantur, nisi forte id ab eo præceptum putemus imitandi Christi causa, qui non modo cum panem, verum etiam cum calicem accepisset, gratias item egisse legitur.[3] Ex quo forsitan mos quorundam irrepsit benedicendi inter epulas potus, quod haud scio an passim sit usurpandum, præsertim aliis inspectantibus, et mensæ universæ benedictione jam præmissa, ne necesse sit singulis iterum benedicere. Recte igitur Constitutio præcipit, ut grati animi causa, et præmittatur in communi mensa benedictio,

[1] In Apolog. c. 39. [2] Pædag. l. 2. c. 7. [3] Matth. 26.

et subsequatur actio gratiarum. Quo autem pietatis affectu, quove modo paucis perstringit: "Quas," inquit, "omnes agere debent cum ea, qua par est, devotione et reverentia;" quibus verbis quinque fere, quæ in hujus Constitutionis observatione vitia incidunt, defectusque tolluntur. Primus est eorum qui ad mensæ benedictionem tempore non accurrunt, Constitutio enim cum dicit: "quas omnes agere debent," neminem excipit, omnes statim adesse jubet. Ac Beatus quidem Benedictus eos, qui confestim benedictioni non adsunt, impune abire non patitur. "Ad mensam," inquit, "qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent, et sub uno omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit usque vice secunda pro hoc corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensæ communis societatem vel participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiatur solus, sublata ei portione sua de vino, usque ad satisfactionem et emendationem; similiter autem patiatur, qui et ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur."[1] Hac fortasse de causa et Basilius sine cibo jubet esse in posterum diem, qui ad mensam tardius occurrerit: "Si cum possit," inquit, "non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiæ suæ, et maneat sine cibo usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem."[2] Et B. Pachomius jubet hunc ad domum reverti jejunum, si ad comedendum tardius advenerit.[3]

Secundus est eorum qui ad versus communis benedictionis cæteris respondentibus non respondent, sed aliò cogitatione ducti silentio se continent. Constitutio autem vult ab omnibus agi gratias, "quas," inquit, "omnes agere debent." Ideo B. Vincentius.[4] "Non parcas," inquit, "voci tuæ, sed secundum possibilitatem tuam gratias age bonorum omnium largitori. Parcunt autem voci suæ, qui in

[1] In Reg. c. 43. [2] Reg. brev. q. 136. [3] Reg. 12.
[4] Tract. Vit. Spir. c. 7.

hymnis communibus divinisque laudibus conticescunt, quod si omnes divini muneris participes sunt, cur non item omnes in largitoris Dei laudem hymnumque conspirent?"

Tertius est eorum, qui cum extra cœnaculum cibum sumunt, sive privatim in cubiculo cum minus recte valent, sive extra domum cum ab exteris invitantur, benedictionis usitatæ gratiarumque actionis obliviscuntur. Constitutio autem, cum dicit oportere gratias agi, nullum locum excipit, sed ubicunque te ipse reficias eas intelligit adhibendas; dicit enim absolute in refectione corporis, locorum definitione sublata. Ut et Ephræm ad novitios. "Canonem," inquit, "seu regulam, cum omni reverentia et timore sequere, licetque bis in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumite." Quisquis autem cibum sumpturus, hoc est Dei munus gustaturus, gratiarum obliviscitur, is nihil differt a porcis, ut de quibusdam temulentis Chrysostomus ait in Matthæum, ubi Christus et egisse gratias et hymnum dixisse dicitur: "Audiant," inquit ille, "omnes qui quasi porci, cum jam comederint, de mensa temulenti consurgunt, cum deceret eos gratias agere, et in hymnum mensam desinere."[1]

Quartus est eorum, qui nullo pietatis affectu, nulla grati animi significatione, sed aut ex consuetudine ad carmen commune respondent, aut festinanter et cursim, cum eas silentio et privatim adhibent. Constitutio vero jubet gratias Deo, qua par est devotione, persolvi; et ad id nos hortatur B. Vincentius, qui, in agendis gratiis, hoc cum animis nostris reputare nos vult, quanta sit erga nos benignitas ac liberalitas Dei, qui tam multa nobis tamque varia ad reficiendum corpus dedit, ubi haud dubie complures aridum dumtaxat panem summis in deliciis haberent; ideoque oportere nos, cum a mensa consurgimus, debitas Deo gratias laudesque persolvere.[2] Quo pietatis et devotionis affectu videntur fuisse olim monachi illi, de quibus Chrysostomus narrat, qui

[1] In Matth. 26. [2] Tract. Vit. Spir. c. 7.

tales agebant Deo post epulas gratias, ut eorum multi post hymnum actionemque gratiarum compunctione repleti et ferventibus lacrymis ad nocturnam quietem se reciperent.[1] Nec ab re fuerit hymnum illum in medium afferre, ut in eo, velut in speculo quodam, illorum angelorum (sic enim eos appellat) contemplemur affectum. Sic igitur habet: "Benedictus Deus, qui pascis me a juventute mea. Imple gaudio et lætitia corda nostra, ut semper omnem sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum; in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, et imperium, cum Sancto Spiritu in secula. Amen. Gloria tibi Domine, Gloria tibi Sancte, Gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis cibos in lætitiam. Imple nos Spiritu Sancto ut inveniamur in conspectu tuo bene placentes, et non erubescentes, quando reddes unicuique secundum opera sua." Hymnum hunc gratiarum et laudis Beatus Chrysostomus pluribus et singillatim enucleat, ut quam plenus sit affectibus, quantamque ab illis angelis pietatem spiret dum secundum cibum gratias agerent, planum faciat.

Quintum denique eorum defectum Constitutio removet, qui in ipsa actione gratiarum minus modeste reverenterque se gerunt, sed et animo et oculis indecore vagantur, ideoque reverentiam extremo loco præcipit. "Cum ea," inquit, "qua par est, reverentia," nempe ut meminerit unusquisque et ad Deum, qui contuetur omnia, dirigi precationem, et pro acceptis muneribus gratias agi. Æquum est autem ut ejus muneribus digne agantur et habeantur gratiæ, ut his verbis nos Basilius admonet: "Orationes," inquit "ante cibum fiant Dei muneribus dignæ, quæ nunc tribuit, et quæ in futurum servavit. Orationes item post cibum faciendæ, quæ et pro exhibitis gratiam referant, et ea quæ promissa sunt petant." Dignæ autem et preces et gratiarum adhibentur actiones, cum et eximiæ, ut ante dixi, pietatis affectu et omni reverentiæ cultu funduntur. Quæ gratiarum actio, sic adhibita, non modo ad exhibendos

[1] Ad Pop. Ant. hom. 57

nos Deo gratos memoresque, verum etiam ad comprimendas ventris petulantias, ut Chrysostomus ait, plurimum valet;[1] nam "qui gratias agit," Clemens inquit, "in voluptatibus non versatur."[2]

Hoc est igitur secundum quod ad mensæ disciplinam diximus pertinere. Restat tertium, Lectio spiritalis, de qua sic eadem Constitutio.

§ 3.—DE LECTIONE AD MENSAM.

"Et dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio præbeatur, ex pio libro aliquo potius quam difficili, quem capere, et a quo omnes juvari possint," etc. Hic autem tria nobis indicat Constitutio: 1°. Quis sit hujus lectionis finis; 2°. Quo studio ad eam attendendum; 3°. Cujus generis esse debeat.

1°. Finem hujus lectionis statuit animæ refectionem: "dum corpus edendo reficitur." Quem eundem finem Bernardus etiam attigit, cum ita scripsit: "Cum manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat."[3] Eundem finem indicat Augustinus: "Nec solæ," inquit, "vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei."[4]

Quanquam Cassianus alias affert causas, cur inducta sit in cœnobiis legendi ad mensam consuetudo.[5] Putat enim morem hunc ex Cappadocum fluxisse typo, non tam spiritalis exercitationis causa, quam compescendæ superfluæ confabulationis gratia, et maxime contentionum quæ plerumque solent in conviviis generari; videbant enim eas aliter cohiberi non posse.

Est igitur altera causa cur instituta inter epulas lectio sit, silentium; quod ideo est id temporis necessarium, quoniam lingua, ut ait Hugo, quæ omni tempore prona est

[1] Ad Pop. Ant. hom. 57. [2] Pædag. l. 2. c. 1.
[3] Ad Frat. de Mont. Dei. [4] Reg. 2. c. 13. [5] De Inst. Cœnob. c. 19.

ad peccatum, tum periculosius labitur cum per crapulam inflammata fuerit, si ad loquendum relaxetur.[1] Et, ut Plutarchus ait: "Nullus cibus, nullus potus male præparatus ita insuavis ac noxius est, ut sermo intempestive et stulte in mensa prolatus."[2] Eandem institutæ hujus consuetudinis causam significat Beatus Gregorius ad Natalem episcopum, qui ait "tum ex charitate prodire convivia, cum in eis absentium nulla vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis negotiorum secularium inanes fabulæ, sed verba lectionis sacræ audiuntur." Prisca Ecclesiæ disciplina removebat ex mensis inania colloquia bonis sermonibus, auctore Tertulliano: "Ita fabulantur," inquit, "scilicet in cœna, ut qui sciant dominum audire."[3]

Tertia accedit causa, quia dum lectioni intenta mens est a nimia ciborum aviditate atque intemperantia refrenatur. Et quidem Plutarchus in Symposiaco, ad arcenda ebrietatis incommoda, laudat faciles in conviviis quæstiones, narrationesque seu ex historia, seu ex philosophica doctrina petitas. Eademque de causa Clemens eos, qui dicebant oportere in convivio se relaxare, et quæ sunt seria in auroram differre, non satis probat; imo censet tum maxime adhibendam esse rationem, quæ temulentiam coerceat, ne nobis imprudentibus convivium ad ebrietatem dilabatur.[4] Ut enim nemo sapiens oculos clauserit, prius quam dormitum se conferat, ita nec rationem abesse a convivio oportere prius quam ad res gerendas accedas. Quod igitur serius et eruditus sermo in conviviis facit, hoc piorum librorum præstat lectio, ut intemperantiam coerceat, rationemque in officio contineat. Certe apparet hanc legendi inter epulas consuetudinem antiquiorem fuisse quam tradidit Cassianus, et ab ipsis etiam ethnicis usurpatam, nam de Pomponio Attico sic scribit Nepos: "Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quam

[1] De Inst. Novit. c. 18. [2] Sympos. lib. 8. q. 1.
[3] Apolog. lib. 1. q. 1. c. 39. [4] Pædag. l. 2. c. 1.

anagnosten, quod nos quidem jucundissimum arbitramur; neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur."[1] Eandem consuetudinem indicat Plinius secundus in Avunculi vita, ut mox patebit. Plutarchus porro, cum quærit quænam potissimum acroamata cœnæ sint adhibenda, memoriæ prodidit Romæ suo ferme tempore hunc irrepsisse morem, ut inter cœnandum Platonis Dialogi recitarentur a pueris, præsertim apud eruditos et doctos, quo se interim tanquam quodam mentis pabulo recrearent.[2] Quibus nihil sane aliud videtur fuisse propositum, nisi ut vel temulentiam ebrietatemque salutari aliquo acroamate coercerent, vel ut tanquam homines, non tanquam bestiæ se cibo reficerent, una eademque opera et animum pascentes et corpus.

Triplex igitur potest esse hujus lectionis finis, quæ adhibetur ad mensam: unus quidem ad animorum pastum, dum reficiuntur et corpora; alter vero ad frenum linguæ tenendumque silentium; tertius ad temperandam cupiditatem in cibis. Constitutio autem primi dumtaxat meminit, quia in hunc quodammodo posteriores includuntur. Quisquis enim in reficiendo corpore animum etiam audiendo pascit, is eadem opera et a noxiis sermonibus sese abstinet, et rationis frena cupiditati injicit, ne ab intemperantia superetur. Ac si non aliud, certe hoc ex mensarum lectione consequimur, quod multa nec id agentes addiscimus, et omne mensarum tempus lucro apponimus, quod homines literarum studio addicti ne frustra contererent, anagnosten etiam ad epulas adhibebant. Nam de Plinio historico sic secundus: "Super hanc, scilicet mensam, legebatur, adnotabatur, et quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam pronuntiasset perperam, revocasse et repeti coegisse. Huic avunculum meum dixisse: Intellexeras nempe. Cum ille annuisset; cur ergo revocabas, decem amplius versus

[1] Cornelius Nepos in Vitæ. [2] Sympos. lib. 7. q. 8.

hac tua interpellatione perdidimus?"[1] Idemque de Origene scribit Hieronymus, nunquam illum sine lectione sumpsisse cibum, nunquam iniisse somnum.[2] Valet igitur lectio mensæ et ad temporis parsimoniam, etiamsi alia utilitas nulla esset.

Sed quo animi affectu studioque huic lectioni operam dabimus, hoc enim secundo loco quærebatur? Nempe eo ipso, quo corpus edendo se reficit; nam cum sit lectio pabulum mentis, eadem attentione animus eam debet excipere, qua corpus cibum. Hoc nimirum est quod Constitutio dicit: "Ut sua etiam animæ refectio præbeatur." Quam eandem attentionem exigit in suis Regulis Augustinus: "Cum acceditis," inquit, "ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei."[3] Cum esurie igitur ac fame excipienda est sacra lectio, et quidem sine tumultu, et ad finem usque mensæ tanta debet esse audiendi aviditas. Quærit etiam Basilius: "Quo affectu et quam attente quæ inter reficiendum nobis leguntur audire debeamus?"[4] Et respondet: "Cum majore voluptate quam qua edimus et bibimus, ut declaretur quam mens nostra non evagatur circa voluptates corporis, sed magis in verbis Domini jucundetur, juxta effatum ejus qui dixit: Et dulciora super mel et favum."[5] Hoc animi affectu ad mensam accedebat Beatus Antoninus archiepiscopus, qui quod privatus in cœnobio didicerat tenuit etiam Præsul, ut sine lectione nunquam accumberet; quam tam avide auscultabat, ut non ad capiendum cibum, sed ad lectionem audiendam accessisse videretur.[6] Propterea monet Beatus Vincentius ut cor initio præparemus ad lectionis intelligentiam, ne mens videlicet ad adipes atque ad juscula dilabatur, si semel cœperit evagari.

[1] Ep. ad Marcum suum. [2] Ep. 18. ad Marcellam.
[3] Reg. 2. c. 13. [4] In Reg. brev., q. 180. [5] Psal. 18.
[6] In Vita ex Vincent. Mainardo.

Hoc studio atque hac cura lectioni opera danda est; restat ut cujus tandem futura sit generis indicetur. Facilem eam Constitutio postulat, et "ex pio potius libro, quam difficili, quem capere," inquit, "et a quo omnes juvari possint." Nam nec omnes æque per ingenii aut scientiæ facultatem assequi possunt ea quæ leguntur, et ii ipsi qui scientia ingenioque sunt præditi, si res sint obscuriores, non libenter id temporis adjiciunt animum ad lectionem. Facit autem Constitutio potestatem ut pro lectione concio interdum habeatur, vel aliquid simile ad Dei gloriam fiat;[1] ut cum vel piæ aliquæ declamationes orationesque, exercitationis gratia, vel publicæ aliquæ admonitiones, unde plurima ad universos spectat utilitas, haberi solent. Quod si nihil horum interdum unde se pascat animus, vel per loci facultatem, vel per tempus haberi queat, tum audiendus est Bernardus qui de memoria suavitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod dum reficimur, mentem pascat, tractare animo atque agitare nos jubet;[2] et id ipsum suadet Beatus Vincentius.[3] Tametsi cavendum est ne agitatio mentis ejusmodi sit quæ valetudini officiat corporisque refectioni, neque enim tum ex instituto orandum est, sed piæ potius jucundæque cogitationis epulis mens alenda, quam subtilioribus commentationibus alliganda. Et ex ipsa ciborum natura, ut Basilius præcipit, sumentisque corporis officio sumenda occasio "glorificandi Dei, ut variæ ciborum species salubritati proprietatique corporum convenientes, ab eo qui cuncta sapientissime dispensat excogitatæ sunt."[4] Atque hæc et de sacra mensæ lectione, et de tota sumendi cibi disciplina sint dicta.

Ad honorem et gloriam magni Dei. Amen.

[1] P. 3. c. 1. § 5. lit. E.
[2] Ad Fratres de Mont. Dei.
[3] Tract. Vit. Spir. c. 7.
[4] Ep. 1. ad Greg. Theol.

OPUSCULUM DECIMUMTERTIUM.

DE VALETUDINIS HABENDA RATIONE JUXTA CONSTITUTIONES AC REGULAS.

EXPLICABIMUS hic eas fere omnes Constitutiones ac regulas, quæ ad habendam valetudinis rationem pertinent. Dupliciter autem hac de re loqui possumus, vel quoad tuendam, vel ad recuperandam valetudinem cum amissa est. Quemadmodum autem tuenda sit quatuor potissimum Constitutiones ostendunt, ob quatuor præcipuas res quæ ad eam tuendam valent. Valet enim, primum, admonere eos qui præsunt, cum quid animadversum fuerit valetudini vel necessarium esse, vel noxium, et propterea certa de ea lex est inter Summarii regulas 46; cujus initium: "Ut nimia sollicitudo in iis etc." Secundo, valet exercitatio corporis, quæ 47 ejusdem Summarii Constitutione præscribitur. "Ut aliqua," inquit, "corporalis exercitatio, quæ et animum et corpus adjuvet, omnibus etc." Tertio, prodest etiam tuendæ valetudini in castigando corpore moderatio atque prudentia, ne si modus excedatur in vigiliis, jejuniis, et id genus aliis asperitatibus, valetudini ipsi detrimentum afferatur; ideo huic moderationi atque prudentiæ consulit ejusdem Summarii Constitutio 48. Quarto, denique valet ordinata victus ratio ac temperantia, et idcirco jubent Constitutiones, statui certum edendi tempus cubandi, surgendi, quod communiter observetur.[1] Et inter Communes Regulas prohibet lex 16 quemquam extra consueta tempora bibere, vel extra domum cibum sumere, Superioris injussu. Atque hæc quatuor præcipuæ regulæ

[1] P. 3. c. 2. § 2.

Constitutionesque ad tuendam valetudinem pertinent, quas singulatim explicabimus.

Quoad illam recuperandam vero cum amissa est, duo spectanda sunt: Primum, quænam maxime ad eam recuperandam valeant; deinde, quomodo vis morbi et ægrotatio ferenda sit. Cum quidem quænam recuperandæ valetudini prosint tres regulæ Constitutionesque præscribunt. Duæ quidem ex parte subditorum et eorum qui ægrotant; tertia vero ex parte eorum qui præsunt et qui curant ægrotos. Prima est ex Communibus Reg 17: "Ut cum quis male habere præter solitum senserit, id infirmario, vel præfecto sanitatis, aut Superiori referat, nemoque medicinam ullam accipiat, aut medicum eligat etc.;" juxta Constitutionem quæ ægrotos nihil nec in medicinis nec in medico deligendo curare permittit, sed omnem suam curam Superiori relinqui jubet.[1] Altera est ex Summario Constitutionum, 49, ut magna obedientia non solum spiritualibus verum etiam corporalibus medicis exhibeatur. Tertia vero est ut cura habeatur ægrotorum magna, et sit aliquis qui præsit ægrotis.[2]

Quomodo autem morbus ipse ferendus sit, admonet ea quæ in eodem Summario ordine subsequitur Constitutio; ea est 50, qua jubetur ægrotus humilitatem et patientiam et pietatem ubique, et coram omnibus, præseferre.

Sunt igitur octo minimum Constitutiones ac Regulæ, quæ ad habendam valetudinis rationem præcipue pertinent, quas nos singulas explanabimus.

[1] P. 3. c. 2. § 6. [2] P. 3. c. 2. § 6.

IN REGULAM SUMMARII 46.

De amputanda nimia sollicitudine in iis quæ ad corpus pertinent. Dicamus igitur de tuenda, tum de recuperanda valetudine cum amissa fuerit. Ad eam tuendam valere diximus, primum, indicare iis qui præsunt necessitates suas, et hoc contineri Constitutione 46 Summarii, cujus initium est: "Ut nimia sollicitudo in iis quæ ad corpus pertinet reprehensibilis est, etc." Sed quoniam multi de suis corporibus nimium sæpe solliciti sunt, contra vero alii nimium se ipsi negligunt, et sua corpora pejus accipiunt quam divini famulatus ratio ferat; Constitutio, ut utrosque in tuendis corporibus suis tenere modum doceat, priusquam ad tuendi remedia descendat, duo hæc extrema redarguit sollicitudinem, et negligentiam. Ergo et nos Constitutionis partibus explicandis eundem sequemur ordinem, et 1°, de nimia corporis sollicitudine; 2°, de moderata ejus cura; 3°, de moderatæ curæ signis, quibus primum hoc corporis tuendi remedium continetur, agemus.

§ I.—DE NIMIA CORPORIS SOLLICITUDINE.

Duo videnda sunt: Primum, cur nimia corporis cura reprehensibilis sit; deinde, quibus in rebus hæc nimia cura versetur.

Nimia cura reprehensibilis est quinque de causis. Primum quidem, quia est de ignobiliore portione hominis, hoc est de corpore, quod habemus commune cum bestiis, quodque est cito relinquendum. Nam quum nobis est commune cum bestiis, non modo nimia cura fovendum non est, sed potius tamquam bestia aliqua coercendum. Basilius: "Est totum corpus," inquit, "castigandum magis ac feræ cujusdam instar cohibendum."[1] Quod quidem Basilium ipsum

[1] De leg. lib. Gentil.

fecisse testatur frater ejus Gregorius Nyssenus in oratione, quam de ejus laudibus scripsit. "Quasi quidam," inquit, "inexorabilis dominus nullam servo suo, corpori, relaxationem indulgebat, sed per summam afflictionem et continentiam flagellabat." Quod item faciebat Hilarion, teste Hieronymo, cum dicebat: "Ego te, aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis." Qua vero cito relinquendum est, insipienter quis faciat si ei nimis indulgeat. Sapientis enim animæ, ut ait Clemens Alex. et ejus qui cognitione præditus est, ut quæ in corpore peregrinatur, eo severe et austere utitur, non in ipsum nimiam affectionem ostendens aut indulgentiam, ut quæ sit et vestigio relictura tabernaculum, si excedendi et migrandi tempus eam vocaverit.[1] Et Bernardus, cum monuisset corpus hoc durius esse tractandum, mox ita concludit: "Sic ergo nobis est cum eo convivendum, quasi non diu cum eo nobis sit commorandum."[2] Adde quod Basilius innuit, cum persuasum sit præsertim de spe Lazari.[3] Quis enim hoc corpus sollicite foveat, quod aliquando multo melius recipiendum est, si ut decuit vixerimus? Sollicitudinem autem intelligit, quæ cadit in vitium, ut est nimia corporis cura, et hujus quam animæ potior.

Secundo, reprehensibilis est quia hæc sui tuendi corpusculi sollicitudo magnopere impedit Dei cultum, animique culturam; divisus est enim animus, ut Deo totum vacare non possit, sicut contra eum a studio fervido atque insatiabili desiderio circa mandatum Domini est occupatus, nihil habet otii Basilius inquit: "Ut de corporis necessitatibus cogitando mente vagetur."[4] Quare Dominus cum hanc sollicitudinem removere vellet: "Non potestis," inquit, "Deo servire et mammonæ."[5] Ideoque vetat discipulos suos esse sollicitos quid manducent vel quomodo vestiantur; præsertim autem ab iis sollicitudinem removet, quia operarii erant evangelii, quorum

[1] Strom. lib. 4. [2] Ad Frat. de Mont. Dei. [3] Reg. brev. q. 132. [4] Reg. brev. q. 206. [5] Matth. 6.

Deus habet peculiarem et ordinariam curam. Et sollicitudo ipsa aptissime verbo Græco μέριμνα significatur, ἀπὸ τοῦ μερίζειν quod mentem quodammodo dividat, et circa varia distrahat anxiamque faciat. Quo circa Bernardus in Psalmum: "Qui habitat," hanc, inter religiosorum qui primo ad Dominum convertuntur tentationes, naturæ sollicitudinem numerat; imo primum ait adversus eos id esse certamen."[1] Et de satana sic ait: "Primo quidem, ut auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura sollicitudinem; quemadmodum etiam ipsi Christo ausus est dicere: "Dic ut lapides isti panes fiant." Quasi vero figmentum nostrum ignoret ipse, qui finxit, aut non curet homines, qui cœli volucres pascit."[2] Abjicienda est ergo hujusmodi sollicitudo tamquam satanæ tentatio, ut quæ tum Dei cultum impedit, tum animum sua cura defraudat. Porro, qui corporis nimiam, animæ vero minimam curam gerunt, eorum similes sunt, teste Basilio, "Qui instrumentorum multam, artis vero quæ per instrumenta operatur nullam habent rationem. Corpus enim instrumentum est animæ, et ad serviendum Spiritui datum est."[3] Ut Bernardi verbis utar: "Ideoque non sic habendum est, tanquam propter illud vivamus, sed tanquam sine quo vivere non possimus."[4]

Tertio, reprehensibilis est quia inutilis. Inutilis autem dupliciter; primum, quia in his religiosorum familiis pro subditis solliciti sunt ii qui præsunt, et ad eos spectat hæc sollicitudo, qui quidem affatim uniuscujusque necessitati prospiciunt, etiamsi non rogentur. Certe in Societate nostra magnæ est Superioribus curæ subditorum salus ac valetudo, eaque de causa Constitutiones jubent aliquem esse domi, qui præsit in iis quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent etiam in sanis conservandam, præsertim imbecillibus; nam de ea, quæ habetur in restituendis ægrotis, infra dicemus. Inanis est igitur

[1] Ser. 6. et 14. [2] Ser. 14.
[3] De leg. lib. Gentil. [4] Ad Frat. de Mont. Dei.

atque inutilis subditorum pro se ipsis sollicitudo, et in Superioris munus invadunt, cum eam ipsi suscipiunt. Ut jure iis illud Bernardi objici possit: "Qui vestri curam nobis tradidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?"

Dices mihi fortasse, segniores deprehenduntur interdum ii qui præsunt in prospiciendis quæ ad subditorum corpus spectant, nec omnes omnium animadvertere necessitates possunt, sive gravioribus suspensi curis, sive universorum administratione distenti. Respondeo, propterea Constitutiones jubent eas a subditis admoneri, si quando animadversum fuerit aliquid esse valetudini vel necessarium, vel noxium. Sollicitudinem tamen ipsam removet, quæ, si a subditis suscipiatur, non idcirco eas promptiores effecerit ad indulgendum non necessariis commodis subditorum; imo vero tardiores. Cum contra, qui in corporis cura minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt, eorum potissimam jubeantur habere rationem; talis est Ministri regula n. 5. Secundum, est etiam inutilis sollicitudo hæc, quia vel ad vitam prorogandam suscipitur, vel ad voluptatem et jucundiorem vitæ fructum, vel ad necessarias vires corporis; quocunque modo, et quacunque de causa suscipiatur, inutilis est. Nam prorogandæ vitæ causa inutilis est, quia constituti sunt a Deo cujusque vitæ termini, qui præteriri non possunt; neque enim quia sollicitudinem Deus prævidit nostram, idcirco productiores esse voluit terminos vitæ nostræ. Multis enim de sua vita ac salute sollicitis ejus tamen terminos coarctat ac contrahit, quanquam ne optanda quidem prorogatio ista longioris vitæ, cum sæpe plus culparum quam meritorum afferat. Nec explorata nobis sit Divina voluntas, an præstet diuturnitas vitæ, quam brevitas.

Voluptatis autem gratia aut commodioris vitæ usus etiam inanis est ista sollicitudo, quia religiosæ vitæ ratio tota crux est ac mortificatio, ab omnique aliena voluptate sola necessitate contenta. "Scit," inquit, "Pater vester

quia his omnibus indigetis;"[1] scilicet necessariis, non supervacaneis ad voluptatem et gaudium, his enim nemo indiget; ad necessarias autem vires corporis ut oneri ferendo sint. Idcirco inutilis est ea quæ suscipitur sollicitudo, quia satis est ad id moderata quædam cura, non nimis exquisita nec anxia. Nam ne Dominus quidem ipse, cujus gratia tuendæ sunt vires corporis, tantam a nobis in iis tuendis sollicitudinem exigit; quam si nihilominus sponte suscipimus, argumento est non nos Domini, sed nostrum spectare obsequium atque commodum.

Quarto, reprehensibilis item est hæc sollicitudo, quia non sine Dei injuria suscipitur. Si enim nostri curam is gerit, quid opus est nimia sollicitudine, quasi ipse pro nobis non sit sollicitus? In quo quidem gubernatorem Deum imbecillitatis damnamus, ut ait Nilus in Ascetico. An non ipse nos monet, ut curam nostram jactemus in ipsum. "Jacta," inquit, "super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet."[2] Scilicet ubi debitam sollicitudinem ex Dei mandato susceperis, quam quidem pro religiosis rectores ipsi suscipiunt, ut ante monui. Quoniam autem onus quoddam nostris humeris grave est hæc cura sollicitudoque de nobis, hortatur ut id onus excutiamus, et jactemus in ipsum; hoc enim est, "Jacta super Dominum curam tuam." Quod ipsum nobis suadet etiam Petrus non dissimilibus verbis, cum ait: "Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis."[3]

Ut autem inanis est sollicitudo nostra minimeque Deo grata, si quemadmodum augeamus hoc corpus anxio animo sollicitoque simus, propterea quod hæc cura ad Dei scilicet providentiam spectat; ita parum consentanea religiosis, et parum grata Deo existimari debet, si quemadmodum hoc ipsum corpus tueamur ac foveamus, anxio animo suscipiatur. Et hoc est, quod apud eundem Matthæum Dominus dicit: "Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum;" quasi dicat,

[1] Matth. 6. [2] Psal. 54. [3] 1. Pet. 5.

si rem tam exiguam, ut est corpus suum adaugere majusque facere nemo potest, quamvis ea de re magnopere sit sollicitus, cur de victu vitæque conservatione, quæ pluris est, in Deique item potestate sita est, velit esse sollicitus? Ut enim corporis actio, ita et nutritio ac conservatio, ex Divina providentia pendet. Quare Basilius: De vita solitaria, vult tantum nos tribuere Divinæ curæ ac prudentiæ, ut ne orandus quidem nobis sit Deus valetudinis causa. "Nam ipse te finxit," inquit, "et curam habet salutis tuæ, et novit quid cuique conducat, sive sanitate, sive infirmitate opus sit. Longius fortasse dicendo progressus est, sed nimirum admonere nos voluit tantam esse Deo curam de suis famulis, ut non necesse habeat ei preces pro salute corporis adhibere, tametsi laudabiliter id queant facere."

Porro ad Divinam providentiam tria potissimum spectant, quæ quantum in nobis est, dum de nobis ipsi solliciti sumus, plane evertimus atque destruimus. Primum est potestas; quisquis enim alienis necessitatibus consulere debet is potestatem habeat necesse est, si enim non possit, nunquam consulet. Deinde voluntas, quæ si absit, licet potestas adsit, ne tum quidem consulet. Tertium est scientia necessitatum, ut non ignoret quæ providenda ac prospicienda sint; nam si hæc desit, quamvis et potestas et voluntas consulendi non desint, nulla poterit esse providentia. Quæ tria attributa dum in Divina providentia non agnoscimus, magnam illi injuriam facimus; nam aut de potestate, aut de voluntate, aut de sapientia dubitamus, cum ex nostra cura malumus quam ex ejus providentia pendere. Ideo Christus apud Matthæum, dum sollicitudinem ponendam monet, quo facilius Divinæ providentiæ ratio constet, tria illa meminit. De potestate enim sic ait: "Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?" Quasi dicat, si Deus animam dedit, quæ plus est, profecto dabit et escam ad eam in corpore sustentandam;

qui enim dedit majus, dabit et minus; et qui dat esse ac vitam rebus, idem dat conservandi rationem. Itemque quoad vestimenta, si dedit corpus, quod plus est quam vestimenta, profecto et hæc ipsa dabit ad id tegendum, non enim illud potuit, hæc autem non poterit. Voluntatem autem et bonitatem Dei affirmat, cum ait: "Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis. Cum de vestimento, quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent; dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis." Voluntas igitur Dei in cura nostri gerenda perspicua est, nam si ea, pro quibus sollicite agimur, subministrat etiam rebus ratione carentibus, nullo ipsarum labore vel cura, ut cœli avibus escam, liliis agri vestimentum; quanto magis nobis, qui ratione præditi ejus imaginem gerimus in animis nostris impressam! Huc accedit, quod Pater est, paternæ autem bonitatis est nullo loco filiorum necessitatibus commodisque deesse, est enim Pater noster proprie, non avium et liliorum; propterea dicit: "Pater noster cœlestis pascit illa," et non pater eorum.

Scientiam porro asserit ea clausula, "Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis;" est enim sapientissimus, et nihil latet eum, apud quem omnes etiam capilli capitis nostri numerati sunt. Quare cum et sapientia in Deo sit, qui necessitates hominum noverit; et potestas, quia omnipotens; et voluntas, quia pater; quid adhuc de ejus in curandis rebus nostris providentia dubitamus? Aut cur, ejus charitatis et potestatis obliti, de nobis ipsis solliciti sumus. Magna igitur ex sollicitudine nostra Deo sit injuria, cujus non agnoscimus providentiam, ideoque jure reprehensibilis est et jure abjicienda.

Quinto reprehensibilis est, quia de rebus temporalibus fluxæque vitæ commodis esse sollicitum, non modo religiosi

hominis non est, sed ne Christiani quidem. Nam cum dixisset Dominus: "Nolite solliciti esse, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur," statim illa subjicit: "Hæc enim omnia gentes inquirunt."[1] Ethnici quippe, cum temporalem tantum hanc vitam norint, minime mirum est si de ea tantopere sint solliciti; iidemque Divinæ providentiæ vim non sentiant, perpaucis exceptis. Ut christiani, qui et Divinam providentiam agnoscunt, et æternam vitam expectant, cur de suis ipsi corporibus sint solliciti; præsertim cum se non suos, sed Domini esse intelligant. "Nemo enim nostrum sibi vivit," Paulo teste, "et nemo sibi moritur;" quorsum ergo tanta christianis, si sui non sunt, suorum corporum sollicitudo? Aliena est igitur ab eis, multo autem magis a religiosis quorum est crucem amplexari, bellum cum corporibus gerere, præsentia despicere, futura concupiscere, animi denique magis quam corporis rationem ducere. Et propterea Augustinus initio suæ regulæ eum, qui ad fratrum congregationem venire desiderat, cohortatur,[2] "Ut abneget semetipsum, et tollat crucem, et ne tractet," inquit, "in corde suo de victu ac vestitu, et cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Evangelio et dicente: "Nolite cogitare, dicentes quid edetis, aut quo vestiemini." Sed de priore illo quod propositum erat, hoc est, cur corporis nimia cura reprehensibilis sit, satis. Nunc de altero illo: Ubinam hæc nimia sollicitudo versetur.

2°. Porro hæc sui corporis fovendi sollicitudo in quatuor præcipue rebus, ex Constitutione versatur: in victu, vestitu, habitatione, officio, aut exercitatione. Quamquam in duobus primis multo magis cernitur, tanquam magis corpori necessariis; ut non sine causa Dominus in Evangelio de iis tantum mentionem fecerit. Constitutio autem adjicit etiam habitationem et officium, quoniam qui de salute sui corporis plus æquo in religione

[1] Matth. 6. [2] Reg. 1. c. 2.

laborat, rationem etiam habere solet tum loci ubi versatur, tum artis quam exercet. De singulis igitur dicemus aliquid.

In victu sollicitudo versatur, cum aut quantitate, aut qualitate, aut apparatu meliora, quam apposita sunt, expetuntur. In quantitate quidem, cum necesssitatis specie plus quæritur quam usitata communisque mensura patiatur. Verum est enim quod a Salomone scriptum est: "Justus comedit, et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis;"[1] nempe quia ille parvo contentus est, hi nunquam exsaturantur. In Societate autem, ut fere in quavis religiosa disciplina, "Sic intra congruæ sufficientiæ terminos et generalis continentiæ limites," ut Bernardi verbis utar, "circumscripta sunt omnia necessaria, ut sit quod fortes cupiant, et infirmi non refugiant. Nec ulterius quantitas concessorum lædere possit in aliquo utentium cum gratiarum actione conscientiam, nec quæ sunt amputata, tentare debeant aliquatenus in servo Dei corporis bene morigerati et recte educati sufficientiam."[2]

In qualitate vero, cum ciborum genus aliquod ut noxium valetudini et insalubre respuitur, quo tamen cæteri in commune vescuntur, videre quippe licet, qui circa corpus suum nimis anxii sollicitique sunt, eos modo hunc, modo illum morbum ex cibis vulgaribus causari; quos appellat Bernardus in Canticis "ciborum observatores," in id Matthæi: "Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam."[3] Ubi ille: "Quid hic vos dicitis," inquit, "observatores ciborum, morum neglectores, Hippocrates et sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo, Christus et ejus discipuli perdere. Quemnam vos e duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat. Hoc oculis, hoc capiti, et illud pectori vel stomacho nocet, profecto unusquisque, quod a suo magistro dedicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legistis has differentias, aut in Prophetis, aut

[1] Prov. 13. [2] Ad Frat. de Mont. Dei. l. 1. c. 7. [3] Matth. 16.

in libris Apostolorum? Caro et sanguis pro certo revelarit tibi hanc sapientiam, non spiritus Patris, est enim carnis hæc sapientia." Atque hæc quidem ille pluribus persequitur. Ideo salutare consilium a Sanctis datur ut ad tollendam hanc sui corporis tuendi sollicitudinem, nihil ciborum in mensa respuamus. Beatus Isaias: "Si quid in mensa fuerit a quo fratrum aliquis abhorreat, ne dicat eo se vesci non posse, sed ad mortem usque sibi ipse vim afferat, et Deus illum consolabitur."[1] Nimium fortasse austere, sed hinc intelligi licet quam alienus sanctorum Patrum sententia ab hac sollicitudine debeat esse famulus Dei. Et Bonaventura: "Communibus fratres discant esse contenti, os suum ad omnia, quæ alii comedunt, assuescant; ut, si fieri potest, nullum omnino repudient aut abominentur cibum, grande vitium si potagium et communia respuas, ut in specialibus lautius procurreris."[2] Et S. Vincentius: "Cibariis, quæ fratribus apponuntur, sis contentus."[3]

In apparatu vero expetendo ciborum solet etiam esse sollicitudo, ut aperte ad valetudinem præparentur atque coquantur. Hinc crebræ illæ et religiosis indignæ querelæ, cum quis vel carnes non satis coctas, vel potagiis sal neglectum esse conqueritur, aut alia in aliis condimenta desiderat; quæ quidem omnia testantur hominem nimis pro suo corpore sollicitum esse. Ideo jubent Sancti, ne in his quidem sollicitudinem ullam nos oportere suscipere. Ac Dorotheus quidem hac de re a se ipso reposcendam esse rationem vesperi præcipit, atque ita se ipsum accusare: "Cur coquum increpavi? Cur pudore illum affeci? Cur ego impudentissimus in me ipse obmurmuravi, quod cibaria non bene decoxisset, artificiose curasset."[4] Beatus etiam Isaias ita nos admonet: "Si frater tuus edulia haud ita bene coxerit, ne dixeris eum male coxisse."[5] Et Bonaventura: "Ne indigneris si aliquis defectus sit in

[1] Orat. 3. [2] Spec. Disc. p. 3. c. 4. [3] Tract. Vit. Spir. [4] Ser. 11. [5] Orat. 6.

condimento salis, vel cocturæ." Et mox: "Nunquam audiatur aliqua querimonia de te pro aliquo defectu in cibo vel potu."[1] Quid est igitur aliud de his quæ ad victum pertinent esse sollicitum, nisi circa cochlear et mortarium, ut ait Clemens, vitam consumere, quod non modo religiosum valde dedecet, verum etiam, ut ille ait, christianos.[2] Et argumento est, religioso saporem cœlestium rerum non placere. Bernardus in paucis: "Haudquaquam nobis placere potest sapor cœli, dum saporem quærimus coqui nostri."[3]

In vestitu etiam aliquorum sollicitudo et nimia cura versari solet. Et quidem quoad tria illa, quæ de victu jam diximus. Nam aut supervacanea interdum, aut leviora, aut meliora, aut aptiora vestimenta requirunt, qui de suo corpore sunt solliciti. In quantitate quidem sollicitudo cernitur, si valetudinis nomine plus vestium, quam communi fratrum Societatis necessitati conceditur, requiratur; vel quia vim frigoris alius alio magis sentit, vel quia sordes vestimentorum alius alio majores contrahit, ut necessario permutanda sint. Quanquam autem pro cujusque necessitate omnibus consulendum est, et suam quisque indicare necessitatem debet; sæpe tamen necessitatis nomine prudentia carnis, et sui corporis indulgentia prætexitur, ideoque de vestis tum multitudine, tum varietate sollicitudo suscipitur, quod a Sanctis merito reprehenditur. Basilius: "De numero," inquit, "indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione perscriptum sit, in quo dicitur: 'Qui habet duas tunicas, det non habenti;'[4] ex quo sine dubio plures habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum præcipi potest."[5] Et Bernardus in Epistolis: "Clamant nudi, clamant famelici, conquerunt et dicunt: Nobis fame et frigore laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extersa in

[1] De Infor. Novit. p. 1. c. 8. [2] In Pædagog. [3] Ser. 65.
[4] Luc. 3. [5] De Inst. Mon. c. 12.

perticis, vel plicata in manticis? Quanquam sat scio alia aliis religiosorum institutis disciplinisque congruere."[1]

In qualitate seu genere vestimentorum sollicitudo versatur, cum aut meliora, aut recentiora quæruntur, ut quæ magis a frigorum defendant injuria; aut leviora, aut subtiliora, quæ nec dorsum deprimant, nec calores æstivos amplificent. Qua in re sæpe occulta quædam superbia inanisque fastus necessitatis specie se tegit, aut certe mollitudo quædam et teneritas sensuum, religionis institutis minime consentanea. Quod utrumque merito vituperatur a Sanctis; vanitas quidem elationis, quia, ut ait Basilius: "Qui per humilitatem Deo placere studet, eligere debet id vestimenti genus in quo omnium novissimus et ultimus appareat."[2] Si enim nobis studium habendum est omnium nos esse novissimos, certum putat esse et indumentis omnium novissimos deputare nos debere. Et hoc nomine laudat Equitium abbatem B. Gregorius, quod erat valde vilis in vestibus atque despectus.[3] Idem monet Basilius: "Religioso seligenda esse viliora vestimenta, tum humilitatis præseferendæ causa, tum charitatis."[4] Et Cassianus vestem monachi esse præcipit eam quæ corpus tantum contegat, ac repellat verecundiam nuditatis, et frigoris retundat injuriam, non quæ seminaria vanitatis aut elationis enutriat;[5] dicente Apostolo: "Habentes autem alimenta et operimenta, his contenti simus."[6] Sic in Constitutionibus nostris: "In vestitu habenda est ratio ejus finis, qui est ab injuria frigoris, et ab indecoro defendi."[7] Nota autem, B. Patris sententia, decori habendam esse rationem, quia alia Basilianos et excalceatos monachos, alia Societatis religiosos ac prædicatores vestimentorum genera decent; et, ut supra diximus, alia aliis disciplinis institutisque conveniunt. Bernardus quoque suos fratres accusans, qui subtilitatem vestium quærere videbantur:

[1] Epist. 42. [2] De Inst. Mon. c. 12.
[3] 1. Dial. c. 4. [4] De Vit. Solit. c. 31. [5] Instit. l. 1. c. 3.
[6] 1. Tim. 6. [7] Par. 3. c. 2. § 3. lit. C.

"Jam quæritur," inquit, "ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inveniatur; non quod frigus repellat, sed quod superbire compellat; non denique juxta regulam quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius ostentari."[1] Incidimus ergo in vanissimam elationem, dum vestium tenuitate quærenda consultum volumus corporis commodo. Aut si non in hanc, certe in mollitiem quandam a Sanctis item, ut diximus, reprehensam, imo a Sancto Sanctorum. Quid enim is ait apud Matthæum? "Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt."[2] Et glossa in locum: "Ipse Joannes habebat vestimenta de pilis camelorum," dicit: "Servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel delectationem, sed tantum ad tegendam nuditatem." Et Bernardus supra "Missus est:" "Ornari," inquit, "non armari appetunt milites Christi, qui dum se preparare ad prœlium, et contra aeris potestates prætendere paupertatis insigne debuerant (quod utique adversarii multum formidant), in mollitie vestimentorum, pacis potius quam belli præseferentes indicium, ultro se suis hostibus sine sanguine tradunt inermes." Molles ergo evadimus, dum nimium valentes corpore esse volumus.

In apparatu vero compositioneque vestimentorum sollicitudo aliqua esse potest, dum ea vel nimium laxa, vel nimis adstricta conquerimur. Sunt enim qui ita singulis apta membris vestimenta requirunt, ut picta potius, quam imposita corporis vel induta videri possint. Nolunt ea ulla ex parte redundare, ne sinus quidem ullos aut flexus tamquam frigoris receptacula ferre possunt; aiunt aptam vestem corpus a frigore magis defendere, quam villosam et bene munitam, quæ tamen corpori non tam apte conveniat. Nec sentiunt se in corporis sollicitudine elegantiam secularis cultus exquirere, non commodum valetudinis; secularis enim potius est fastus tam apta vestimenta gerere, quam religiosæ modestiæ. Debet enim esse cultus corporis

[1] In Apolog. ad Gul. [2] Matth. 11.

secundum propositum et professionem, ut ait Basilius, ita ut habitus pariter moresque consentiant.[1] Idemque alibi quærit: "An, si quis indumenta viliora ita composite apteque gerat, ut studeat decorem inde aliquem capere, is peccet"? Respondetque planissimum esse "hunc eo morbo laborare, quod hominibus placere velit, mentemque ejus a Deo longius evagari."[2] Porro in Constitutionibus nostris id præscribitur vestitus genus, quod ad mortificationem et abnegationem sui faciat, et ad mundum ejusque vanitatem sub pedibus conculcandam.[3] Habes autem exemplum apud Cesarium nobilis cujusdam monachi, qui cum calceos nimis astrictos indueret, belle a rege Galliæ dicitur insimulatus. Hactenus de victu ac vestitu, in quibus eorum qui nimium sese amant sollicitudo versatur. Dicamus jam de reliquis; habitatione inquam et officio, ubi eorumdem sollicitudo versari solet.

Ac de habitatione quidem dupliciter loqui possumus, vel de regione in qua quis habitat, vel de cubiculo in quo degit. De regione dictum est supra, cum de peragrandis variis locis agebamus; nunc breviter de cubiculorum habitatione, id quod præcipue spectat Constitutio, dicamus. Duas autem potissimum ob causas hæc sollicitudo suscipi solet, vel quia in uno eodemque cubiculo aliorum non placet societas, optatur enim a plerisque proprium ac solum cubiculum; vel quia non omnibus anni temporibus aptum est, cum sit hibernis fortasse frigidius, æstivis vero ferventius. Quibus autem contubernii societas minime placet, ii aut libertate quadam duci solent, quam proprii affert sollicitudo cubiculi; aut necessitate quietis ac somni, qui contubernalium strepitu interrumpitur. Sed nec strepitus societatis fraternæ plerumque tantus est, ut necessariam interrumpat quietem; qui si esset, justa forsitan esset causa permutandi cubiculi. Nec libertatis cupiditas tanti est facienda ut bonis illis, quæ ex fratrum contubernio consequuntur, anteponenda

[1] De Instit. Mon. [2] Ibid. [3] Par. 3. c. 2. § 3. lit. C.

videatur; eorum enim juvamur exemplo et excitamur ad simile virtutis studium, cum eorum in orando vigilantiam, in quiete silentium, in legendo sedulitatem, in suis erga nos officiis charitatem, in omni denique actione modestiam ante oculos propositam semper habemus. Melius etiam iis inspectantibus religiosa disciplina, quam cum soli degimus, custoditur, ubi enim testes et arbitri, ibi arctior disciplina; solitudo vero sæpe libertatem minime consentaneam religiosæ gravitati suadet. Et hæc forsitan causa est, cur Beatus etiam Benedictus monachis suis dormiendi locum omnibus, si id fieri possit, velit esse communem; sin minus saltem plures in uno eodemque cubiculo, et quidem senioribus intermixtos noctu quiescere. A quo haud dubie mutuatus videtur Ignatius, qui in Constitutionibus præcipit ut præsertim novitii in uno eodemque cubiculo terni aut quaterni juniores cum maturiore aliquo permixti degant; quamvis non vetet interdum et novitios separatum habere cubiculum, pro personarum videlicet tum conditione, tum bono. Sed assuefactio et consuetudo contubernii societatem leviorem facit, tum etiam amor paupertatis et humilitatis; paupertatis quidem, quia nihil sibi arrogat proprium, ne locum quidem, sed omnia cum omnibus vult esse communia. Quapropter, et in regula Beati Francisci ita dicitur: "Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem." Humilitatis autem, quia vere humilis vel cubiculi angulo se putat indignum, memor humilis Salvatoris, qui non habebat ubi reclinaret caput suum.

Altera vero causa cur qui de se ipsi nimis solliciti sunt, cubiculi permutationem expetunt, est quia hibernis temporibus frigidius, vel æstivis videatur ardentius. Sed huic sollicitudini dupliciter occurremus. 1°. Si memineri-mus eorum modestiæ, qui in eodem ante nos cubiculo versati sunt, ejusdem forte valetudinis ac conditionis, nec tamen de eo mutando magnopere laborarunt. 2°. Si

obedientiæ flagremus amore; quæ si vera sit, quocunque in loco nos collocet, tanquam mortui eo nos non commovebimus, sic enim verum obedientem apud Bonaventuram describit Beatus Franciscus. "Tolle corpus exanime et ubi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum," et mox: Hic est verus obediens, qui cur moveatur non dijudicat, ubi locetur non curat, ut transmutetur non instat. Hæc de habitatione.

Restat breviter de officio seu exercitatione, in qua eadem pro tuendo corpore sollicitudo versatur. Quoniam autem sunt munera quædam quæ ad literatos et sacerdotes, quædam quæ coadjutores et idiotas pertinent, officii nomine literatorum et sacerdotum; exercitationis autem coadjutorum videntur munera continere. Utrique enim, cum de fovendo suo corpore sunt solliciti, suum munus accusant, illi quod inbecillitate capitis vel etiam virium vehementer obsit; hi, quod suis illud viribus experiantur longe superius. Nam qui audiendis confessionibus, aut docendi vel etiam concionandi munere occupantur, ut hæc ipsa munera detrectent, valetudinem excusant, suam imbecillitatem inquam cerebri, virium languorem, defatigationem totius corporis. Qua in re fraus plerumque latet, non enim quia laboriosum, sed quia interdum minus speciosum, minusve jucundum munus aliquod est, propterea subterfugitur; tametsi honesta quæritur deserendi muneris species, ne aut ambitionis cupidi, aut voluptatis studio dediti videamur. Coadjutores vero et rei temporalis administri, in detrectandis fugiendisque muneribus suis, duabus præcipue de causis valetudinem aut vires excusant suas: vel quia difficultas aut labor, qui in eis obeundis suscipitur, vires infringit; vel quia multitudo officiorum, quæ in minoribus aliquando collegiis simul exequenda sunt, minime ferenda est.

Contra utrosque facit quod Basilius dicit, cum præcipit non licere cuique sibi, quod velit, opus eligere: "Se

ipsum," inquit, "accusat, qui proprio desiderio quod faciat, eligit; primum quidem quod sibi adhuc placeat, deinde quod vel mundi gloriam, vel lucrum aliquod speret, aut aliud quidpiam tale spectet, cujus gratia id artificii quod eligit, affectet; aut certe propter pigritiam ac segnitiem, quod facilius est præferat."[1] Hæc autem dicit esse signa hominis qui nondum se ipsum abnegavit, neque suis affectionibus mundoque renunciavit, nec membra sua quæ sunt super terram mortificavit. Et vere hinc maxime obedientiæ virtus agnoscitur, si nulla suæ valetudinis habita ratione, in eo se quisque artificio aut officio libenter exerceat ac sine recusatione suscipiat, quod semel impositum est, sive illud arduum et operosum sit, sive jucundum ac facile.

§ 2.—DE MODERATA CORPORIS CURA.

Hactenus de eo, quod primo loco propositum erat. Sequitur alterum, quod ad moderatam corporis curam spectat. Ut enim Constitutio nimiam corporis sollicitudinem reprehendit, ita laudat moderatam ejus tuendi curam propter Deum. Sunt enim Constitutionis verba: "Ita cura moderata tuendæ ad Divinum obsequium valetudinis ac virium corporis, laude digna et ab omnibus adhibenda est." Curam dixit moderatam, ut opponeret sollicitudini nimiæ. Tuendæ autem, non augendæ, quia satis est in Divino famulatu versanti tueri ac sustentare valetudinem, non augere. Addidit: ac virium corporis, quia, ut ait Clemens: "Ipsum vivere ex duobus constituitur, sanitate et viribus."[2] Potest enim quispiam commoda valetudine uti, et tamen imbecillibus esse viribus, ut non sint satis debitis muneribus obeundis; ideo tuendæ quæ firmæ fuerint, ne reddantur infirmæ. Adjunxit ejus rei finem, Divinum obsequium. Nam si quis sua causa

[1] Ascet. c. 41. [2] Pædag. l. 2.

et propter se hanc suæ valetudinis curam gerat, ne laudandus quidem sit; quia nemo sibi ipse finis est, sed omnium Deus. Illud etiam hic animadverte, quamvis propter Deum habenda sit suæ valetudinis cura, hanc tamen ex Constitutione debere esse moderatam; quia nimia sollicitudo corporis, etiam Dei causa suscepta, laude digna non est, nec Deo satis grata. Videamus igitur quibus causis laude sit digna moderata corporis cura, adhibita propter Deum. Quinque autem causæ afferri possunt.

Prima, quia non sumus, ut supra dixi, nostri sed Dei; dicit enim Paulus ad Corinthios: "Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri."[1] Et ad Romanos: "Nemo nostrum sibi vivit." Et: "sive vivimus, sive morimur, Domini sumus."[2] Cum igitur nemo sit sui sed Dei, debet id quod est ejus, tamquam rem alienam, tueri ac custodire. Quod si hoc de omnibus hominibus, et magis etiam de christianis qui empti sunt pretio magno verissime dicitur: eos non esse suos, multo verius adhuc de religiosis dicendum erit, qui se præcipuo quodam nexu Divino famulatui manciparunt, eique sponte se dederunt ac consecrarunt. Quare Bernardus ad fratres de Monte Dei: "Servus," inquit, "Dei dicendus est de suo corpore sic agere, quasi de non suo, sed ejus a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus et portemus Deum in corpore nostro." Pertinet igitur ad Divinum obsequium, ut quod est ejus, licet in nullam rem utile videretur, custodiamus tamen ac tueamur: tale est corpus nostrum ac vita nostra, quam qui ea de causa tuetur ac fovet, nae ille laude dignus est.

Secunda causa est, quia ad Divinum obsequium spectat, ut Deum ipsum precibus colamus et laudibus honoremus, et ejus contemplationi vacemus; quod sine corporis incolumitate vix, ac ne vix quidem possumus. Ideo Basilius

[1] 1. Cor. 6. [2] Rom. 14.

de vera virginitate: "Corporis," inquit, "cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed ut servitio illius philosophiæ studio, cœlestis scilicet, uti possimus. Impossibile est enim, nisi famulatum corporis ad philosophiam obtemperantem habeamus, vel divinis lectionibus operam dare, vel mente in corpore ægre languente, orationi convenienter insistere. Quisquis ejus igitur rei causa valetudinem tuetur, sua laude dignus est."

Tertia, quia Divini etiam obsequii est ut nos in omni palæstra virtutum exerceamus, alacriterque pugnemus adversus vitia et adversus spiritales hostes, qui nos dies ac noctes oppugnare non desinunt. At qui valetudine infirma est, non modo virtutum acquisitione privatur, ut idem Basilius ait, sed etiam partas sensim, dum nescit, amittit: "Quia per impedimenta," inquit, "infirmi corporis pugnare, seque ad sacra certamina exercere desuescit." Quod confirmat Sanctus Diadocus. "Nec enim," inquit, "infirmo corpore debet esse qui certat, sed ita firmo, ut sustinendo certamini par esse possit, ut anima etiam laboribus corporis convenienter purgari queat."[1] Hoc docet usus, atque experimentum. Videmus enim valetudinarios, et qui morbo præsertim diuturniore laborarunt, eos sæpe non parum de virtute ac spiritu deperdidisse, nempe intermisso virtutis studio, quæ ut parari sine assidua exercitatione non potest, ita ne conservari quidem.

Quarta, quia Divinum etiam obsequium exigit ut non nostram modo salutem ac perfectionem quæramus, sed, ut præcipit Constitutio: "Impense etiam in salutem ac perfectionem proximorum incumbamus." Non enim nobis tantum nati sumus, sed ortus nostri, ut dicebat Plato, partem sibi vindicat patria, parentes, propinqui; nos autem dicamus, proximi quique et omne genus hominum, quorum saluti et commodo servire qui possumus nisi ipsi recte valeamus, sed potius servos nostri corporis

[1] De Perf. Spir. c. 48.

requiramus? Nam, ut idem Basilius ait: "Corpus hoc attritum morbo non jam Domino ad Fratrum beneficentiam serviet, sed cæteros ad sui curam servos attrahet, et reliquis omnibus erit beneficentiæ occasio." Quisquis ergo valetudini suæ, quantum satis est, servit ut servire proximorum commodis et saluti queat, is laude dignus est. Nam nec docere, nec pro concione dicere, nec confitentibus præbere aurem, nec longinquas regiones peragrare, nec denique in officio Marthæ versari sine valetudinis bono ac virium firmitate quis possit?

Quinta causa est quia, qui moderatam suæ valetudinis curam gerit, adjuvat in ea re moderatores suos, quorum munus est tuere subditorum, non modo animas, verum etiam corpora. Quamvis enim in iis tuendis regendisque sollicito eos animo diximus excubare, ut supervacanea sit omnis sollicitudo subditorum; tamen quoniam homines sunt, interdumque multitudine curarum ac negotiorum circumspicere minus possunt necessitates singulas singulorum, si subditi ipsi, omni abjecta, ut supra diximus, sollicitudine, moderatam suæ valetudinis curam gerant, adjuvant ea ratione Superiorum curas atque vigilias, ac propterea laude habendi sunt digni, in eoque ipso quod suis moderatoribus, quorum voluntatem perspectam jam habent, obsequi student, Divini quoque obsequii rationem ducunt. Quibus autem in rebus hæc moderata cura, qua Superiorum vigilantiam dicimus adjuvari, sita esse debeat, ex tertio illo, quod initio propositum erat, jam intelligetur.

§ 3.—DE MODERATÆ CURÆ SIGNIS.

In his signis primum valetudinis tuendæ remedium continetur. Tertia igitur regulæ pars, in quam tribui eam posse dicebamus, primum indicat signa quædam moderatæ vel nimiæ curæ ab iis verbis: "Et ea de causa, cum animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid sibi necessarium

esse circa victum, vestitum etc., admoneant omnes ea de re Superiorem. Deinde vero ad tranquillandum animum æquumque reddendum, cum postulatis nostris denegatur, remedia suggerit. Tota autem subditorum cura ac diligentia eo scilicet revocatur, ut necessitates suas suis moderatoribus patefaciant; quod ad tuendam valetudinem primum valere præfati sumus. Quod quidem Constitutionis præceptum adversus eos maxime valet, qui laudabilius esse censent nihil unquam, quam aliquid aliquando quod ad corpus pertinet, postulare; vel quod id arbitrentur perfectioris esse virtutis, vel ne videantur suis moderatoribus onerosi, vel quod pudore quodam subrustico et verecundia impediantur, aliqua enim una ex his causis a suis indicandis necessitatibus retardantur. Sed tamen isti vim Constitutionis non satis tenent. Aliud est enim postulare, aliud indicare vel exponere id quod ad valetudinem vel prodesse, vel obesse videatur. Constitutio autem, etsi petere tale aliquid a Superiore minime illa quidem vetat, indicare tamen et exponere necessitates jubet. Quod laudabile esse diximus, cum ipsa Superiorum de subditis cura horum admonitionibus adjuvetur. Ideo non petendi aut postulandi verbis utitur, sed admonendi, deferendi, exponendi. "Admoneant," inquit, "omnes Superiorem," et mox: "Si senserint rem deferendam ad Superiorem;" et: "Ei totam curam rei expositæ relinquant." Quamvis igitur petere aliquid necessarium vitæ usibus, haud ita perfectum videretur esse virtutis, quod ipsum perpetuum esse non credimus, indicare tamen et exponere Superiori (iis quas Constitutio significat conditionibus) æque perfectum, atque haud scio an etiam perfectius existimandum est quam omnino silentio dissimulare; quia, ut paulo ante ex Constitutione dicebamus, moderata cura tuendæ ad Divinum obsequium valetudinis laude digna est.

Conditiones autem, quibus nostra est indicanda necessitas, quæque signa quædam nobis esse possint moderatæ quam quærimus curæ, tres omnino tanguntur. Prima est,

ut qui suas necessitates indicant, usu ante atque experimento didicerint id quod vel necessarium esse, vel noxium valetudini videatur, et hoc verbis illis significatur: "Cum animadverterint nocere, vel necessarium esse." Sunt enim aliqui in his quæ ad valetudinem pertinent nimis suspiciosi, et quadam quasi imaginatione ac mentis errore ducuntur potius quam re et veritate, omnia reformidantes, ab omnibus tamquam noxiis refugientes. Quorum mores atque querelas ita describit in Canticis Beatus Bernardus: "Legumina," inquit, "ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix possit quod comedas? Putate, quæso, monachum esse non medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione." Sed multo ante, Beatus Augustinus, a quo Bernardus sumpsit, sermone quodam de prudentia: "In hac," inquit, "fratres mei solitudine constituti toto affectu orare debemus et pati. Patienter enim portare debemus omnia, nec dicere præsumamus: Ecce legumina ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, aquæ potum non sustinet pectus, caules melancholiam nutriunt, choleram porri accendunt, pisces mihi non sapiunt. Nolite hæc dicere fratres mei, nolite etiam cogitare, non enim seculum reliquimus ut delicate pasceremus in eremo."[1]

Secunda conditio est, ut suas necessitates, non simul ac existimaverint vel animadverterint aliquid sibi nocere vel neccessarium esse, sed post adhibitas Deo preces. Nam, ut ait Clemens, per orationem examinatur modus, quo quis se habeat ad id quod oportet. Duo autem omnino bona ex hac oratione provenerunt: Primum lux a Deo, qua quis dispicere possit utrum, in patefaciendis necessitatibus suis, cupiditate an necessitate ducatur.

[1] Ad Fratres in Erem. Ser. 4.

Deinde præparatio quædam animi ad accipiendum æquo animo quod datum fuerit, sive abnuat, sive annuat postulationibus nostris is qui præest. Ideo tam diuturna hæc debet esse precatio, quamdiu se quispiam in quadam animi æquitate ac tranquillitate constituat.

Tertia conditio est, ut cum spoliatione quadam suæ voluntatis, easdem necessitates exponant. Quæ quidem suæ voluntatis spoliatio seu resignatio ex tribus potissimum rebus intelligitur. 1°. Si re jam exposita, omnis sollicitudo et cura ponatur, et in Superiorem rejiciatur. Hoc significatur iis verbis: "Cum Superiori rem exposuerit, ei totam curam rei expositæ relinquant." 2°. Si quod statuerit Superior, id optimum judicetur, ideo subjiciatur: "Et quidquid ille statuerit, optimum ducant." 3°. Si non urgeatur Superior ut postulationi moram gerat, nullis adhibitis interventoribus ac deprecatoribus. Et propterea additur: "Nec contendere, aut urgere per se, vel per alium, sive concedatur, quod petitur, sive non, pergant." Hæc enim tria plane arguunt voluntatem petentis funditus deditam atque addictam esse Superiori; et valetudinis quæ suscipitur curam moderatam esse, non nimiam. Contra vero in opposita vitia incidunt, qui non plane se dediderunt Superioris arbitrio ac voluntati, quique in curando suo corpore nimii sunt. Primum enim vitium est eorum, qui semper in ea sunt cura ac cogitatione defixi, utrum Superior concessurus sit necne quod postulatum est, et sine causa cruciantur animo atque torquentur. At Constitutio jubet omnem hanc sollicitudinem et curam in Superiorem nos rejicere, dum ait: "Et ei totam curam rei expositæ relinquant." Secundum vitium est eorum qui Superiorem suum, nisi annuat postulatis, tamquam inhumanum et durum criminantur et imprudentiæ notant, qui res tam salutares ac necessarias nihilominus deneget, quod non modo contra Constitutionem, quæ jubet id optimum judicari quod Superior statuerit, verum etiam contra id quod scribit Basilius

aperte faciunt, qui ait, non debere quemquam sibi usurpare judicium vel de noxiis, vel de utilibus, sed permittere id ei qui præest, qui præcipue curabit quid animæ prosit.[1] Tertium est eorum, qui precibus importunis Superiorem suum fatigant, et patronos qui pro se loquantur, submittunt; tandemque vi et importunitate, quod postularunt, extorquent, contra tertium Constitutionis membrum, quo prohibemur vel per nos, vel per alium, eos qui præsunt urgere; et contra id quod ait Bernardus: "Quisquis aperte vel occulte satagit ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Apparet enim id in obedientia vitium esse." Quare tenendum est Basilii præceptum: "Necessaria corporis cum omni et verecundia et mansuetudine postulanda. Ut si quid," inquit, "breve aut grande est ad mensuram staturæ suæ, hoc indicare debet, sed cum omni verecundia ac mansuetudine, quæ quidem importunitatis impudentiam excludunt."[2] Loquitur autem de vestimentis. Verum in exponendis rebus necessariis quatenus progredi liceat, Constitutiones ipsæ nos admonent, cum aiunt licere debita cum modestia: "Superiori in memoriam reducere vel representare id quod semel expositum est, si forte ille ex oblivione non provideret, significassetque se velle id facere."[3]

Quæ quidem tria vitia apertissima signa sunt voluntatem nondum plane deditam, nec in æquitate quadam animi constitutam, sed suam adhuc esse, et sibi vivere; sicut tria illa priora his opposita vitiis et æquitatem animi satis arguunt, et voluntatem suam Superioris nutui plane subjectam. At beatus quidem Fulgentius ut erat admodum diligens, animoque sollicito in antevertendis eorum quibus præerat necessitatibus ac postulationibus, ita contra importunos, et eos qui non admodum Superiorum curæ se crederent, dicitur fuisse severior, affirmans hæc quæ ad

[1] In Reg. Brev. 132.

[2] De Inst. Mon. cap. 51. [3] P. 3. c. 2. § 2. l. a.

corpus pertinent tam importune flagitare, magnam id inopiam spiritus indicare.

Sed quod tandem ad æquitatem tranquillitatemque animi obtinendam, postquam aliquid denegatum est corpori, præsidium afferemus? Primum quidem id, quod in extrema parte suggerit Constitutio: "Ut sibi persuadeat id magis expedire ad divinum obsequium ac suum majus bonum, quod Superiori re intellecta in Domino, visum fuerit;" si quis enim hæc sibi persuadeat, æquo animo feret omnia. Quorsum enim alio spectant susceptæ vitæ nostræ rationes, nisi ut in omnibus Divinum quæratur obsequium, et nostrarum utilitas animarum? Hoc est enim majus bonum quam corporis. Propterea Basilius ait, oportere Præpositum in judicando quid cuique utile sit, curare in primis quod animæ prosit; secundo vere loco, quæ ad corporis necessitatem pertinent pro Dei voluntate tribuere. Loquitur autem hac ipsa de re in suis Regulis brevioribus.[1]

Deinde etiam proderit quidquid acciderit in Divinam referre providentiam. Nam, ut ait Clemens:[2] "Cui persuasum est quæ sunt in mundo optime administrari, æquo certe fert animo omnia quæ eveniunt. Merito ergo nihil requirit ex iis quæ ad vitam pertinent ad usum necessarium, ut cui sit plane persuasum quod qui omnia novit, Deus, id quod est utile suppeditat bonis etiam non petentibus." Hoc autem sanctis viris legimus usitatum, ut de sene illo, cujus jam sæpe facta est mentio, scribit Dorotheus, qui lini oleo epoto pro melle, quod minister imprudens infuderat in pulmentum, mox cum minister ipse suam excusans imprudentiam veniam deprecaretur, "Ne te," inquit, "excrucies fili; si enim voluisset Deus ut mel ederem, mel utique posuisset." Narrat autem Beatus Dorotheus solitos fuisse Patres illos veteres minima quæque ac vilia in Deum semper referre. Quam ille rem pluribus explicat, et hæc addit: "Sic igitur cum alicui opus

[1] Reg. Brev. q. 132. [2] In vita.

fuerit ovo acceperit autem olusculam, dicat sibi ipsi: Si mihi opus expedierit, illud potens est Dominus mittere, vel potentius olera in ovum convertere; credatque Deo, quoniam hoc sibi fiet in martyrium." Cujus rei causam statim subjicit. "Quoniam," inquit, "Deus misericors unicuique necessaria impertit, prout cujusque saluti expedit." Et hoc est quod Basilius ait adversus eum qui contristatur cum id, quod sibi noxium esse indicaverit, non commutatur. "Apparet," inquit, "hunc non intelligere charitatem ejus, cui omnium, et ipsius quoque cura commissa est." Hoc est igitur quod Constitutio nostra monet: "Persuadere sibi quemque debere id sibi expedire, quod Deo gubernante a Superiore constitutum fuerit."

Proderit tertio, tum ad tranquillandum animum in impetrandis aut non impetrandis quæ pro corpore postulantur, tum ad abjiciendam omnem corporis curam ac sollicitudinem, meminisse quales in hoc genere fuerimus nostræ conversionis exordiis, qui obfirmato animo vel necessaria recusabamus, qui nunc supervacanea flagitamus. "Quidam enim," Bernardus inquit, "ad verecundiam illorum dico, qui ante inhiberi non poterant, ita in spiritu vehementi ad omnia ferebantur; postea ad tantam ignaviam devenerunt, ut secundum illud Apostoli: 'Cum spiritu cœperint, nunc carne consumentur.' Quam turpe iniere fœdus cum corporibus suis, quibus crudele ante indixerant bellum! Videas pro dolor! importune superflua quæritare, qui prius necessaria obstinatissime recusabant." Hujus ergo temporis recordatio et ruborem nobis afferet et quietem, ut anxios nos esse sollicitosque pro corpore hoc cito interituro vehementer pudeat.

Addamus quartum, si placet, ex Basilio, quod animum valde tranquillat et placeat.[2] Hoc est: "Si quis meminerit mandata Domini dicentis; quia dignus est, non quicumque sed operarius mercede sua. Discutiat ergo seipsum si

[1] Supra. q. 132. [2] C. de Instit. Mo. Nat. c. 30.

digne operatus est mandata Dei, et adimplevit omnia quæ præcepta sunt." Et tum non aliquid requiret, sed de eo ipso erit sollicitus quod ei datur, quia meritum jam suum accepit. Quatuor igitur hæc valent ad æquitatem animi, pacemque possidendam, cum quid postulantibus denegatum fuerit. Atque hæc, et de tertio hoc Constitutionis membro, et de tota ipsa Constitutione, satis.

Ex quibus jam intelligimus, primum ad tuendam valetudinem præsidium positum esse, ut initio dicebamus, in admonendis iis qui præsunt, cum quid animadversum fuerit valetudini necessarium esse, vel noxium. Sequitur alterum, quod in corporis exercitatione versatur, juxta regulam Summarii 47, de qua deinceps dicendum est.

IN REGULAM SUMMARII 47.

"UT non expedit tanto labore corporali quemquam onerari," &c. Sequitur alterum valetudinis tuendæ præsidium, quod in corporis exercitatione positum est. Omnis autem hæc regula tribui potest in partes tres, ut prima sit, labores corporis nimios esse non debere; secunda, moderatos vero omnibus convenire, etiam iis qui mentis exercitationi vacant; tertia, studia mentis interrumpenda esse sive quæ ad literas, sive quæ ad spiritus pertinent.

§ 1.—DE NIMIO LABORE VITANDO.

Labores nimios regula reprehendit duas potissimum ob causas; primum, quia spiritum obruunt; deinde quia totum hominem sæpe occupant, ut minimum temporis animo reservetur ad se colendum et exercendum. Propterea Dominus merito sororem Mariæ Martham reprehendit, quæ ministerii occupata labore sororis adjumenta poscebat. "Martha, Martha sollicita es," inquit, "et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium.

Maria optimam partem elegit." Hæc Marthæ turbatio, satagentis circa frequens ministerium, spiritum obruebat ne, sororis exemplo, contemplationi sanctæ vacaret; ideo jure illi præponitur soror, quæ Christi contemplationi consuetudinique tota erat addicta.

Hoc laboris incommodum spiritum obruentis sæpe oritur ex necessitate, sæpe etiam ex delectatione. Nam et operis absolvendi necessitas cogit interdum quempiam laborare plus æquo, præsertim si non sint socii qui adjuvent. Et delectatio quæ inest in labore animum detinet, facitque ut qui in corporis labore versatur, laborem ipsum non admodum sentiat; sed in eo diutius quam par est occupetur, interimque suis spiritus studiis defraudetur. Operis autem laborem præsertim moderatum delectationem habere, præsertim cum perdiscendi operis difficultas superata est, et assuevit jam animus, docet in opificibus usus ipse, qui in iis quas tenent artes jucundissime se exercent, surguntque ad opus suum antelucanis horis, totumque in eo diem sine magna admodum intermissione consumunt; quod quidem sublata delectatione non facerent. Necessitati igitur absolvendi operis ac laboris prospectum est, tum a moderatoribus adjungendis sociis qui adjuvent, ferantque laboris partem; tum etiam a Constitutionibus, quæ jubent a prandio, cum a labore cessandum est, si quid necessitas postulet, id quanta fieri potest charitate metiendum ac moderandum.[1] Ergo delectationi temperare, ne plus operis suscipiatur quam par est, ad subditos videlicet spectat. Et in hoc Constitutionis regulæque hujus præceptum situm est, cum expedire negat tanto corporis labore premi, ut spiritus obruatur. Altera ratio est, quia nimio labore et corpus, et animus defatigatur, ut non possit quispiam, etiamsi otium superesset, idoneus esse piis muneribus obeundis. Quid enim oret, aut quam strenue precetur is qui totum diem laboribus se contrivit? Non hic ad

[1] P. 3. c. 2. § 4. l. D.

precationem plicaturus est genua, quæ corporis labore fessa jam succidunt; nec mentem ad ea quæ orat adhibiturus est, cui somnum potius ac quietem, quam attentionem atque orandi affectum labor attulit. Ideo ad temperandos nimios labores, cavendamque defatigationem non permittunt Constitutiones secundum cibum per unius aut alterius horæ intervallum graviora corporis exercitia, ut dicitur in p. 3. c. 2. § 4. l. D. Sermo autem hic non est de coadjutoribus, qui toti vacant labori, minimum autem exercitationibus mentis. Tertia ratio est, quia, quamvis labor immoderatus nec vires frangeret, nec tempus quod exercitationibus concedendum est præriperet atque occuparet, tamen ita sæpe animum ipsum distrahit et a se avocat, ut non facile postea se ipse colligere et ad studia sua renovare se possit. Quare Bernardus ait esse opera quædam, quæ sicut sensus distrahunt, ita spiritum frequenter exhauriunt; ac propterea curandum esse ut non spiritualia exercitia propter corporalia, sed corporalia propter spiritualia adhibeantur, ita ut labores corporis ad conservandum et ad fovendum spiritum referantur. "Quia non vir," inquit, "propter mulierem, sed mulier propter virum; et sicut viro creato comparatum est adjutorium simile sibi, ita in adjutorium spiritualis studii necessarios esse labores corporis."[1]

Hæc est Bernardi sententia. Nos autem addimus, sicut qui studiis mentis insistunt, debent ex Constitutionibus, ut infra dicemus, hæc ipsa studia corporis laboribus interrumpere, ne modum excedant; ita qui corporis laboribus occupantur, debere eos vicissim mentis exercitationibus, id est piis lectionibus atque orationibus interrumpere; ita enim eos consequi ut nec corpus detrimentum accipiat, de quo mox, nec spiritus immoderatis laboribus obruatur. Et B. Franciscus in regulis vult fratres suos devote et fideliter laborare, ne labores ipsi spiritum sanctæ orationis exstinguant.[2] Devote autem ut plurimum non

[1] Ad Frat. de Mont. Dei. [2] Reg. c. 9.

laborant, qui modum in laboribus non noverunt. Nolo tamen hinc aliquos, orationis prætextu, ansam arripere fugiendi laboris. Id enim esset in contrarium vitium incurrere, quod Basilius damnat;[1] et in suis Gradibus Climacus, cujus verba sunt: "Cum senserint fragiliores quique ac segniores graviora sibi imperari, tunc orationes proferre contendunt."[2]

Secunda vero causa, cur immoderatos labores corporis Constitutio nostra prohibeat, est, quia detrimentum corporibus afferunt. Non enim tam prosunt moderati, quam obsunt immoderati; totum quippe corpus atterunt, non partem aliquam, ut asperitates multæ sponte susceptæ. Ideoque, pœnæ loco, olim a Deo primis parentibus labor impositus: "Maledicta," inquit, "terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus; nempe, quia audisti vocem uxoris tuæ, et in sudore vultus tui vesceris pane tuo."[3] Hinc nimirum mors quæ peccanti proposita fuerat, ex defatigatione quippe corporis morbus, ex morbo dissolutio totius hominis ac naturæ.

Clemens quoque Alexandrinus immoderatos labores improbat: "Quemadmodum," inquit, "optimum est labores cibos præcedere; ita supra modum laborare pessimum est, et laboriosum, et morborum causa."

Ne nimii igitur sint labores corporis qui valetudinem perdant, Constitutiones ipsæ cavent, non modo præcipiendo ut in iis modus quidam ab unoquoque adhibeatur, quantum in se est; verum et statuendo ut certis temporibus atque horis a labore cessetur, tum vero ut pro cujusque viribus labor corporis et officia dispertiantur. Sic enim habent: "Quamvis unusquisque paratus esse debeat ad quodvis officium assumendum quod ei fuerit impositum, animadvertendum tamen erit in illis, quæ robustiores ac fortiores homines requirunt, ut ii qui corporis habitudine juxta officiorum rationem præditi sunt, quantum fieri potest, constituantur,"[4] Quod ipsum olim præceptum est a

[1] Ascet. c. 37. [2] Grad. 4. [3] Gen. 3. [4] P. 3. c. 2. § 5. l. F.

Basilio, qui ait mensuram operum pro cujusque viribus a Præfecto præscribi oportere.[1] Et angelus B. Pachomio sic præcipit: "Ne plus operis fratres facere compellantur, sed moderatus labor omnes ad laborandum provocet."

Verum hic caveant aliqui ne suæ mollitudini indulgeri velint, dum nimium laborem obesse corporibus affirmamus, credantque nimium et immoderatum illum esse, qui imponentibus moderatus et cujusque viribus satis aptus et accommodatus videtur. Imponentium enim, non subeuntium debet esse judicium, qualis statuendus sit laborum modus; nec vero imponent illi plerumque, nisi quantum cujusque vires ferre posse usu ipso didicerint.

§ 2.—DE NECESSITATE MODERATI LABORIS.

Jam quod attinet ad necessitatem moderati laboris, Constitutio nostra hunc tanquam necessarium exigit, non solum ab iis fratribus qui Marthæ funguntur officio, verum etiam ab iis, qui animum et mentem excolunt; duas videlicet ob causas, et propter animum et propter corpus.

Dicamus prius de corpore, quoniam de ejus valetudine et sanitate nunc agitur; posterius autem de animo, quo libentius suscipiatur labor. Corpori prodest labor tribus de causis. Primum quia corpus exercet, ut ambulatio et id genus aliæ exercitationes, quibus nativus excitatur calor, nec sinitur corpus desidia ac situ tabescere. Planum id fieri potest in rebus etiam inanimis, quarum multæ situ ipso squalent et hebetantur, motu se ipsæ tutantur; nam ferrum gladiique, si eos non exerceas, rubigine exeduntur, et aqua conclusa facile corrumpitur, eaque vero motu atque agitatione se ipsa tutatur. Sed usus ipse docet quanto rectius valeant ii, qui vel laboribus, vel ambulationibus et cæteris hujusmodi exercitationibus corpus exercent, quam qui totum diem sedent et in

[1] Ascet. c. 43.

libris se ipsi conficiunt; testis est in his pallor et macies, in illis bonus color atque habitus totius oris. Hæc est causa cur fratres nostri coadjutores, qui in opere manuum laboreque versantur, raro in morbum incidant et rectius valeant; cum contra qui in literarum studiis accurate versantur, imbecilla plerumque valetudine infirmisque viribus reperiantur. Ideo Fulgentius in verba: "Panem otiosa non comedit,"[1] laborem appellat "morborum fugam, et dormientis naturæ stimulum." Bernardus autem, quod nos in nostris fratribus coadjutoribus ostendimus, id ipse ostendit in rusticis: "Rusticus," inquit, "duros habet nervos, fortes lacertos, exercitatio hoc facit; sine eum torpere, mollescit. Voluntas facit usum, usus exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat."[2]

Propterea etiam Clemens Alexandrinus ad tutandam valetudinem gymnasium in viris feminisque probat, ut etiam ligonem viris concedere non versatur.[3] Et Basilius fuse probat ex Scripturis Sacris et lege naturæ, et ex actis Sanctorum et consuetudine Salvatoris nostri melius esse et utilius consolidare corpus laboribus, quam negligere, et illud potius efficax reddere operando, quam sponte otiosum et ignavum deserere.[4]

Secundo, prodest corpori labor, iis præsertim qui literarum studiis, aut etiam pietatis, multam operam dant; quia vicissitudo ipsa commutatæ operæ minuit molestiam et intentionem eorum munerum quæ mente exercentur, quorum assiduitas, si nulla fiat intercapedo, valetudinem tandem frangit atque debilitat, ideoque jubet Constitutio exercitia mentalia externis laboribus interrumpi, ut mox dicemus.

Tertio, quia labor moderatus delectationem habet, ut supra diximus. Delectatio autem animum et corpus reficit, cum animum ipsum ad horam detineat, ut ait Bernardus, ex quo valetudo juvatur. Non potest autem natura nostra

[1] Prov. 31. 27. [2] Ad Frat. de Mont. Dei. [3] Pædag. l. 3. c. 10.
[4] De Vita. Sol. Const. Mon. c. 5.

omnino cessare, sed necesse est semper agat aliquid et moliatur, quia in eo scilicet vita hominis sita est, et ut Tyrius Maximus ait, nihil agere ad mortuum pertinet. Ideo videmus pueros etiam tum, cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectari, ut ait Cicero; et opifices ipsos in suis interdum opificiis ludibundos quodammodo, et in laboribus sine labore versari. Sicut de quibusdam agricolis dicit Augustinus: "Tanta eos cum voluptate animi agricolare, ut eis sit instar pœnæ inde ad aliud evocari."[1] Facit hoc delectatio quam labor habet hominis naturæ maxime consentaneus. Ac propterea Deus primum hominem, antequam peccaret, posuit in paradiso voluptatis ut operaretur illum,[2] quod opus haud dubie delectationis erat non laboris, jucunditatis non molestiæ. Sed qui labor ante peccàtum jucunde et quasi per ludum suscipiebatur, susceptus est postea cum tristitia atque sudore, ut esset pœna peccati qui erat lusus ante peccatum. Usus autem ac consuetudo laboris naturam ostendit, qui si moderatus sit delectationis ex se plurimum habet, qua mirifice valetudo juvatur.

Propter animum autem ab omnibus suscipiendus est labor aliquis corporis, tribus potissimum ex causis. Primum propter humilitatem, opus enim manuum ad humilitatem valet plurimum; servorum quippe et humilium videtur, non nobilium atque ingenuorum manibus laborare. Quod ni esset ita, non ita nos moneret Ecclesiasticus: "Noli extollere te in faciendo opere tuo."[3] Monet enim Salomon, ne detrectemus laborem tanquam indignum natalibus nostris, servorum quippe, non nobilium videtur. Et propterea de populo Hebræo sub persona Joseph, a laboribus conficiendorum laterum liberato, dicit David: "Amovit seu divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt."[4] Ubi Augustinus: "Per cophinum," inquit, "significantur opera servilia; mundare stercora, terram portare cophino servilia sunt opera. In cophino

[1] De Gen. lib. 8. ad lit. c. 8. [2] Gen. 2. [3] Eccl. 10. [4] Psalm 80.

serviebat Joseph, terram ibi portabat, quia lateres faciebat, quod humilium non nobilium hominum est."[1] Idem de Apostolo Paulo, qui per humilitatem voluntariis se laboribus demittebat: "Non dedignaretur," inquit, "Apostolus sive rusticanum opus aliquod aggredi, sive in opificum labore versari." Quo in opusculo significat Augustinus, quantum superbiæ tumor operis labore sanetur: "Si ad hanc," inquit, "vitam ex divite quisque convertitur, et nulla infirmitate corporis impeditur, ita ne desipiamus a sapore Christi, ut non intelligamus quantus superbiæ prioris tumor sanetur, circumcisis superfluis, quibus ante animus exitialiter inflammabatur, ad modica, quæ restant huic vitæ naturaliter necessaria, etiam opificis humilitas minime recusatur."[2] Sanctus etiam Dorotheus cum ex SS. Patribus humilitatis vias docet, laborem in iis corporis munerat: "Interrogatus," inquit, "senior a fratre, quid esset humilitas, respondit magnum opus ac divinum nescio quid: vias vero humilitatis, labores esse corporeos, quos cum scientia facis, etsi te omnino omni sujicias, oresque sine intermissione."[3]

Cassianus[4] inter alias causas manibus laborandi hanc postremam affert, ut quis et fastus vitæ præteritæ possit et delicias oblivisci, et humilitatem cordis contritione laboris acquirere.

Sed dicet quispiam: quid humilitati cum labore corporis? præsertim cum illa in animo, hic versetur in corpore. Quærit hoc B. Dorotheus cur corporeus labor humilitatem gignat, eaque de re valde dubitat; aitque secundam et tertiam humilitatis viam a sancto illo traditam satis se intelligere, nempe quomodo subjectio voluntaria et continens oratio humilitatem ponant. At quo pacto labor corporis id efficiat non se satis intelligere, pluribusque tamen verbis confirmat senis sententiam: "Quia compatitur," inquit, "anima, simulque disponitur

[1] L. de Op. Monach. [2] C. 13. t. 3. [3] Lev. 2.
[4] De Instit. Monach. l. 2. c. 3.

ab his, quæ patrantur in corpore, sequiturque habitum corporis: aliter enim v. g. afficitur anima insedentis in asino, aliter sedentis in throno; aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi ac male vestiti." Concluditque his fere verbis: "Labor igitur humiliat corpus, humiliato autem corpore, humiliatur pariter et animus."

Consimilia docet Climacus, in Gradu de humilitate, et Salvatoris affert exemplum: "Sciens," inquit, "Dominus exteriori habitu figurari animæ virtutem, sumpto linteolo humilitatis nobis compendium ostendit. Studiis assimilatur anima, et ad ea, quæ gerit, formatur, atque ad ea figuratur." Et mox: "Aliter affectus est, qui in solio, aliter qui in sterquilinio sedet: atque ideo fortasse magnus ille justus extra civitatem sedebat in stercore."

Eadem propemodum Basilius docet, quamvis de labore nihil dicat: "Anima," inquit, "studiis et exercitiis similis evadit, et ad ea, quæ facit, efformatur ac figuratur."[1] Bernardus aliam rationem innuit, cur ex labore corporis oriatur humilitas: "Causam," inquit, "laboris cogitet in labore, ut ipsa ei pœna quam patitur, repræsentet; et dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur. Hujusmodi siquidem cogitatione humiliamur sub potenti manu Dei, et dulci quadam pietate mens plena mirabilem se exhibet in oculis ejus."[2]

Quanquam autem labor corporis, qui etiam iis, qui litterarum studiis aut spiritualibus officiis operam dant, præscribitur, non est admodum gravis. Nec enim opificum more manibus aliquid elaborant, ut prisci illi Patres: levis tamen ille qui præscribitur, ut verrere pavimentum, ministrare mensis, lances extergere, et id genus alii labores atque exercitationes humilitatem tamen continent, et ad humilitatem viam muniunt; eoque alacrius suscipi debent, quo leviores sunt, et a sanctis viris sponte suscepti. Nam Constantini generum Gallicanum virum sane gravem et consularem, cum monachus factus esset, ad omnem servorum

[1] Ser. de Humil. [2] Ad Fratres Ser. 42. t. 1.

ac famulorum humilitatem se Christi causa demisisse, memoriæ proditum est. Martinum vero Turonensem Episcopum suo famulo famulari solitum, et quæ servi dominis, dominum servo obsequia præbuisse non ignoramus. Et apud Gregorium[1] sanctus abbas Equitius fœnum secat, sacros codices in pelliceis sacculis dextra lævaque portat. Beatum etiam Dominicum scimus suam in itinere sarcinulam suis humeris gestare solitum; neque passum esse unquam, ut a quoquam sibi pallium ac pera ferretur; tanta erat humilitate præditus. Nec vero minore fuit ejus æqualis B. Franciscus, qui vel in afflicta ac pene perdita valetudine nunquam sibi a fratribus deserviri passus est: verum ipse sibi servus ac famulus fuit; ipse suis manibus cellulam ac pavimenta verrebat; ipse sibi laceras vestes resarciebat et consuebat. Ut mirum jam videri non debeat, cur noster quoque S. Ignatius hæc humilia munera a quovis obiri in Societate atque exerceri velit, qui ea modo per occupationes aut per imbecillitatem obire possit: intellexit enim quantum in iis ad humilitatem comparandam insit momenti. Ideoque neminem ab iis excepit, nisi quem vel nimiarum, ut dixi, occupationum, vel morbi imbecillæque valetudinis exceperit ipsa necessitas. De hoc etiam Clemens: "Pulchrum est autem," inquit, "etiam aquam per se haurire, et ligna scindere, quibus sit usurus. Jacob autem pascebat oves Labani."[2] Idemque infra in virtute ponit exercitium a fastu alienum, ut sibi ipsi calceos induere, pedes lavare, ægrotanti assistere amico, et impotenti atque egenti ministrare, et ea, quæ necessaria sunt apponere. Nam de Christi exemplo, quem putat Basilius[3] assidua corporalium laborum exercitatione parare sibi victum voluisse, ut nos humilitatis admoneret, nihil attinet dicere: qui quidem apud Marcum (c. 6) etiam faber appellatur.

Secunda causa cur prosit etiam animo labor corporis est, quia valet ad tollendum otium, evitandasque peccatorum

[1] Dial. 4. [2] Gen. 30. [3] De Vit. Solit. c. 9. p. 411.

occasiones, cum quis legendo orandoque fessus est. Non enim etiam ii, qui toto pectore in litterarum studium incumbunt, affixi libris, mentisque cogitationibus esse possunt; sed necesse est interdum vacent, et cogitationum intentionem remittant. Ergo dum a studiis mentis vacant, ne prorsus versentur in otio, labore aliquo atque exercitatione corporis detineantur oportet, qua fugiant otium malorum omnium seminarium. Propterea enim sic præcipit Ecclesiasticus: "Mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas."[1] Quare et Augustinus: "Quem tædet," inquit, "orare et psallere, manibus operari ne differat."[2] Et alibi, "Si quando ab oratione et lectione cessatur, debet operatio manuum subsequi, quia otiositas inimica est animæ; et hostis antiquus, quem a lectione seu ab oratione seu etiam ab opere vacantem invenit, facile ad vitia rapit."[3] Et ob hanc causam Bernardus ad fratres de Monte Dei laborem illis statuit.

Scribit autem B. Hieronymus[4] Ægyptiorum monasteria hunc morem tenuisse, ut nullum absque operum labore susciperent, non tam propter victus necessitatem quam propter animæ salutem, ne vagetur periculosis cogitationibus mens.

Et Cassianus docet Paulum Apostolum hanc Thessalonicensibus inquietis et otiosis curationem adhibuisse, ut laborarent atque operarentur. Verba Pauli sunt: "Iis autem qui ejusmodi sunt," scilicet ambulantes inquiete, "denunciamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent."[5] "Causas autem tantorum ulcerum," Cassianus inquit, "quæ de radice otiositatis emergunt, uno operationis salutari præcepto curavit."[6]

Quare et B. Antonius audivisse a Deo dicitur, ut scribit Augustinus, ut otii vitandi causa manibus laboraret; narraturque res tota in vitis Patrum.[7]

[1] Eccl. 33. [2] Ser. 17. ad Fratres. [3] Exhor. ad Fratres.
[4] Ad Restium. [5] 2 Thess. 3. [6] L. 10. c. 14. [7] L. 2.

Paulus quoque ille, qui Cassiani sententia Patrum probatissimus dicitur,[1] etsi ad victum cultumque necessarium opere non egebat, palmarum fructibus et modico horto securus, quotidianum tamen laboris pensum, velut exinde sustentandus, a semetipso jugiter exigebat: cumque opere totius anni antrum ejus fuisset impletum, id quod sollicita cura laboraverat, singulis annis igne supposito concremabat. Ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis et cogitationum soliditate, vel acediæ victoria atque expugnatione perficeret.

Recte igitur S. Ignatius "Omnes," inquit, "quamdiu valent in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur, ne otium malorum omnium origo domi nostræ locum habeat."[2]

Tertia causa, quia labor corporis moderatus ad pietatem et devotionem quamdam peculiarem nos præparat. Sic enim sentiebant veteres Patres, ut ait Cassianus: "Credentes se tanto sublimiorem spiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæsituros, quanto devotius fuerint erga operis studium ac laboris intenti."[3]

Hujus ratio duplex esse potest. Una est, quia mentem colligit labor corporis moderatus, ne ad inania vagetur, et collectam contemplationi reservat. Ideo Bernardus: "Serius," inquit, "animus et prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in se ipsum colligitur."[4] Et Bonaventura: "Etsi ad horam intercipit devotionis quietem," (scilicet labor), "tamen meretur postea majorem dulcedinis infusionem."[5]

Altera ratio est, quia ipsa laboris pœna, si qua est, devotionis meretur affectum. Sic Bernardus, cum de manuum opere loqueretur, ita subdidit: "Fatigationis enim suæ pressura exprimunt sæpe vehementioris affectum devotionis."[6] Idemque id colligit quam et Deo et Angelis

[1] Lege et Specul. Exempl. d. 2. c. 113. [2] P. 3. c. 1. § 6. [3] L. 2. c. 12.
[4] Ad Fratres de Monte Dei. [5] De Inform. Nov. p. 2. c. 4.
[6] Ad Fratres de Monte Dei.

labor noster placeat; sic enim ait, cum de pastoribus loquitur: "Agnoscant homines, quia in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur."[1] Agnoscant quam placeat supernis civibus labor, cujus spiritalis intentio est: quandoquidem et eos qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate laborant, suo dignantur alloquio, et alloquio tam felici.

Et Cassianus id confirmat, quam scilicet Deo placeat: "Labor," inquit, "carnalis spiritus contritioni conjunctus acceptissimum Deo sacrificium, dignumque sanctitatis habitaculum puris recessibus exhibebit."[2]

§ 3.—DE STUDIIS MENTIS INTERRUMPENDIS.

Restat tertia Regulæ pars, quæ studia mentis exercitationesque, quæcumque illæ sint, interrumpi jubet, et non continuari, nec sine mensura discretionis assumi. Sunt autem hæc omnia Regulæ verba non sine causa in unum plura congesta, quæ vim eamdem videntur habere. Indicant enim necessitatem interrumpendi studia mentis, quorum nimia continuitas vehementer officit valetudini, licet id non subito sentiamus, sed procedente die, cum sensim vires ex studiorum defatigatione languescant, et corpus extenuatur. Non enim mens est nostra angelicæ mentis instar, cujus est sine labore ullo perpetua in intelligendi actione versari, et sine ullo cursu progressuque rationis, quicquid velit, intelligentia complecti, quia natura quadam est libera ac sejuncta ab omni concretione materiæ. Nos autem cum geramus corpus hoc dissolubile, quod animus noster informat, nequaquam sine ejus præsidio atque phantasmate aliquid intelligentia consequi possumus, nec sine labore cursuque rationis. Itaque cum in utroque sit labor in animo et in corpore; in animo, quia avocatur a sensibus actioni mentis intentus; in corpore, quia in actionibus animi collaborat, tanquam

[1] Ser. 3 de Nat. Dom. [2] L. 9. c. 21.

ejus organum et instrumentum; hinc fit ut assiduis mentis studiis atque exercitationibus, nisi interrumpantur, modusque aliquis adhibeatur, non sine magno valetudinis incommodo defatigemur.

Sed qui tandem est iste modus, quem in suscipiendis mentis actionibus dicimus adhibendum? Omnino quadruplex ex Constitutionibus colligi potest.

Primus est vicissitudo et commutatio studiorum interiorum cum exterioribus: "Quæ quidem externis," Constitutio inquit, "interrumpi deberent et non continuari." Ratio, ut supra significavimus, duplex est. Altera, quia labor et externa exercitatio animum ad horam detinet, ut Bernardus ajebat, propter delectationem, quæ in hujuscemodi laboribus fere inest: delectatio autem est quies animi, per quam solvitur atque evanescit omnis ejus defatigatio.[1] Altera vero est, quia ipsa studiorum commutatio minuit laborem, dum remittit intentionem, et animum ad alia leviora et sensibus notiora traducit. Quæ commutatio ac vicissitudo eamdem vim habet in variis studiis mentis, dum ab uno ad aliud animum revocat, ut quotidie nobis usu venit. Experimur enim, cum ex alicujus libri lectione defatigata mens est, si cogitationem ad alia studia, interiora illa quidem, sed tamen leviora et jucundiora traducamus, minui magna ex parte defatigationem, ut si a Philosophiæ cujusdam divinioris et sublimioris contemplatione ad physica nos et naturæ studium, quod per se levius ac sensibus jucundius videtur, convertamus: aut ab hac ad humanitatem, quæ magis adhuc consentanea sensibus videri potest, animum referamus. Commutatio igitur ipsa studiorum, præsertim cum iis, quæ et leviora et notiora sunt sensibus, ut sunt externa, mirifice recreat defatigatam mentem. Ut enim difficile atque injucunde videtur avocare mentem a sensibus, et abducere animum a consuetudine oculorum; sic facile et jucundum a spiritualibus et sublimioribus cogitationibus

[1] Arist. Dist. l. 2. q. 29.

ad sensus atque ad oculorum consuetudinem revocare. His igitur primum interiora studia interrumpenda Constitutio præscribit: atque hic est primus interrumpendi modus, per vicissitudinem et commutationem studiorum.

Alter interrumpendi modus est, ut secundum epulas a gravioribus mentis exercitationibus temperetur. Sic enim habet Constitutionis declaratio: "A prandio præsertim in æstate, per unius vel duarum horarum spatium permitti non debent, quoad ejus fieri poterit, corporis aut mentis graviora exercitia." Jure autem vetat secundum cibum graviora mentis exercitia, quia cibi concoctionem impediunt, dum spiritus vitalis caloris sursum ascendunt, stomachumque destituunt, et nutriendi facultas redditur imbecilla, præsertim æstivis caloribus, quibus corpora humana languescunt. Omnino res sic se habet, ut in cursoribus et peregrinantibus, qui si nunquam interrumpant iter ad solitas quietes, curasque corporis, et se et equum ubi sedent, cursus assiduitate conficiant; neque diuturnus cursus ipse futurus sit, quia, quod caret alterna requie, durabile non est. Ita in studiis mentis sit, quæ si contentius sine ulla cursus intermissione suscipiantur, frangantur et animi et corporis vires, nec satis diuturnas esse possint: quia, fracto corpore, minus est idoneus animus ad sua munera obeunda; sin dispertita tempora habeant quietis et laboris, diu vigeant ac floreant, optatosque ad exitus provehantur. Hinc sapienter institutum esse intelligimus in Societate nostra morem hunc relaxandi animos secundum cibum, saltem ad horam sive post prandium sive post cœnam. Quibus temporibus nemini licet Superioris injussu in cubiculum se recipere ad usitata studia atque munera; ac ne ad orandum quidem, aut ad labores etiam corporis graviores: idque ut valetudini consulatur remissione curarum atque laborum. Quod si necessitas aliqua postulaverit, ut id temporis gravioribus curis studiisque danda sit opera, jubet constitutio id, quanta maxima caritate fieri poterit, moderandum.

Quod ideo additum est propter fratres coadjutores, qui necessariis nonnumquam laboribus id etiam temporis occupantur: quamquam et aliis, qui in mentis exercitationibus spiritualibusque versantur officiis, ejusmodi necessitas interdum imminet, ut qui confessionis pœnitentium excipiunt, et qui concionem in proximum diem parant, et qui publice docent, nec se satis compararunt. His, inquam, et similibus necessarium est interdum id temporis, quod quieti post epulas datur, in suum cuique munus impendere. Raro tamen id accidit, nec sine magna necessitate permittitur. Sed est mos universorum, ut sumpto cibo quiescant, animosque mutua collocutione relaxent; idque ad horam dumtaxat sive a prandio, ut diximus, sive a cœna. Quamquam autem Constitutio dicat per unius aut duarum horarum spatium, hoc non debemus sic accipere, ut existimemus hanc nobis quasi licentiam dari prorogandæ ultra horam quietis; sed ut intelligamus graviores curas exercitationesque per id spatium temporis non permitti, præsertim in æstate, cum paululum somni, relaxatis colloquendo jam animis, plerique capiunt. Spatium igitur duarum horarum non ad recreationem statam, sed ad aberrationem mentis a studiis gravioribus referendum est.

Dicet quispiam, cur relaxatio nostra post epulas non in eo sita est, ut audiendis piis lectionibus detineamur? quemadmodum suis monachis statuit B. Benedictus:[1] præcipit enim in regulis, ut a cœna, cum convenerint omnes, legantur Cassiani collationes vel SS. Patrum vitæ, vel aliquid, quod ædificet audientes. Respondeo, quia si collocutio sit qualis decet esse religiosorum, spiritualis scilicet et ad ædificationem fidei, ut jubet Paulus, non minoris futura sit fructus atque utilitatis, quam quævis lectio, gratior quidem certe atque jucundior, ac proinde magis etiam ad relaxandos animos accommodata. Porro majore nostris opus est relaxatione, quam

[1] Reg. c. 42.

monachis, qui tantis studiorum laboribus tamque assiduis se omnino non conterunt: nostrorum autem mentes, ex quo surrexerint usque ad noctem, perpetua in agitatione versantur.

Quæret adhuc: hæc, quam proprie vocamus Recreatio, a constitutionibus non videtur inducta; nullus enim locus in iis est, ubi aperte hanc, quam tenemus, animi relaxandi rationem tradant. Respondeo: Esto; nullus sit ea de re locus apertior: certe si hic quem habemus præ manibus ad usum revocandus sit, cum Constitutio graviora exercitia nec mentis nec corporis a prandio permittat, necesse erit pomeridianum tempus a prandio et vespertinum post cœnam, eo, quo solemus, relaxandi modo transigere. Quid enim spectat aliud Constitutio, nisi ut animi relaxentur? At quænam leviora exercitia excogitari possint rata et fixa, ut defatigatus studiis gravioribus animus relaxetur? Nisi forte musicis operam demus, quæ etsi vere delectent, et animum ab intentione curarum non parum avocent; tamen nec ea usurpari quotidie fas est, nec omnes æque delectant. Alia exercitia leviora, præsertim mentis, quænam esse queant, ut non secum laboris aliquid afferant, non est facile reperire: corporis autem sæpe molesta sunt; et licet initio jucunda videantur, cito tamen defatigant. Huc accedit, quod Constitutio ipsa non ita multo post satis aperte videtur iis, qui præsunt, imponere, ut conveniens aliquod recreationis genus iis, qui assiduis laboribus detinentur, exhibeant. Sic enim habet: "Sed nec extra hujusmodi horas nimium continuari sine aliqua relaxatione, vel convenienti recreatione debebunt." Jam conveniens ista recreatio qualis esse debeat, nisi talis sit, qualis post epulas datur, non satis intelligitur. Quamvis autem Constitutio convenientem hanc recreationem inter ipsa studia per diem concedere videatur: tamen visum est eam moderatoribus in id tempus, quo secundum cibum quiescimus, melius atque opportunius

posse transferri: atque huc rejectam in hodiernum usque diem consuetudo ipsa servavit. Dandum igitur est aliquid antiquæ consuetudini, quæ et a Constitutionibus, et a ratione ac prudentia eorum, qui Constitutiones interpretantur, ortum habet. Neque enim omnia enucleanda ab eo, qui Constitutiones scripsit, fuerunt, sed multa moderatorum committenda prudentiæ; et quorum facilis explanatio esse poterat, eorum intelligentia ac sensus moderatorum item arbitrio relinquenda. Quare amplectenda est ut sancta et ex Deo nata, et corporibus animisque maxime salutaris hæc, quam tenemus, recreandorum corporum post epulas ratio.

Sequitur tertius interrumpendi modus a Constitutione præscriptus; qui in eo situs est, ut ne extra horas quidem usitatæ relaxationis studia illa interiora continuentur, ut ex verbis paulo ante citatis intelligitur, sed adhuc remitti jubentur interdiu: quia tam multarum horarum intentio quæ post quietis tempus ad cœnam usque consequuntur, haud dubia noxia esset admodum valetudini, si nulla fieret intermissio. Ideo sapienter iis, qui in litterarum studiis versantur, a moderatoribus consultum est, ut ultra duarum horarum spatium studia illa non prorogent, sed paullisper interrumpant, dum relaxetur animus et quodammodo renovetur. Quod præceptum ad alia etiam studia mentis pertinere debet, præsertim ea, quæ spiritualia vocamus. Nam, ut testatur in suis Collationibus Cassianus,[1] "Sæpe accidit vel experientissimis atque perfectis, ut nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinem collabatur." Quamobrem huic incommodo ab Abbate Abraham temperatio ejusmodi inventa est, ut interruptionis occasiones ab interpellatoribus atque intervenientibus fratribus non modo patienter, verum etiam gratanter

[1] Coll. 24. c. 20.

ac libenter amplectamur. "Idcirco," inquit, "a prudentibus atque perfectis, cum intercesserit fratrum etiam crebra visitatio, non solum toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda." Optima profecto temperatio. Nec enim sine divinæ providentiæ consilio comparatum videtur, ut interdum ab interventoribus interpellemur, ne scilicet nimia intentio mentis in spiritualibus studiis aut valetudinem frangat, aut tædium et defatigationem animo afferat. Quocirca geminam hujus interruptionis utilitatem, is, quem dixi, abbas observat, alteram, quod avidiores nos facit spiritualis exercitationis nostræ ac solitudinis; alteram, quod necessitatem reficiendi corpusculi cum fructu humanitatis indulget. Qua ex re majora nobis accedunt bora, quam quæ per abstinentiæ fatigationem fuerant acquirenda: supponit autem salutationes illas SS. Patrum non solum fuisse verborum, sed etiam humanæ cujusdam officiosæque refectionis.

Quartus interrumpendi modus exercitationes mentis is est, quem Constitutiones[1] nostræ præscribunt: ut saltem in singulis hebdomadis dies unus a prandio quieti destinetur; qui dies tam iis, qui in litteris, quam in piis ac spiritualibus versantur exercitationibus, statutus est. Utraque enim mentis studia hanc animi remissionem paulo laxiorem videntur exigere. Idcirco et in Evangelio Marci[2] reperimus suos Christum aliquando discipulos tamquam ex prædicatione defessos in desertum locum revocasse jussisseque requiescere pusillum. Ubi observant SS. Doctores dandam esse prædicatoribus verbi Dei exactis laboribus requiem aliquam, convenientemque animi relaxationem. Dies autem hic a Constitutione statutus interdum integer totusque a laboribus datur, ut per æstivos calores, et cum in villam aliquam suburbanam exitur: interdum dimidiatus, et a prandio, ut cum domi atque in urbe manetur.

[1] P. 4. c. 13. § 3. lit. F. [2] C. 6.

Quies autem hæc animique remissio in eo fere sita est, ut lusu aliquo honesto animus relaxetur, aut mutua fratris collocutione, atque hilariore congressu. Nullam autem ludi mentionem ne honestissimi quidem Constitutiones faciunt: fortasse quia non videbatur esse gravitatis personæque religiosæ, neque legentibus ædificationis, modum hunc relaxandi animi per ludum omnibus declarari. Quod quidem in aliorum sanctorum Constitutionibus ac Regulis observamus, ubi ludorum nulla fit mentio: cum tamen non ignoremus in aliis etiam familiis hanc ludorum relaxationem usurpari solitam. Sed videlicet, qui familias illas instituerunt, ædificationi legentium consulere voluerunt: poterant enim legentes offendi, cum in ludi mentionem inciderent. Cujus vox ipsa propter pravam multorum consuetudinem, qui ludis abutuntur, graviter offendit eorum præsertim aures, qui de religionibus optime sentiunt, nec ludendi discrimen inter sæculares et Dei famulos norunt: tum etiam quia ad ludos cum sint homines suo natu propensi, non egere videntur stimulis, ut eos adhibeant; et vix est, qui periet Eutrapeliæ neglectu. Verum honestissima apud religiosos per ludos relaxatio et pene necessaria reperietur, si et discrimen inter utrosque ludos, religiosorum scilicet et sæcularium, et utilitatem religiosi ludi consideremus. Nam quod ad honestatem attinet, differunt alteri ab alteris quatuor potissimum rebus.

Primum materia; quia in religiosorum familiis non permittuntur ea ludorum genera, quæ vel turpitudine aliqua legibus prohibentur, vel virum gravem ac religiosum dedecent: abest enim alea et talus, et quicquid iniquitatis vel levitatis habet; ac denique, ut de pueris Cicero dicit, non omnis iis datur ludendi licentia; sed ea, quæ ab honestis actionibus non sit aliena. Sæculares vero, qui timorem Dei non possident, nullum sæpe ludi genus excipiunt, nec legum interdicta verentur.

Secundo differunt forma; quia ipsa ludendi ratio

ejusmodi est in religiosis, ut nulla inter ludendum fraus appareat, nulla verborum obscenitas, nulla nixa acriorve contentio, non perjurium, non maledictum; quæ multorum sæcularium propria sunt: quorum ludendi genus merito Tullius illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum denique appellat; cum scilicet ludi gratia dictis factisve turpibus aut etiam noxiis utuntur. Præterea in religiosorum ludis, si religiosi vere sint, nulla cernitur dissolutio, nulla sæcularis levitas aut vanitas; ut qui probe intelligunt, se non ita generatos a Deo esse, ut ad ludum facti videantur, sed ad servitutem potius, et ad quædam studia graviora atque majora. Caventque, id quod Beatus etiam Ambrosius præcipit,[1] ne dum relaxare animum volunt, solvant omnem harmoniam quasi conventum quendam bonorum operum.

Tertio, fine etiam differunt; quoniam religiosorum mens hoc ludendo spectat, ut ex laboribus defatigata quiescat, et post quietem ad usitata studia laboresque majore contentione se revocet. Ludo enim utuntur sicut somno et cæteris quietibus; et cum gravibus seriisque rebus jam satisfecerint, quod Tullius admonet.[2] At alius est multorum in sæculo scopus, cum ludos tractant: non enim tam quietem ex laboribus, quam solam delectationem spectant; nec tam ut ad pristinos se labores referant, quam ut per otium tempus fallant; nec tam denique valetudini ut consulant, cujus rationem nullam habent diurnis nocturnisque lusionibus, quam ut avaritiæ et cupiditati serviant, dum vel lucris inhiant, vel ludendi libidinem explere volunt.

Quarto denique differunt, quod religiosi idoneas ac debitas circumstantias in ludo servant; quod faciendum admonet S. Thomas.[3] Non enim ludo utuntur aut alienis importunisque temporibus, aut locis minus idoneis, aut certe præter id, quod vel negotiis vel personæ consentaneum esse videatur. In quo ex sæcularibus plerique

[1] L. 1. Off. c. 20. t. 1. [2] Off. [3] 2. 2.

delinquunt, qui nec tempus, nec locum sæpe norunt; nec ad ludum consilio et sapientia, sed cœco quodam impetu ac cupiditate ducuntur. Ideoque quod in his vitium est, in illis est virtus, in quibus ratio gubernat omnia: habitus autem ex ratione operans, ut idem S. Thomas docet, virtus quædam moralis est, atque idcirco in ludis etiam potest esse virtus. Et quidem εὐτραπελίαν in his Aristoteles[1] ponit παρὰ τοῦ εὖ τρέπειν τὸν λόγον, quod dicta aliqua aut facta, ut ait B. Thomas, in solatium quis hilaritatemve bene vertat. Ipse autem Thomas virtutem hanc, quæ ludos consilio et ratione dirigit, quatenus a ludendi immoderatione nos cohibet, ad modestiam scilicet revocat.

Ex quibus efficitur religiosos ludos, cum tam multis rebus a sæcularibus secernantur, et honestos esse, nec veræ virtutis expertes; ideoque merito ab iis tractari atque usurpari posse, modo pro se quisque studeat his quas dixi conditionibus, unde omnis pendet honestas, ludos ipsos astringere; eosdemque omnino parce, et sicut sale pio condimento, ut ait in Ethicis Aristoteles. Ad honestatem vero ingens accedit utilitas, ut pene necessaria religiosis hominibus ludi aliqua relaxatio videatur. Agnosci autem hæc vel necessitas vel utilitas potest ex tribus. Primum ex judicio atque auctoritate omnium fere religiosorum cœtuum, qui ad animorum remissionem ludos aliquos interdum adhibent; præsertim ad recreandam juventutem, quæ religiosæ disciplinæ severitatem, cui nondum penitus assuevit, et sæcularium voluptatum desiderium, quas in sæculo minime degustavit, gravius sentit, quam confirmata et corroborata jam ætas, cui sæculi cupiditates expletæ atque exaturatæ molestæ amplius esse non solent.

Secundo ex ipsa natura hominis ac ratione. Sicut enim natura ad reficiendum corpus corporis requiem poscit; nec enim perpetuitatem laboris ferre potest, cum

[1] Eth. l. 4. c. 8.

finitæ circumscriptæque virtutis corpus ipsum sit: ita etiam ad reficiendum et recreandum animum eadem natura quietem aliquam postulat; quia vis etiam animi quibusdam quasi finibus circumscribitur in agendo. Quocirca cum ad actiones aliquas præter modum animus præterque naturam niti vult, necessario laborat, ac proinde etiam defatigatur: præsertim quod in actionibus animi corpus pariter collaborat, ex quo tanquam instrumento intelligentiæ facultas pendet. Bona autem, quæ sub sensum cadunt, ea sunt secundum naturam hominis: ideoque cum animus a sensibus se abducit, consuetudineque oculorum, studiis mentis intentus, oritur exinde defatigatio quædam animalis; et quo sublimiora et a sensibus remotiora fuerint contemplationis studia, eo defatigatio major: quia ejus natura in sensibus, videlicet tanquam domi suæ hæret, quamdiu versatur in corpore. Necessaria est igitur ei requies aliqua, ne tamquam arcus nimia intentione frangatur. Quies autem animi delectatio est, ut docet S. Thomas:[1] ideoque ludus, in quo plurimum delectationis inest, is est maxime opportunus et accommodatus recreandis ex studiorum curarumque labore animis. Sciteque respondisse fertur Evangelista Joannes venatori cuidam, qui quod perdicem molliter demulceret, et ad tam humilia se oblectamenta submitteret, est offensus: "Quid est," inquit, "quod manu tua gestas?" Arcum autem venator forte gestabat. At ille, "Arcus," inquit. "Et cur, Joannes ait, non eum tensum semper ubique circumfers? Cui venator, "Non oportet," inquit, "ne jugi curvamine vigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat: et, cum oportuerit, ut fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, vigore jam per nimietatem continuæ tentionis amisso, violentior ictus non possit emitti." "Nec nostri," inquit B. Joannes, "animi te offendat, O juvenis, tam parva hæc brevisque laxatio; qui nisi remissione quadam vigorem intentionis suæ interdum relevet ac relaxet, irremisso

[1] Sum. l. 2. qu. 25. ar. 2.

vigore lentescens, virtuti spiritus, cum necessitas poscet, obsecundare non poterit." Hæc ex Cassiano.[1] Quo responso declaravit Apostolus necessariam interdum esse delectationem aliquam etiam per lusum; ne mens nostra nimium vel curarum tristitia ac severitate, vel contemplationis intentione defessa minus ad suas apta functiones, suaque munera reperiatur.

Tertio intelligi potest utilitas ludi ex ipso usu atque experimento quotidiano. Nam cum tria sint, quæ diebus quietus dentur, ludi jucunditas, paulo uberiores epulæ, et collocutionis mutuæ potestas amplior; nulla re magis defessum gravioribus studiis animum ex laboribus conquiescere ac relaxari sentimus, quam honesta remissione ludorum, modo congruis temporum, nec statim a mensa ludatur; nam et melior duabus illis rebus est ludus et delectabilior. Melior quidem 1°. quia salubrior: quoniam per eum corpus maxime exercetur, præsertim si ludi genus ejusmodi sit, ut membris omnibus motum afferat. Est enim instar ambulationis, qua corpus omne, dum ludimus, exercetur; et sæpe major ac diuturnior quam ambulatio: quia ludentem jucunditas fallit, ejusdemque natura loci, ut progressionis motum non animadvertat. 2°. Quia tutior: nam in mutua collocutione sæpe incidunt verba minus considerata, et quæ sæpius pœnitendi causam relinquunt, quam delectandi. Inter epulas autem præsertim largiores difficile est temperantiæ modum tenere, ut ejus limitas non excedas. At in ludis honestis scilicet religiosis ita mens hominis occupatur, ut nec cogitandi nec loquendi aliud nisi quod ad ludum pertinet, spatium habeat.

Delectabilior autem est ludi relaxatio, quam quæ vel colloquendo familiarius vel uberius epulando suscipitur, quinque omnino de causis. 1°. Quia plus habet virium ludus in avocando animo ab intentione curarum ac studiorum, quam vel collocutio vel cibus: præterea quod plus

[1] Coll. 24. c. 21.

etiam exigit attentionis. Animus autem cum rebus pluribus intentus esse non possit, quia definita vis ejus est: relinquitur ut ab ea re, quæ plus exigit attentionis, magis avocetur a studiis suis, quam ab ea, quæ non tam præsentem animum ipsum postulat. Non tam præsentem autem nec familiaris sermo, nec cibus postulat, quia in mediis etiam colloquiis et inter ipsas epulas videre licet animum suas tamen cogitationes persequi, et inchoatas studiorum contemplationes non deserere. Quod quidem in mediis ludis fere non evenit, ubi vel propter jucunditatem vel propter colludentes una confabulantes totus animus præsens est, totusque iis, quæ aguntur, intentus. Delectabilioris igitur intentio rei majorem in animo aberrationem efficit, magisque eum avocat ab intentione studiorum suorum. 2°. Quia ludi relaxatio rarior est et magis infrequens, quam vel colloquii vel cibi, quæ quotidiana sunt. Quæ autem rarius adhibitæ sunt voluptates, magis etiam movent ac delectant, quam quæ quotidie adhibentur. Facit id tum novitas tum raritas, ut in rusticatione planum est, quæ crebrius usurpata minus movet, rarius autem valde delectat. 3°. Quia longior est oblectatio ludi, quam cibi voluptas, quæ cito avolat, et tamdiu manet, quamdiu fauces transit. Sæpe etiam collocutione longior, quæ si sit seria, qualis religiosorum esse debet, sæpe animum defatigat. Ludendi vero nulla satietas est, ut declarant nocturnæ colludentium vigiliæ, nam tota sæpe nocte cum delectatione luditur: præsertim quod ludendi voluptatem colloquendi etiam jucunditas comitatur. 4°. Vero præcipua ratio est, quia in ludis est similitudo quædam certaminis atque victoriæ: ubi autem intervenit cum contentione victoria, ibi oritur magna jucunditas, ut docet in Rhetoricis Aristoteles. Ideoque venationes, mutuæque pugnæ animantium inter se, ut canis et felis, leonis et equi, tigridis et ursi, cæterarumque similium animantium, plenissimæ sunt voluptatis. Nam de ferarum taurorumque agitatione, quæ ne christianum quidem decet, nulla facienda mentio

est. At nec in collocutione familiari neque in convivio tale aliquid cerni potest; nisi forte altercatio aliqua parum opportuna religiosæ quieti suboriatur. 5°. Quia in ludis sors ipsa delectat, quæ victoriam facit inopinatam: nam qui victor jam prope discesserat, repente commutata sorte victus agnoscitur: et qui victus jam prope manus dederat, conversa repente fortuna, victor evadit. Ex quo oritur incredibilis quædam voluptas propter exitus inopinatos vicissitudinesque contrarias.

Est igitur ludendi relaxatio tum delectabilior, tum melior ea, quæ per collocutionem mutuam vel per epulas adhibetur; ut mirum jam videri non debeat, si dies unus relaxationis hujusmodi plus juventuti ad valetudinem prosit, quam quindecim usitatæ; sapienterque a majoribus videatur dies aliquis inter hebdomadam quieti hujuscemodi dedicatus; in qua et juventus, et qui gravioribus mentis exercitationibus operam dant, præter laxiorem loquendi licentiam, uberioremque pastionem, ludorum etiam sese jucunditate reficiant.

Atque hæc de quarto interrumpendi modo graviores mentis exercitationes. Adjungi forsitan et quintus poterat, qui in iisdem Constitutionum[1] locis, earumque declarationibus significatur, cum quotannis ad menses aliquot intermittuntur studia litterarum. Sed quoniam hæc non tam interruptio quam intermissio quædam vacatioque censenda est; nec tam communis est cum omnibus, qui in quocumque mentis studio versantur, quam eorum propria, qui in litteris sese exercent; idcirco ea nunc a nobis consulto prætermittitur.

Atque hæc de secundo valetudinis tuendæ præsidio: dicendum nunc de tertio.

[1] P. 4. c. 13. lit. F.

IN REGULAM SUMMARII 48.

"Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta, in vigiliis et abstinentiis, et aliis pœnitentiis externis ac laboribus." Hoc est tertium valetudinis tuendæ præsidium, quod in corporis castigandi prudentia situm est juxta hanc Constitutionem, quæ duo omnino complectitur. Primum enim vetat immoderatam corporis castigationem: deinde jubet detegi confessario quicquid castigandi corporis causa geritur. Sed supponit antea castigandum esse corpus; quod alibi in suis Constitutionibus noster Pater nos monitos voluit. Nam in p. 6. c. 3. § 1. cum de iis qui ad statum certum admissi sunt, loquitur, eamdemque moderationem in subeundis asperitatibus corporis adhiberi jubet, ad extremum ita concludit: "Nec contra tanta in illis sit relexatio, ut, fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus inalescant." Quam rationem etiam Bernardus attingit una cum aliis, cum ad fratres scribit de Monte Dei.[1] "Cavendum," inquit, "ne pro necessariis hujus vitæ vel commodis a propositi rectitudine vel dignitate naturæ in amorem vel honorem corporis sui sinat in aliquo degenerare spiritum suum: ideoque durius tractandum est corpus, ne rebellet et insolescat." Quod quidem observatum semper a sanctis viris plenius est quam ut comprobetur exemplis. Ut etiam cogatur Augustinus suis fratribus vel summa senectute confectis in Christi nomine præcipere,[2] ut saltem diebus dominicis ac solemnibus vinum bibant, juvenesque, qui fortes sunt, non vult suis parcere atque indulgere corporibus; sed, quoniam semel de inimico triumphare cœperunt, in Christi nomine pœnitentiam jubet agere ne vincantur ab hoste. Ergo et

[1] T. 2. p. 201. 6. [2] Ad Fratres in Erem. Serm. 28.

senibus septuagenariis, ac centenariis potestatem facit reliquo hebdomadæ tempore, cæterisque diebus præter festos, vino abstinendi, et sua corpora macerandi. Quid igitur nos facere æquum est? si tantam senibus veniam dat, quamquam illorum alia ratio est ac nostra, cum illi ad solitariam et asperam, nos ad communem et socialem vitam vocati simus. Idemque S. Pater in Regulis[1] vult unumquemque suam carnem domare jejuniis at abstinentia escæ, quantum valetudo permittit. Supponit ergo St. Ignatius castigationem corporis ab omnibus adhibendam esse, et rationem etiam adjicit in sexta Constitutionis parte: "Ne fervor spiritus refrigescat, et humani incalescant affectus." Hæc enim sibi invicem adversantur, ut ait Apostolus; et caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; ideo necessaria est omnibus aliqua corporis castigatio.

Verum quoniam jam notum est illos nascentis Societatis patres potius freno quam calcaribus eguisse, et in suis castigandis corporibus nimios fuisse; sapienter hæc Constitutio modum admonet adhibendum, quemadmodum et suos fratres B. Augustinus suis macerandis corpusculis nimium deditos admonendos putavit, ne, dum ea subigere ac macerare student, funditus perdant, et divinis obsequiis inutilia reddant. Explicemus itaque priorem Constitutionis partem, qua castigatio immoderata corporis prohibetur. Quæ quidem pars duo item continet: alterum in quonam pœnitentiæ genere hæc corporis castigatio versari soleat; ubi et de præcipuis pœnitentiæ generibus nonnulla dicemus: alterum quid eadem mali pariat, cum suos fines modumque transierit.

[1] Reg. 3. c. xi.

§ I.—DE IMMODERATA CORPORIS CASTIGATIONE VITANDA.

Tria nominat S. Ignatius castigandi corporis genera, in quibus immoderatio forte contingat, et alia quædam generatim attingit. Nominatim quidem enumerat, vigilias, abstinentiam, labores; attingit autem alia quædam generatim, cum dicit "et aliis pœnitentiis externis." Eæ autem tres esse possunt præcipuæ et viris sanctis usitatæ, quas nominare non necesse habuit, verberatio, cilicium, humicubatio. In quibus omnibus subeundis excedi modus potest.

Sed cur tria illa dumtaxat nominat S. Ignatius, vigilias, labores, abstinentiam, potius quam verberationem, cilicium et hujusmodi alia, quæ tamen viris sanctis maxime usitatæ fuerunt? Non enim putandum est temere aut casu illa potius quam hæc nominatim enumerare voluisse. Ratio autem duplex esse potest; altera quia illa tria superiora magis sapientiæ rationique consentanea videntur; altera quia Institutis nostris magis accommodata. Magis esse sapientiæ et prudentiæ intelligi potest ex duobus; primum ex Christi vita, deinde ex lumine ductuque rationis. Ex Christi vita, quia in illis Christi habemus exemplum, qui sapientia Patris est, in aliis autem non item. Legimus enim eum labores corporis suscepisse, cum peregrinando quotidie pedibus, tum assidue suis discipulis ministrando, et Dei verbo prædicando; legimus esurisse, et quadraginta dies jejunasse; legimus crebras egisse vigilias in oratione pernoctando. At suis se manibus verberasse, saccis se operuisse, in nuda humo somnum capere voluisse, nusquam legimus; non quod eis omnino usus non sit, aut ea non probavit, quæ viris sanctissimis usitata fuerunt, sed quia in iis rebus nobis exemplo esse maluit, quæ magis prudentiæ et sapientiæ consentanea esse videbantur, ut eum nimirum imitari quilibet posset. Deinde probatur idem lumine ipso ductuque rationis: primum, quia illa asperi-

tatum genera, quæ in jejuniis, vigiliis laboribusque sunt sita, magis sunt universis accommodata, quam verberatio, cilicium, et chameunia; hæc vero perpaucis. Ideoque ab auctore universarum rerum, vel ab Ecclesia universa magis etiam illa sunt imperata: omnes quippe homines ea ferre ac tolerare quoquomodo possunt, hæc vero perpauci. Secundo, quia illa pluribus rebus, id est animæ et corpori prodesse solent: hæc animæ tantum, cujus causa corpus atteritur et maceratur, corpus vero ipsum nullam ex verberibus aut ciliciis aut humicubatione utilitatem habet. Quod autem tria superiora pluribus rebus utiliora sunt, satis planum est. Nam jejunium et labores, etiamsi pœnitentiæ loco suscipiantur, tribus rebus prodesse possunt, si moderata sint; animæ, corpori, et proximis. Jejunium quidem animæ prodesse satis liquet: quia "ejus observantia," ut ait B. Leo, "appropinquamus Deo, et resistentes diabolo vitia blanda superamus."[1] Corpori prodest; quia, ut idem ait, "delectatio edendi etiam corporis contraria est saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, et quod futurum est oneri subtrahat voluptati."[2] Proximis prodest, quia, eodem auctore, misericordiæ impenditur quod subtrahitur voluptati, et fit refectio pauperis abstinentia jejunantis. Labores etiam iisdem rebus omnibus plane prosunt; quia et animam purgant pœnæ loco suscepti, et corpus alunt ejus victu cultuque parando, agileque reddunt ac promptum, et proximorum egestati succurrunt; quales olim Pauli labores, qui non ad ejus tantum corpus sustentandum referebantur, sed etiam ut haberet unde necessitatem patienti tribueret, et, ut dicit ipse de se, ut suis laboribus non sibi tantum, verum etiam iis qui secum erant, necessaria vitæ subministraret.[3] Vigiliæ vero, quamvis corpori tantam utilitatem non videantur afferre, sæpe tamen afferunt non exiguam, dum corpora pinguiora modice extenuant, nec obesa inutiliter

[1] Serm. 2. De Jejun. decimi Mensis. [2] Ser. 8. ibid.; Ser. 2. ibid.
[3] Act. 20.

esse sinunt, et fluxiones ac ῥεύματα frequenter exsiccant. Eædem autem quantam proximis utilitatem præbent, cum eorum causa suscipiantur? An non ejus vigiliæ proximis utiles sunt, qui totis sæpe noctibus ministrat ægrotis? An non ejus salutares, qui intempesta nocte decedentibus de corpore animis præsto est? An non ejus qui suis monumentis ac scriptis posteritati consulit? Quare, ut dormientem monachum nec sibi utilem nec aliis, Deoque mortuum dicebat esse Bernardus, sic vigilem atque excubantem et sibi utilem et aliis salutarem et Deo vivum existimare par est. Hactenus de priore illa ratione, cur S. Ignatius, cum de castigando corpore mentionem faceret, maluerit jejunia, vigilias, laboresque potissimum nominare, cætera vero castigandi corporis instrumenta siluerit.

Sequitur jam posterior, quæ talis erat; quia asperitates illæ, quas præcipue nominandas putavit, magis sunt Institutis nostris accommodatæ. Hoc autem satis intelligi potest ex iis, quæ hactenus dicta sunt. Nam cum Instituti nostri ratio postulet, ut non nobis solum utiles simus, sed multis aliis, et ut ad majorem Dei gloriam, proximorumque salutem corpus hoc tueamur, relinquitur profecto, ut ea asperitatum genera magis sint institutis vitæ nostræ rationibus consentanea, quæ non modo nostris animis, verum etiam corporibus; nec modo nobis ipsis, verum etiam proximis prodesse queant. Confirmat id Christi nostri ducis exemplum, cujus vita omnis cum ad propagandam Dei gloriam, salutemque animarum referretur, labores, vigilias, famem sibi ferenda existimavit, quæ nobis quoque ejusdem instituta sequentibus proposita essent ad imitandum; cætera vero asperitatum genera, quod ad eum scopum minime spectare viderentur, omisit, aut certe tamquam non necessaria voluit a sacris historicis reticeri. Paulum quoque Apostolum, cui idem propositum, eadem mens divinæ quærendæ gloriæ, et alienæ procurandæ salutis fuit, eadem etiam pœnarum genera subiisse legimus. Quoties enim suorum laborum, quoties jejuniorum in suis

epistolis meminit! "In labore," inquit, "et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis;"[1] "usque in hanc horam et esurimus et sitimus, . . et laboramus operantes manibus nostris:"[2] et "Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes:"[3] et "Ad ea," inquit, "quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ."[4] Et hæc erat castigatio illa, qua corpus suum castigare se dicit et in servitutem redigere; Græce enim est ὑπωπιάζειν, id est laboribus subigere, et tanquam pugnis pugilum more contundere ac sugillare. Ad pugiles quippe alludit Apostolus, qui se pugnis ac cæstibus contundebant. Maluit igitur S. Ignatius ea castigandi corporis genera nominare, quæ et propria Apostolorum, et nostris magis apta rationibus videbantur. Verumtamen nec ea quæ siluit, ut verberationem, cilicium et chameuniam removere voluit; quippe etiam frugifera animis ut salutaria, si moderate et tempestive adhibita sint, ut a viris sanctis usurpari solita. Quamquam autem humicubatio seu chameunia noxia valetudini videri potest, ac proinde nostris vitæ rationibus minus apta, tamen ejus loco uti licet incommoda cubatione stratique duritie; ut cum quis vel diurno vestitu linteorum abjecta mollitie, vel super asseres, vel etiam in sella, aut ibi denique, ubi occupat, somnum capit. Quod quidem factum a Christo ejusque discipulis probabile est; tum quia id pauperibus propter inopiam mollioris strati familiare est, tum quia pernoctantibus in oratione multo expeditior hæc quiescendi ratio est, quam in molli lectulo, nudo jacere corpusculo. Ac propterea usurpari etiam a quibusdam religiosorum familiis animadvertimus, ut quo quis promptior ad surgendum de nocte sit ad confitendum Domino, vestiti omnes aut semivestiti quiescant, ut in regula B. Benedicti præscribitur. Non sunt igitur alia castigandi corporis genera, licet ea suis nominibus non indi-

[1] 2. Cor. 11. [2] 1. Cor. 4. [3] 2. Thess. 3. [4] Act. 20.

caverit S. Ignatius, sed universe dumtaxat attigerit, amovenda; præsertim cum et viris usitata sanctissimis, et magnus olim ciliciorum usus in omni Ecclesia semper fuerit.

Sed de his pœnitentiæ generibus satis superque. Quæ quidem omnia ut laudabilia et salutaria sunt, cum modum aliquem habent; ita, cum immoderata sunt, vitio non carent. Huc etiam pertinet virtus illa, quam in bonis actionibus maximeque religiosis hominibus tantopere commendabat Antonius; prudentia, inquam, atque discretio, quam cunctis non dubitabat anteferre virtutibus; ea enim discernimus inter nimium et parum, modumque cum omni re tenemus, tum in subeundis nostra voluntate suppliciis.

§ 2.—DE MALIS AB IMMODERATA CASTIGATIONE ALLATIS.

Hactenus ergo de altero prioris partis membro, in quibusnam asperitatis generibus immoderata corporis castigatio sita sit. Nunc de altero illo, quid eadem immoderatio mali pariat, cum suos fines modumque transierit? Duo autem mala parit; primum quia, ut Constitutio loquitur, "nocumentum affert corpori;" deinde quia "majora bona impedit."

Triplex autem nocumentum corporis fingi potest, quod immoderatio castigationis afferre solet. Primum est interitus ipse atque mors: posset enim quispiam tam sine modo corpus suum castigare, ut brevi ei necem afferret. Alterum est non quidem mors atque interitus, sed tamen morbus periculosus et gravis. Tertium est mala quædam corporis habitudo, quam καχεξίαν Græci appellant, licet absit gravitas morbi vel periculum imminens; quod tum accidit, cum valetudo ita frangitur ac debilitatur, ut quamvis vita non deficiat, ipsa tamen nullis sit usibus opportuna. Quodcumque ex his incommodis afferat immoderata ejus castigatio corporis, duplex peccatum evitari non potest.

Alterum, quia contra præceptum Dei facimus: alterum, quia contra justitiam: est enim Domini præceptum, ut nos ipsi diligamus, cum dicitur, "Diliges proximum tuum tanquam teipsum." Constat autem, ut Basilius ait, eum falso diligere proximum ejusque prospicere commodis, qui seipsum diligere nescit. "Et qua tandem ratione mandatum ille juste implere dicitur, qui causam cum famulo corpore integre ac juste non judicat; cæterum subjugandi obtentu, illud se castigare professus, indiscreto potius impetu pessime consumit ac perimit?" Hæc Basilius. Alterum vero, quia contra justitiam et contra rationem facimus: idque tripliciter. Primo, quia nostri non sumus, ut sæpe jam diximus, nec vitæ nostræ domini, ut ei grave damnum nobis liceat inferre. Ideo Paulus ad Corinthios: "Et non estis vestri,"[1] inquit; et ad Romanos: "Nemo," inquit, "nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur: sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus."[2] "Qui quidem, si fuisset bonum," ut magnus Basilius ait, "negligere corpus, et quod vivum est mortuum constituere, tales nos esse initio condidisset: si vero hoc non fecit, omnino quod bonum esse sciebat, hoc fecit." Si vero quod bonum erat, hoc nos esse fecit, peccant qui, quod bene factum est, non ut est custodiunt. Ideo et Apostolus jubet obsequium nostrum rationabile esse: "Obsecro," inquit, "vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum." Ubi Glossa: rationabile, inquit, obsequium vestrum, cum discretione; ne quid nimis sit, sed cum temperantia corpora vestra castigetis, ut non naturæ defectu cogantur dissolvi, sed vitiis mori. Hoc nimirum significare voluit Dominus in Deuteronomio, cum jubebat, sicubi nidus avis esset inventus, et mater incubans ovis vel pullis, matrem ipsam dimittere, non necare, pullos autem et ova capere; ut intelligamus carnem quidem nostram non esse necandam, vitia vero ipsa quæ ab ea

[1] 1. Cor. 6. [2] Rom. 14.

gignuntur tamquam ova pullosque mortificanda: et hoc est vitiis mori, quod dicit Glossa.

Secundo: facimus etiam contra justitiam; quia peculiari quodam modo nos Deo consecravimus, religionique nos totos dedimus: hoc est, non animos modo, verum etiam corpora. Itaque multo minus nos nostri sumus, sed quidquid sumus religionis sumus: quod si corpus temere perdimus rem alienam perdimus contra justitiam, quæ suum cuique jubet reddere. Ideo Bernardus:[1] "Cum dixisset rationabiliter mortificandum esse corpus, mox subjicit sic de eo agendum esse sicut de non suo, sed ejus, a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro." Quod quidem cum Christianis omnibus a Christo redemptis est faciendum, tum vero religiosis, ad quos ille sermonem habebat. Planius autem intelligitur, quam id injustum sit, si triplex illud, quod paulo ante dixi, nocumentum corporis attendatur. Nam ex immoderata castigatione, aut mors ipsa sequitur, et amittit religio hominem, quem tot laboribus et sumptibus educavit: ideoque tam sæpe P. Ignatius moderationem hanc sui corporis castigandi admonet adhibendam, ut et hic et in par. c. 3. § 1.: aut periculosus gravisque morbus oritur; et tunc, partim propter magnos sumptos, qui in eo curando sæpe fiunt, partim propter ministrorum molestias, quorum multi circa unum corpus occupantur, afficitur etiam injuria religio. Quare B. Basilius:[2] "Divina," inquit, "Scriptura corpus operari, et aliorum magis substentare infirmitatem quam aliorum opem efflagitare præcipit; labefactare vero illud et nimiis macerationibus lædere, nequaquam." Et libro[3] de vera virginitate loquens de iis, qui sine modo corpus macerant; "Quo item," inquit, "pacto Domino suo ad fratrum beneficentiam serviet, quod cæteros ad hujusmodi ferenda beneficia idoneos ad sui curam servos attrahit? Non jam enim Domino ad virtutis ministrabit opus, sed attritum morbo reliquis omnibus erit beneficentiæ occasio,"

[1] Ad Fratres de Monte Dei. [2] L. de Vit. Solit. c. 9. [3] P. 192.

ut supra dicebamus in explicatione Constitutionis 46 Summarii. Aut denique mala quædam affectio valetudinis subsequuta est; et tum id multo est deterius; atque haud scio an etiam major religionis injuria, quam si quis vel in gravem aliquem acutumque morbum, vel in mortem ipsam incideret. Quia, dum hæc saltem cito transeunt, nec diu molestiam exhibent, at malus ille valetudinis habitus jam contractus diutissime una cum ipsa vita permanet, inutilemque omnino reddit hominem toto vitæ tempore, et proximis onerosum. Hunc autem Basilius similem esse betæ semicoctæ, quæ ne propriis quidem necessitatibus sufficere valet; aut olerum, quæ per æstum et siccitatem arescunt, sibi et aliis inutiles: contra vero bene constitutos et sanos arboribus frugiferis, quæ et ipsæ abundant, et alios sua fertilitate exhilarant.

Tertio: facimus contra justitiam; quia cum ex anima constemus et corpore, iniquissimum judicium est, si neglecto altero alterum tantum colamus et foveamus. Præcipit autem Bernardus,[1] justum inter utrumque discretionis et rationis habere judicium, nec alicujus eorum in judicio accipere personam. Recte autem, ut solet, Basilius:[2] "Si extra corpus constituti essemus, necessarium esset ea tantum curare, quæ soli animæ conducerent: quoniam vero geminus est homo, convenit et geminum esse virtutis studium, quod et corporis laboribus, et animæ exercitiis absolvatur." Hoc est igitur primum malum, quod immoderata castigatio corporis afferre solet; ipsius, inquam, corporis nocumentum.

Secundum malum est, quod "majora bona impedit," ut Constitutio ipsa significat. Tria autem bona sunt corporis castigatione majora, quæ hæc forsitan impediret. Quædam spectant Deum, quædam nos ipsos, quædam autem proximos. Prima igitur bona immoderatio castigationis impedit, quia non sinit nos ita conjungi atque adhærere Deo per orationis studium, cæterasque pietatis

[1] Ad Frat. de Monte Dei. [2] De Vit. Solit. c. 9.

exercitationes, ut par est. Nam, ut ait Basilius: "Fracto contritoque instrumento, neque Deo inhærere per lectionis et orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Et mox impossibile est, nisi famulatum corporis ad philosophiam obtemperantem habeamus, vel divinis lectionibus operam dare." Jam pietas quanti sit, et quam cæteris corporis exercitationibus præstet, quid attinet dicere? cum id Paulus aperte testetur ad Timotheum scribens; ubi, dum utrumque studium comparat, pietatis studium multis partibus anteponit. "Exerce te," inquit, "ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est,"[1] sed admodum inutilis ut quæ pietatem destruat et majus bonum impediat. Quanquam Chrysostomus et Græci corporalis exercitationis nomine aliquid aliud videntur accipere. Sed tamen Ambrosius, Anselmus, et alii sic explanant locum hunc.

Bona vero secundi generis, quæ in nobis sita sunt et nos attingunt, cujusmodi est exercitatio virtutum, ac palæstra spiritualis, a minore bono, hoc est ab immoderata corporis castigatione, impediuntur. Fit enim infirmior animus ad exercendas virtutes, cum præter modum maceratur corpus. Nec enim infirmo corpore, ut ait D. Didacus,[2] esse debet qui certat, sed ita firmo, ut sustinendo certamine par esse possit, ut anima etiam laboribus corporis convenienter purgari queat. Ex quo efficit S. Pater, corpus nostrum pro virium firmitate exercendum inedia, et castigandum moderate. In eandem sententiam Basilius:[3] "Non plus," inquit, "carnis sarcina pennas animæ ad infima dejicit, quam imbecillitas corporis; dum jugi ad id curandum occupatione distenta non permittur ad cœlestia, ut cupit, evolare: nec solum ob eam molestiam virtutum acquisitione privatur, sed et partas jam, dum per impedimenta infirmi corporis pugnare, seque ad sacra certamina exercere desuescit, sensim, dum nescit, amittit." Cogitur igitur animus ex immoderata corporis castigatione, corpori ipsi

[1] 1. Tim. 4. [2] C. 49. [3] L. de Virginit.

mox deservire, et dominus famulo famulari, ut ex eodem Basilio supra diximus.

Bona autem, quæ respiciunt proximos, ut concionari, confessiones pœnitentium audire, ægrotis ministrare, carcerem invisere, et id genus alia sexcenta, quis non videat multo esse omni corporis castigatione majora? At hæc jacent omnia, si castigatio corporis immoderata sit. Ideo S. Ignatius, ut in hac Constitutionum parte, sic in sexta disertis verbis nos admonet, ne nimius hujusmodi rerum usus, hoc est, jejuniorum, vigiliarum, et cæterarum hujus generis asperitatum tantopere vires corporis debilitet, tantumque temporis nos distineat, ut deinde spirituali proximorum auxilio, juxta Instituti nostri rationem, non sufficiant.[1] Confirmat hæc, et superiora quæ diximus, B. Bernardus ad fratres de Monte Dei; qui cum de vigiliis, jejuniis, aliisque hujusmodi loqueretur, ita subjicit: "Quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritalia impediantur, qui sic est, corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem; sacrilegus est, et horum omnium in Deum reus." His igitur malis ut occurramus, eadem nobis castigandi ratio corporis ineunda est, quam servabat Apostolus, cum dicebat: "Castigo corpus meum, et in servitutem redigo." Ea videlicet Apostoli in castigando corpore ratio erat, ut Basilius observat, ut illud servituti subjiceret, et Domino obsequi, hoc est, animo suo obedire compelleret. "At vero, qui servum," Basilius inquit, "ita per inediam subjicit, ut non solum ad ministerium Domini fiat inutilis, verum nec sibi ipsi sufficere possit, quid aliud quam servi sui se famulum facit?" Necesse est enim, corpore jam invalido ad serviendum ac per infirmitatem tabescente, contra illi servire dominum, dum semper circa infirmitatis ejus curam versetur attonitus; nec jam exercita-

[1] P. 6. c. 3. § 1.

tionis antiquæ meminisse præ hujusmodi occupatione permittitur, sed in servi sui obsequio vitæ tempus omne consumit. Ergo si et nobis idem propositum fuerit in castigando corpore, daremusque operam, ut, cum illud dominari animo vult, in servitutem redigatur, fungaturque servi muneribus, ut vere est, non domini; tum demum ejus castigatio periculo vacabit, cujus finis est ipsa servitus corporis, non interitus. Sed de priore constitutionis parte, qua immoderata corporis castigatio prohibetur, hactenus. Jam de posteriore, qua detegere Confessario jubemur quicquid in hac parte gerimus, pauca dicamus.

§ 3.—DE CASTIGATIONIBUS CONFESSARIO DETEGENDIS.

Affert posterior hæc constitutionis pars præcipuum ad cavendum castigationis immoderationem præsidium; quod in eo situm est, ut castigationis nostræ conscium ac participem faciamus eum, qui regit animam nostram.

Tria autem in hac parte considerare possumus: 1^{m} detegendi circumstantias, et verba, quibus utitur Constitutio: 2^{m} officium confessarii, cui detegendæ sunt pœnitentiæ: 3^{m} rationes, cur et pœnitentiæ omnes confessario detegendæ sint. Hæc omnia ex ipsamet Constitutione consideranda sunt; quanquam et Confessarius ad Superioris arbitrium tractare ejus, qui detegit, animam debeat. 2^{m} et 3^{m} membrum non sunt adjuncta Summario, sed sumuntur ex 3. p. Constitutionis c. 2. § 9.

Quoad primum. Constitutio ita loquitur: "Ideo suo Confessario detegi ab unoquoque convenit, quicquid in hac parte faciat." Ubi quinque verborum vis expendenda est.

Primum, illius verbi "detegi." Nam cum detegi pœnitentias jubeat Confessario, supponit eas ab unoquoque tegendas, et cæteris occultandas. Sunt enim pœnitentiæ, quæ quidem privatim pro cujusque devo

tione suscipiuntur, ex eo bonorum genere, quæ occultanda et tegenda esse docet B. Bonaventura :[1] nempe ea, quæ singularem nobis laudem, si resciantur, afferre possunt; inter quæ numerat abstinentias, vigilias et id genus alias. Reprehensione igitur ac vituperatione digni sunt, qui pœnitentias suas ab aliis sciri facile patiuntur. At S. Ignatius, cum Confessario detegi jubet, supponit jam eas studiose tegi ac celari omnibus oportere.

Secundo, "Confessario," inquit, ut significet quam studiose tegendæ sint, quandoquidem Confessario sunt detegendæ, nimirum ei, cui peccata patefacimus: ut intelligamus non minore pudore ac verecundia nobis esse pœnitentias, quam peccata ipsa pandenda. Hoc humilitas postulat, hoc religiosa modestia: quod ab ipso P. nostro Ignatio diligenter usurpari solitum accepimus, de cujus sanctitate ac virtute multo plura sciri jam possent, si Confessarius, de illius consensu, cui sui pectoris arcana credebat, et cujus dumtaxat fidei, tanquam sacræ confessionis obsignata sigillo, bona sua committebat, ejus vitæ superstes fuisset. Necesse est igitur, ut quo studio peccata ipsa celamus, quæ uni dumtaxat aperta volumus, eodem etiam pœnitentias, et quicquid laudem nobis afferre potest, occultemus, et uni tantum Confessario detecta velimus.

Tertio, "suo" addit Constitutio, non alteri Confessario: quia usitatus Confessarius, cui suum quisque pectus aperire solitus est, melius ac prudentius potest de pœnitentiæ modo ac magnitudine judicare. Pœnitentia enim cum tribus de causis fere suscipiatur, ut docet in Additionibus P. Ignatius, hoc est,[2] vel ad satisfaciendum pro peccatis, vel ad vincendum sensum partemque animi inferiorem, vel denique ad impetrandum aliquod divinæ gratiæ donum; hæc tria non sacerdos quilibet, confessariusque rescire debet, sed is cui totum pectus nostrum aperimus

[1] Lib. de Reformatione Mentis, p. I. c. 15. 16.
[2] Add. X. Ad Exer. melius perag.

et credimus. Partim, quia huic non adeo pudet, aut anteactæ vitæ peccata, quæ diluere pœna aliqua volumus, indicare, aut quotidianos animi morbos cupiditatesque, quas subeundis item pœnis coercere solemus, esse perspectas, aut denique vota nostra, studia, ac desideria omnia patefacere, quorum compotes esse dum volumus, voluntariis jam pœnis Deum nobis placandum putamus. Partim, quia usitatus Confessarius his, quas dixi rebus probe perspectis, cognitaque insuper consuetudine nostra, corporisque constitutione, multo rectius judicare potest, aut quantum pœnarum videatur satis diluendis purgandisque peccatis, aut quid potissimum remedii moderandis cupiditatibus sit adhibendum, aut denique quam inire rationem potissimum debeamus ea quæ possimus impetrandi.

Quarto, additur in Constitutione "ab unoquoque:" neminem enim excipit; omnes vult ad hanc simplicitatem humilitatemque descendere, ut tanquam tirones et in religione modo geniti suo se aperiant Confessario, omnesque ei pœnitentias exponant; ut etiam in Parte 6. c. 3. ubi de iis agit, qui ad statum admissi jam sunt, quales Professi et ætate provecti, in his asperitatibus suscipiendis consulendum semper præcipit Confessarium. Et (Par 3. c. 1. § 12.) vult ut Patri spirituali et Confessario omnes non modo defectus aperiant, sed etiam pœnitentias, mortificationes, et devotiones omnes. Antiqui Patres in Ægypto id tantum junioribus præceptum dabant, ut se suis senioribus patefacerent. Certe ita sæpe significat Cassianus (ut Coll. 2. c. 20. et 21), cum docet, quemadmodum possideri possit vera discretio; quanquam juniorum nomine fortasse utitur comparative ad eos qui seniores sunt, ita ut etiam ætate provecti iis qui provectiores ac seniores sunt, indicare se debeant.

Verum sapienter hoc omnibus S. Ignatius præceptum esse voluit, quia et senes et qui in via spiritus processerunt periclitantur interdum si sibi ipsi malint, quam spiritualibus

Patribus credere; ut de Herone sene idem Cassianus memoriæ prodidit,[1] qui annos quinquaginta in solitudine commoratus, cum continentiæ rigorem singulari quadam districtione tenuisset, ad extremum hac quasi præsumptione deceptus, angelo Sathanæ, qui se jussit in puteum præcipitem dare, obtemperare non dubitavit.[2] De alio etiam narrat, cui jam Sathanas persuaserat, ut filium suum instar Abrahæ Patriarchæ Deo sacrificaret, parricidiumque opere perfecisset, nisi videns eum puer cultrum acuendo præparare præsagio sceleris futuri perterritus aufugisset. Quæ quidem eo spectant, ut nemo suo credat judicio, sed universa non solum quæ agenda sunt, verum etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut iisdem Cassiani verbis utar, et eorum definitionibus acquiescat. "Quæ institutio," inquit, "non solum per veram discretionis viam juvenes recto tramite docebit incedere, verum etiam a cunctis fraudibus et insidiis inimici servabit illæsum."[3] Humilitas igitur ipsis etiam senibus ac perfectis necessaria est; sine qua, ut apud eumdem Cassianum Abbas Moses docet, vera discretio minime conquiritur.[4] Quæ quidem humilitas in eo videlicet sita est, ut neminem pudeat vel jam ætate provectum et in religiosa palæstra diu exercitatum, se suaque omnia confessario detegere.

Quinto, requirit Constitutio, ut "quicquid in hac parte faciat, unusquisque detegat." "Quicquid," inquit, nempe etiam id quod nobis videtur exiguum. Quædam enim nobis non satis æquis judicibus videntur exigua ac moderata, quæ vere modum excedunt, et obesse valetudini possunt; quam multi enim ex adolescentibus quædam reticuerunt ut minima, quæ ipsimet postea ex eventu nimia esse senserunt, suo scilicet edocti periculo. Ut igitur hoc caveat Constitutio, jubet omnes, non aliquas detegi pœnitentias; tametsi supra a nobis indicatum est ex S. Bonaventura liceat necne aliquid aliquando inconsulto Superiore facere.[5]

[1] Coll. 2. c. 9. [2] Cap. 7. [3] C. 10. [4] Ibid. [5] Op. v. de Pœnit.

Accedit altera ratio, cur quicquid pœnarum suscipitur, aperiendum confessario sit; quia ejus est consilii non modo quod immoderatum est moderari et circumcidere, verum etiam quod exiguum est, adjicere atque augere. Ad eum pertinet judicare inter nimium et parum, quorum utrumque vitiosum est; nam et minimum pœnitentiæ subire, cum in pœnitentiæ loco degas, alienum est a vero Dei famulo, et religiosis institutis abhorret. "Convenit enim religiosum," ut Basilius admonet, "regiam viam vere ingredi, nusquam declinantem; ut neque remissionem," inquit, "amplectatur, neque immoderata abstinentia corpus inutile reddat."[1] Quod ipsum in 6. parte admonet P. Ignatius. Nam cum nimium pœnitentiæ atque asperitatum usum, qui vires frangeret, improbasset, statim subjicit de remissione: "Nec contra tanta in illis," inquit, "sit relaxatio, ut fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus insolescant." Et in declaratione sic habet: "Si quibus convenire judicabitur certum tempus præscribi ne excedant vel deficiant in spiritualibus exercitiis, superior id facere poterit; si etiam in usu aliorum mediorum, si ipse omnino judicaret aliquo utendum esse etc."

Quoad secundum. Confessarii vero officium ac munus est, ut cum ad eum de pœnitentiis refertur, et ambigit an modus excedatur, remittat eum qui excedit ad Superiorem. Sic enim additur in Constitutionibus: "Qui si judicat excedi mensuram, aut certe dubitat de excessu, illum ad Superiorem remittat." Dicitur autem in hac 3. parte, si dubitat de excessu, non autem de defectu; quia, ut dicemus infra, periculosior est excessus quam defectus. Et (p. 6. c. 3. § 1.) "Dum tamen," inquit, "semper confessarius consulatur," et ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad superiorem referatur.

Dicet hoc loco quispiam: Quid opus est pœnitentias detegere Confessario, si is, qui detegit, et modum judicatur

[1] De Vit. Solit. c. 9.

excedere, ad Superiorem remittendus est? Nonne satius esset eum recta ad superiorem proficisci, non adhibito Confessario? Respondeo: sapienter a Constitutione caveri, ut qui modum in subeundis pœnitentiis putatur excedere, aut de quo dubitatur, ad Superiorem remittatur, 1°, quia cum subditus sit, resque sit Superioris et ad Superiorem spectet, necesse est, ut Superioris vel voluntas exquiratur vel consilium; voluntas, ubi exploratum est transiri modum; consilium, ubi oritur dubitatio. Inique enim facit is, qui paret, si cum suus ipse non sit, nimium sibi indulgeat in suscipiendis pœnitentiis, non expectato ejus, qui præest, nutu ac voluntate, et cui jam se dedit ab initio totum. 2°. Quia cum Superior Christi vires gerat, ut dicitur in Constitutionibus,[1] existimandum est, Deum cum illo magis quam cum Confessario concurrere, et ei magis quam alteri, quid expediat potissimum, declarare. Ideo in iisdem Constitutionibus dicitur Superior divinæ esse voluntatis interpres.[2]

Nec tamen otiosa atque inanis putanda est esse opera Confessarii, licet penes eum auctoritas statuendi pœnitentiæ modi, et quid judicat præcipiendi, non relinquatur. Quia saltem ejus judicium, dum pœnitentem remittit ad Superiorem, magnifacit Superior, ut ejus qui tractat animam sui subditi, ac plerumque illud sequitur ipse Superior, cum ad se Confessarius subditum ipsum remittit. Deinde quo plures judices, eo tutius res agitur, multoque facilius subdito persuadetur cavendum id quod est nimium; si quidem in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Huc accedit, quod cum Confessarius sit minister atque adjutor Superioris, necesse est sæpe, quoniam is semper præsto esse non potest, ut in moderanda pœnitentiæ Superioris vices gerat. Itaque tribus hisce rationibus minime otiosa est Confessarii opera, etiam si non omnis moderandæ pœnitentiæ potestas ejus arbitrio relinquatur; et quia ejus judicium Superior exquirit ac magni-

[1] P. 9. c. 4. § 9. [2] P. 7. c. 2.

facit; et quia tutius agitur, cum plures judices adhibentur; et quia Superiore absente unius Confessarii tota est moderatio.

Quoad tertium. Ratio autem, cur hæc fiant, et cur hoc, qui præscribitur, ordine detegendæ sint Confessario pœnitentiæ, gemina est ex Constitutione; una quidem, ut clarius procedatur; altera vero, ut in animis corporibusque nostris Deo Domino nostro major gloria deferatur. Prior ratio duplex esse potest; nam clarius ita proceditur, partim quia subditus, qui pœnitentias suscipit, vel quia inexperiens est et adhuc junior, vel quia in suis quisque rebus facile decipitur, nequaquam satis luminis habere potest ad dijudicandum inter nimium et parum; ideoque alterius ei standum est judicio, qui et spiritualium rerum usu præcellat, et perturbationis affectu caveat. Sicut in medicinis corporis usu venit, ut non suo illas ægroti, sed peritissimorum judicio medicorum sumat; et quamvis ipsi qui ægrotant, medicinæ artem teneant, alios tamen ex lege medicos advocant, ne aliquo perturbationis affectu in sua ipsi curatione cæcutiant, et pro salute exitium, pro vita mortem sibi accersant. Partim vero quia in lucis Angelum se satanas transfigurat, cujus fraudes atque astutias nemo melius agnoscit, quam qui vera animi submissione atque humilitate seniorum consilia atque vestigia sibi sectanda existimaverit. Sic enim docet Abbas Moses apud Cassianum, et ad perfectam discretionis rationem pervenire quempiam posse, et munitum a cunctis insidiis inimici tutissimum permanere.[1]

Solet autem satanas extrema quæque Dei famulis suadere, præsertim speciosa et quæ laudabilia videntur; ut diximus in opusculo de communi vivendi ratione Societatis nostræ. Ideoque omni conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, ut Cassiani verba utar, "quæ nos illæsos ab utraque potest nimietate servare. Ad unum finem nimietas jejunii et voracitas pervenit,

[1] Coll. 2. c. 11.

eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni gravissimi torpor involvit." Et Basilius, "Par," inquit, "ex utroque extremo animæ damnum, cum quis ob nimium bonam valetudinem exultans in absurdos animi impetus erumpit; et quando extrema debilitate confectus hæret animo atque torpet."[1] Quapropter secundum Apostolum per arma justitiæ, quæ a dextris sunt et a sinistris, recto moderamine transeundum est, et inter utrasque nimietates discretione moderante gradiendum est. Quæ quidem discretio, ut diximus, hac humilitate conquiritur, ut nostris judiciis sententiisque neglectis, Confessarii judicio consiliisque acquiescamus, et quicquid pœnarum asperitatumque suscipimus, cum eo communicemus ac conferamus.

Quanquam autem consueverit satan extrema quæque nobis suadere, tamen Dei famulis, et quos præ cæteris ardentiores aspexit, his extremum illud, quod laudabilius videtur persuadere studet, ut alibi diximus. Ut enim in eadem Collatione dicitur: "Utrumque bellum adversarii factione consurgit, et perniciosius continentia immoderata, quam saturitas remissa supplantat."[2] Cujus etiam rei rationem eo quem dixi tractatu exposuimus.[3]

Quare cum tot tantæque sint diaboli fraudes, recte præcipit Constitutio, quo clarius procedatur in suscipiendis pœnitentiis, eas detegi Confessariis; et Confessarios, si de excessu dubitant, rem ad Superiorem deferre: cum excessus plus periculi plerumque habeat, quam remissio atque defectus. Ideoque et Gregorius (in 1 Reg. l. 9. c. 4. et 14.) docet eos qui parent, debere bona sua iis, qui præsunt, ostendere, "ne," inquit, "dum vitium quasi virtutem non judicant, in se absconditum hostem portent." Et Basilius (in Reg. brev. 9. 227.) vult cum hujusmodi hominibus nos instituta nostra conferre, "ut vel quod erratum est corrigatur, vel quod probe et exacte præstitum con-

[1] De Vita Cænobit.

[2] Coll. 2. c. 17. [3] Opusc. de Comm. Viv. Ratione Soc. Nostræ.

firmetur." Atque hæc est una ratio, quam Constitutio affert, cur et pœnitentiæ detegendæ sint a singulis suo Confessario, et Confessarius ipse remittere ad Superiorem debeat, quum in pœnitentiis transire modum animadverterit. Nam verba illa "hæc autem omnia eo fiunt, etc.," ad utrumque referenda videntur, et ad eum, qui detegit pœnitentias, et ad Confessarium cui deteguntur. Altera vero ratio est, ut in animis corporibusque nostris Deo Domino nostro major gloria deferatur; hoc est, ut in subeundis sponte pœnis, quæ utramque hominis portionem attingunt, quæratur semper optimum. Hæc est enim gloria Deo, ut in ipsis quoque bonis optimum, et ex duobus bonis melius semper eligatur. V. g. bonum est animo per corporalem pœnitentiam se demittere atque humiliare. Est enim id pœnitentiæ genus humilitas quædam; nam de Achab, qui jejúnavit et operuit cilicio carnem suam, dicit Deus "quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus." [1] Bonum est etiam ei sese per obedientiam humiliare, et hoc utique melius, et major gloria Deo. Propterea dicitur (Isaia c. 58): "Si glorificaveris eum, cum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem." Glorificatur igitur Deus, dum non sequimur vias nostras et voluntatem nostram, suscipiendis voluntate nostra pœnis, sed sequimur moderatorum nostrorum ductum ac voluntatem, quorum voluntas divinæ est, uti diximus, voluntatis interpres. Itemque bonum est animo sibi vacare per corporalem exercitationem, jejuniorum scilicet, vigiliarum, cæterarumque hujusmodi asperitatum. Bonum etiam per pietatis studia, quam exercitationi corporali Paulus,[2] ut dicebamus, multis partibus anteponit; et ideo bonum sunt longe melius, et ad divinam gloriam magis spectant. Bonum item est animo sibi ipsi vacare dumtaxat, et quod sibi utile est, id modo quærere: at multo majus bonum est, non quærere quod sibi tantum utile est, sed quod multis, ut salvi fiant,

[1] 3. Reg. 21. [2] 1. Tim. 4.

et hoc multo majoris gloriæ Dei; quod faciebat Paulus.[1] In animis igitur major Deo gloria defertur, si semper meliora sectemur. In corporibus etiam major gloria Deo Domino nostro defertur, si e duobus v. g. bonis melius item seligatur. Bonum est enim domandi corporis causa illud atterere et macerare jejuniis, asperioreque victu vel cultu. Bonum item ei parcere interdum, et moderate castigare interdum etiamsi vires languescant, omnino non lædere, sed ejus robur tuendis animis proximisque juvandis reservare. Hoc autem judicare, quando alterum altero melius sit, ad eum spectat, qui divinæ nobis sit voluntatis interpres. Sequi autem divinam voluntatem, id scilicet in Dei gloriam cedit, et ubi bonum bono majus sequimur, eo etiam major redit ad Dominum gloria. Et hoc videlicet est "glorificare Deum in corpore suo,"[2] ut ait Paulus ad Corinthios; et majorem Deo Domino nostro gloriam in suis deferre corporibus, ut ait noster Pater Ignatius. Glorificatur autem maxime, quando corpus hoc non nostro arbitrio regere et moderari volumus, sed in rebus omnibus, præsertim pœnitentiis sponte ferendis, illud Dei voluntati subjicimus, cujus nos toti sumus, dum nos ipsi rectorum nostrorum judiciis consiliisque submittimus. Et propterea dicit ibi Paulus, "Non estis vestri: empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro." Ut enim ibi Paulus Corinthios jubet abstinere fornicatione, "Quia eorum corpora templum sunt Spiritus Sancti; neque sui sunt, sed ejus qui suo sanguine eos redemit;" et supra etiam dixerat, "Si quis eorum inquinando suo corpore templum Dei violasset, fore ut disperderet illum Deus;"[3] ita ex eadem causa, quia non sumus nostri, et corpora hæc, quæ gerimus, templum sunt Spiritus Sancti, non licet ea nobis arbitratu nostro castigare maleque mulctare, ne si templum Dei destruimus, destruat ille vicissim nos. Sed in iis exercendis affligendisque debemus,

[1] 1. Cor. 10. [2] 1. Cor. 6. [3] 1. Cor. 3.

ut ante dixi, patrum spiritualium sequi judicium ac voluntatem, et sic de nostro corpore agere, ut ex Bernardo[1] supra diximus, sicut de non nostra, sed ejus a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro; eumdemque in hoc eodem corpore portemus, quatenus divino ministerio, ut ait D. Thomas, deputatur et consecratur. Qui enim portat, usui est ei quem portat, ut homini jumentum: quia nostra corpora divinis scilicet usibus, et proximorum utilitatibus dicata sunt.

His igitur rationibus Constitutio nostra præscribit aut Confessario aut etiam Superiori pœnitentias et quasvis asperitatum genera patefieri. Atque hæc et de posteriore Constitutionis parte, et de tota ipsa Constitutione 48ª, qua tertium continetur valetudinis tuendæ præsidium. Sequitur ut de quarto dicamus juxta 2. § 2. capitis 3. partis, et juxta regulam 16ᵐ ex Constitutionibus.

Diximus hujus disputationis initio quatuor ad tuendam valetudinem facere juxta Constitutiones et Regulas: primum quidem necessitates suas suis Superioribus indicare: alterum vero erat corporis exercitatio: tertium moderatio ac prudentia in eodem corpore castigando: quartum ordinata victus ratio ac temperantia. Quoniam igitur de tribus jam prioribus egimus; restat ut de quarto ac postremo dicamus: ostendamusque quantum valetudini prosit ordinata victus ratio ac temperantia.

[1] Ad Fr. de Monte Dei.

DE ORDINATA VICTUS RATIONE.

ORDINATA victus ratio duplicem spectat ordinem, temporis scilicet et ciborum. Hæc autem partim ex instituto religiosæ disciplinæ, et eorum, qui præsunt, administratione pendet; partim ex uniuscujusque prudentia ac temperantia.

§ 1.—DE ORDINATIONE QUÆ EX ADMINISTRATIONE PENDET.

Dicamus prius de priore, postea de posteriore. Atque ea quidem quæ ex religioso disciplinæ instituto pendet, et tempus præscribit edendi, et rationem ciborum.

Quoad tempus, sic habet constitutio: "Statuatur tempus, quoad ejus fieri poterit, edendi, cubandi, surgendi, quod communiter observent."[1] Tempus enim certum ac fixum haud dubie multum adjuvat valetudinem, quia corpus facile assuescit ordini, ut in plerisque vitæ animalis actionibus perspicuum est. Nam iisdem fere temporibus somnus occupat, iisdem excitamur a somno, iisdem esurimus et sitimus, et id genus alia vitæ munera exequimur statis horis atque temporibus, naturæ scilicet ductu atque impulsu, quæ motus suos ratos ac constantes habet. Quocirca sapienter comparatum est in omnibus fere religiosorum familiis, ut certa ac statuta habeant reficiendi tempora, quibus non religiosæ familiæ modo, verum etiam corporum valetudini consulatur. Quod quidem edendi tempus sine necessitate non anticipant nec postponunt: ex necessitate autem duobus modis anticipant. Uno modo, cum prandium iniri maturius a valetudinariis atque imbecillibus volunt; nam B. Benedictus in regula, cum de alendis senibus puerisque, qui infirmis fere viribus sunt, loquitur, ita ait: "Consideretur semper in eis imbecillitas,

[1] 3. p. c. 2. § 2.

et nullatenus cum eis distinctio regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eos pia consideratio, et præveniant horas canonicas."[1] Quod ipsum in societate nostra servatur, ut in valetudinario maturius prandeatur. Et Basilius[2] negat omnibus idem statui posse tempus reficiendi, propter imbecilles ac valetudinarios: idemque præcipit in suis regulis Augustinus;[3] et sermone 1. ad fratres vetat quemquam manducare extra horam prandii, nisi cum ægrotat.

Altero modo anticipant, cum iis, qui in opere præsertim manuum laboreque versantur, mane meridieve jentaculum præbent. Ac Benedictus quidem ipsis etiam mensarum ministris, lectorique panem et vinum ante refectionis horam, quo facilius prandii moram expectare queant, præberi jubet. Nam de illis ita loquitur: "Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes et panem, ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis."[4] De lectore autem ad mensam sic: "Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter Communionem Sanctam, et ne forte grave sit ei jejunium sustinere." Mixti autem nomine panem et vinum intelligit una permistum, (la zuppa).

Eadem est consuetudo Societatis nostræ, ut similibus, et qui manu contentius laborant, ut pistoribus, lotoribus, agricolis, coquis, jentaculum communem refectionis horam indulgeat. Sed ex Benedicti verbis intelligant solo mixto debere esse contentos, nec jure queri cum præter panem et vinum nihil eis additur; quippe ad ferendas in laboribus vires, non ad irritandam gulam conceditur id jentaculum.

Postponitur autem edendi tempus necessitate jejunii, cum in meridianum usque tempus differendum est: sed hæc dilatio sæpe est ipsis etiam corporibus salutaris. Rara enim cum sit, noxia esse non potest, sed potius superiorum dierum saturitati et cruditati medetur, plenumque corpus allevat, et concoquendi facultatem adjuvat.

[1] C. 37. [2] In Ascetico, cap. 19. [3] Reg. 2. [4] Cap. 39.

Atque hæc de ratione temporis. In cibis quoque certum religio præscribit ordinem valetudini consentaneum. Ordo autem ejusmodi in tribus rebus omnino cernitur: 1°, in genere seu substantia ciborum; 2°, in quantitate; 3°, in qualitate. In substantia quidem, quoniam communes cibos adhibet et vulgares, non exquisitos ac delicatos: in quo et valetudinis rationem habet, et religiosæ modestiæ. Valetudinis quidem, quia receptum inter medicos est, assuefaciendum esse corpus cibis vulgaribus et communibus, ut id robustius fiat; deliciis enim enervari molleque reddi. Probat id Clemens Alexandrinus[1] servorum atque agricolarum experimento, qui cum vilissimis utantur escis, sunt tamen suis heris ac dominis robustiores, saniores et generosiores. Imo et inter nobiles multi, cum possint cibos exquisitos ac pretiosos suis liberis adhibere, malunt tamen eos vulgaribus et communibus alere, ut robustiores evadant.

Modestiæ autem religiosæ rationem habet ipsa religio, quia religiosos docet aspernari delicias, et paupere non pretioso victu delectari, cum paupertatem profiteantur, et crucem Christi ferre condiscant. "Decet," Bonaventura[2] inquit, "vas cœlesti gratiæ mancipatum a sæculi illecebris abstinere." Idemque, "Quam turpe sit," inquit, "pauperibus hominibus cibaria quærere lautiora, aut appositis non esse contentos, quis sanæ mentis ignorat?" Quocirca recte præcipiunt spiritalis vitæ magistri, ut iis religiosi cibis utantur, qui viles ac parabiles sint. Basilius: "Quicumque cibus minore nos sumptu e necessitate liberat, is est usurpandus: ostendit autem hoc et ipse Dominus, ubi fatigatam populi multitudinem, ne in itinere deficeret, refectione, sicut scriptum est, excepit: cum enim miraculosam eam refectionem in solitudine posset sumptuosorum eduliorum excogitatione extendere, et augustiorem reddere, adeo tenuiter eos et frugaliter, rejecto superfluo, cibavit, ut panes hordeaceos et partem piscis pani adjunctam proposuerit."[3]

[1] L. 2. Pæd. c. 1. [2] Spec. Discipl. p. 4. c. 6. tr. 9. [3] In Ascetico, cap. 19.

Quod Clemens etiam observat in Pædagogo,[1] ubi et David etiam frugalitatis exemplum affert; qui in medio tabernaculo sanctam Arcam collocans, facta omnibus, qui suæ ditioni parebant, lætitia, coram Domino distribuit omnibus Israelis copiis a viro usque ad mulierem, unicuique tortam panis et subcinericium panem, et laganum ex sartagine.[2]

Meminit et discipulorum, qui a magistro frugalitatem edocti, cum dictum est eis, Habetis hic aliquid quod manducetur? obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis.[3]

Tertullianus[4] de priscæ loquens Ecclesiæ disciplina, "Ita saturantur," inquit, "ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse."

Hieronymus quoque ad Eustochium simplicitatem victus ac frugalitatem suadet famulis Dei, ex iis cibis, quos Deus ipse suis interdum famulis apparavit: nam et Eliæ Jezabel fugienti subcinericius tantum panis et aquæ vas, et Danieli, cui de regiis ferculis opulentior potuit mensa transferri, messorum prandium scilicet rusticanum præbitum est.

Ideo et Cassianus[5] eum monachis cibum statuit, qui parandum sit facilis, et quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretii compendium præstet. Nec dissentit B. Climacus,[6] qui leves item et viles cibos Dei famulis statuit. Jam nisi hi cibi etiam corporum saluti prodessent, profecto non tantopere commendarentur a sanctis. Jure igitur religio et ad modestiam pariter et valetudinem, ciborum simplicitate gaudet, delicias autem et pingues epulas aspernatur.

Societas vero nostra, quo majorem valetudinis rationem ducat, eam victus moderationem sequitur, quæ et nimis crassos et rusticanos cibos removet, et ordinariis ac communibus delectatur, cum in ea sint plerique nobiles

[1] L. 2. Pæd. c. 1. [2] 1. Paral. c. 16. [3] Luc. 24. [4] In Apologetico, c. 39.
[5] In Institutis monasticis, lib. 5. c. 23. [6] Fr. 14. qe. de jula.

et adolescentes, et perennibus addicti studiis et laboribus mentis. Eademque, cum vitam communem animarum causa sequatur, non aspernatur carnes, et quæ vita communis admittit, ut etiam olim Apostoli et Christus ipse. Si autem interdum meliores nobis et lautiores indulget, id tamen et rarum est, nec fere nisi vel propter solemnem diei festi religionem, vel propter ægrorum necessitatem, vel denique cum quid forte lauti eleemosynæ nomine missum est. Tunc enim quæ nobis divina Providentia apposita sunt, ea cum gratiarum actione comedimus; sicut scriptum est, "Comedite quæ apponuntur vobis." Atque hæc de ordine, qui cernitur in substantia ciborum.

Secundo, cernitur ordo ciborum in *quantitate:* quæ quidem duplex est, continua et discreta. In continua spectari potest copia et magnitudo pastionis: in discreta ciborum numerus et varietas. Quantitas cibi in Societate nostra ejusmodi est, ut satis omnibus esse possit; nec adhibendæ sint pro cujusque necessitate mensuræ: quemadmodum adhiberi jubet B. Basilius, cujus illa sunt verba: "In cibis, quemadmodum alia aliorum necessitas est, cum juxta ætatem tum secundum exercitiorum differentiam et corporis habitum, sua cuique et diversa: ita sane et cibi mensura diversa esse debet, et reficiendi modus; ut impossibile sit omnes uno comprehendi canone, qui in pietatis sunt exercitio."[1] Beatus quoque Benedictus non eamdem cibi quantitatem pueris ac viris distribuendam præcipit, sed pro ætate ac necessitate.[2] Tamen in Societate nostra, ut dixi, ea in cibis mensura statuitur, ut omni ætati et conditioni hominum omnino sufficiat. Nam in obsoniis largior potius in commune mensura constituta est, ut et robustiores non egeant; et sit, unde aliquid possint demere, quibus ea nimia est. Edendi enim moderatio cujusque prudentiæ ac temperantiæ relinquitur, ut sit virtuti locus. In pane vero ac vino certa in commune mensura non statuitur; ut, cui minor est obsonii mensura,

[1] In Asceticis c. 19. [2] C. 39.

habeat, unde suppleat indigentiam ac famem expleat: quia si verum quærimus, non ut obsonium devoret, teste Clemente, sed ut frumento vescatur, homini innatum est.[1] Aliquæ tamen familiæ etiam in pane et vino certum definiunt mensuræ genus. Ægypti etiam monachis statutus refectionis diurnæ modus duo paximacia fuere, quæ libram integram non æquabant, ut scribit Cassianus: erat enim paximacium exiguus panis sex fere unciarum.[2] Sunt tamen qui viderint apud Cassinatem libram panis, quam præscribit in regulis Benedictus, et ajunt esse unciarum fere 28. Nam Benedictus in sua regula sic de pane: "Panis libra una pro penso sufficiat in die; sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ; quod si cœnaturi sint, de eadem libra a cellerario reservetur tertia pars, reddenda cœnaturis."[3] Idem de vino sic: "Credimus heminam vini per singulos sufficere per diem."[4] Est autem hemina dimidium sextarii: sextarius vero apud Romanos viginti continebat uncias, apud Atticos 18. Putat igitur vir sanctus 9. aut 10. vini uncias unicuique in dies singulos satis esse: tantam in suis sobrietatem exigit. Verum sapienter fecisse noster videtur Ignatius, ut in pane et vino certam in commune mensuram non præscriberet: tum ne in obsonii diversa cuique mensura, ut Basilius jubet, pro cujusque necessitate statuenda esset, id quod esset œconomis ac ministrantibus permolestum; tum quia ipsemet Benedictus in alieni victus definienda mensura, ubi de potu agit, fatetur id cum quadam scrupulositate se facere.

In magnitudine igitur et copia cibi moderatio salutaris apud nos adhibetur, ut et vires affatim reficiantur, et tamen crapula evitetur, qua nihil ita Christiano contrarium, ut Benedictus ait, nec quicquam tam valetudlni noxium, de qua nunc agimus, ut etiam infra pluribus ostendemus. Porro eadem in hoc est Bonaventuræ sententia, qui "De informatione novit." Sic scribit: "De mensura comedendi

[1] Pæd. l. 2. c. 7. [2] Coll. 2. c. 19. et Coll. 12. c. 12. [3] C. 39. [4] C. 40.

difficile est dare certam regulam, nisi quod inter duo semper medium teneas."[1] Tertullianus de priscis Christianis scribit: "Editur, quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile."[2]

In quantitate vero discreta, ciborum, ut dixi, numerus et varietas consideratur. Qua in re habetur et a Societate valetudinis ratio, quia varietatem removet, quæ noxia est, multitudinemque ciborum; sicut sanctus Benedictus, qui duo tantum pulmentaria cocta præscribit, "ut forte," inquit, "qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur: et si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur et tertium."[3] Ita nostra Societas terna quotidianis mensis præbet obsonia: duo cocta; tertium ex pomis aut caseo. Multiplicem vero varietatem, seminarium morborum, omnino tollit: nam, ut refert Clemens, Antiphanes Delius medicus vel hanc unam dixit esse morborum causam, ciborum varietatem.

Obest autem valetudini dupliciter: primum, quia, ut idem Clemens ait, insitum natura non est corporibus nostris, ut multiplici ciborum varietate juventer:[4] imo sanitati et viribus maxime convenire ait alimenti simplicitatem ac facilitatem, quod et ad digestionem et ad levitatem corporis utile sit: ut vere videatur illud in sacris libris testatum esse: "in multis escis erit infirmitas;"[5] quod non de copia et vi cibi dumtaxat, verum etiam de varietate intelligendum est. Secundo, obest valetudini epularum varietas, quia gulam et abdomen irritat, cogitque quodammodo temperantiæ fines limitesque transire. Nam ut Hieronymus ait: "Cum variis nidoribus fumant patinæ, ad esum sui, expleta esurie, quasi captivos trahunt:" quod etiam significat B. Bernardus.[6] Objicies mihi Societatis consuetudinem per dies festos celebriores, diesque jejuniorum, quæ varietate aliqua ferculorum mensas videtur instruere. Verum hæc ipsa extraordinaria victus ratio

[1] P. 1. c. 8. [2] C. 39. [3] L. 3. c. 1. [4] Eccl. 37.
[5] Contra Jovinianum, l. 2. [6] In Apologia ad Gulielmum, t. 2.

suum quoque ordinem habet: non enim varietate totas laxamus habenas more secularium; sed certis est contenta finibus ac cancellis, ut si consuetudo sancta servetur, crimini verti non debeat. Quanquam non omnis ciborum varietas funditus e nostris mensis exterminanda est, nec omnino, ut Clemens ait, a variis cibis abstinendum:[1] sed in eis, inquit, non est studium ponendum. Nos vero nullum non modo ponimus in exquirenda varietate studium, sed eam cum raram admodum, uti diximus, in nostris mensis, tum etiam moderatam esse volumus; quæ scilicet nec corporum saluti sit fraudi, nec religiosam dedeceat disciplinam.

Tertio, cernitur ordo ciborum in *qualitate:* qualitatis autem nomine intelligimus hoc loco epularum apparatum et condimenta ciborum. Qua in re et valetudinis simul rationem Societas habet, et spiritalis ædificationis, ut in Constitutionibus præcipit noster Pater. Valetudinis quidem, quia modum item quemdam in apparandis condiendisque epulis adhibet, ut nec corporibus escarum conditiones officiant, nec gulam vehementius irritant. Sunt enim nimii epularum apparatus, exquisitæque conditiones ac lenocinia ciborum maxima seges intemperantiæ, ex qua demum cruditas ac morborum molestiæ. In quam sententiam recte Bernardus in apologetico ad Gulielmum abbatem: "Tanta accuratione," inquit, "et arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum novellis seducitur condimentis paulatim dissuescere cognita, et ad succos extraneos veluti adhuc jejunum avide renovatur in desideria. Et mox, quia puras, ut eas natura creavit, epulas fastidimus, dum alia aliis multifarie permiscentur, et spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur saporibus, transitur nimium meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur."[2]

[1] L. 2. c. 1. [2] T. 2. p. 184.

Ædificatione autem spirituali Societas nostra consulit prætermittendis escarum lenociniis, et sæcularibus condimentis. Sic enim non videmur dare operam voluptati, sed necessitati; nec circa easdem versari curas, quibus seculares homines student; quorum plerique circa cochlear et mortarium totam vitam consumunt, ut scite Clemens. Ut autem idem ait: "Qui varietates multiplices exquisitorum condimentorum sectantur, terræ sunt plane filii; nostra autem conversatio in cœlis esse debet, et cibum cœlestem venantibus, necesse est ventri, qui sub cælo est, et iis, quæ ei grata sunt, imperare."[1] Scimus autem olim apud veteres monachos, condimentorum loco, olei stillam in summis fuisse deliciis, at scribit Cassianus in collatione Sereni Abbatis, quem narrat ad hospitum adventum pro muria, quæ quotidianæ illorum Patrum refectioni solita erat apponi, modicum liquaminis miscuisse, et olei quiddam solito propensius superfudisse, ac si convivæ opiparum apparasset.[2]

Et Basilius inter delicata condimenta, quæ religiosis in escarum apparatu permittit, oleum memorat, et similia; neque id semper, sed ad hospitum dumtaxat adventum: quo etiam tempore ita parari vult omnia, ut omnis absit curiositas, omnis tumultuatio.[3]

Jam vero quis non miretur, et jure optimo offendatur, cum de religiosis et monachis illa audit apud Bernardum: "Quis dicere sufficit, quot modis, ut cætera taceam, sola ova versantur et vexantur, quanto studio evertuntur et subvertuntur: et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mistim, nunc singillatim apponuntur?"[4]

At illa apud Hugonem: "Alii superstitiosum nimis in præparandis escis adhibent studium, infinita decoctionum et frixurarum et condimentorum genera excogitantes, modo calida, moda cocta aqua, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cumino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum, desiderantes."[5]

[1] Pæd. l. 2. c. 1. [2] Coll. 2. c. 1. [3] Ascet. c. 19.
[4] In Apol. ad Gulielm. [5] De Inst. Novit. c. 19.

Ergo Societas ædificationis gratia, licet illa quidem non omnia salsamenta funditus respuat, nimia tamen et quæ solius sunt voluptatis plerumque rejicit. Ita et ædificationi simul consulit in apparandis epulis, et valetudini.

§ 2.—DE ORDINATIONE QUÆ EX CUJUSQUE PRUDENTIA PENDET.

Hactenus de ordinata victus ratione, quæ ex ipsa religione atque ex moderatorum administratione pendet. Dicamus deinceps de ea, quæ ex cujusque prudentia pendet, et in unoquoque subditorum sita est: sive hic quoque reficiendi tempora spectare velis, sive ipsam reficiendi rationem. In utroque enim salutaris hic, quem diximus, versatur ordo.

Quod igitur ad temporis spectat ordinem, præclare consulitur valetudini, si nec potus nec cibus extra communis refectionis tempora capiatur. Ideoque lex est una de Constitutionibus, ut valetudinis tuendæ gratia nemo extra consueta tempora bibat, nec extra domum cibum sumat absque facultate Superioris.[1] Quæ ut pluribus explicetur, prohibet priori loco potum, quia præterquam quod honestati ac religioni, ut mox dicemus, extraordinarius potus, sive sit aquæ sive vini, adversatur, obest etiam maxime valetudini; dum et sæpe impeditur prandii cœnæve concoctio, et supervacanei augenter humores. Idcirco Clemens in Pædagogico: "Si sitis," inquit, "accesserit, curetur hæc affectio aqua non multa: neque enim aqua nimium profuse impleri convenit, ne obruatur nutrimentum."[2] Imo idem juventuti præcipit in ipsis quoque prandis potionibus abstinere, pane solo gustato: "Ut ebibatur," inquit, "eorum supervacanea humiditas, aridorum esu veluti quadam spongia exhausta." Quanto igitur magis abstinendum est potu extra consueta tempora prandiorum? Quamquam fuerunt aliquando

[1] Reg. 16. [2] Pæd. l. 2. c. 2.

prandia tenuiora, et veluti matutina quædam jentacula, idcirco forte potum in prandiis vetat; ut et Cornelius Celsus: "Si quis prandet, ipsum sit siccum et sine potu."

Cornarius autem quidem libro de longa vita, tantum tribuit parco potui, sicut scribit idem Clemens, ut existimaret eo usque potandum, donec humectentur cibi, quo nobis vitam paremus longiorem. Quod si hæc temperantia, ut dixi, requiritur in mensis, quando magis requirenda est extra mensas?

Sed si quando nos decipit sitis, ut valetudinis non agnoscamus incommodum, saltem ab hac extraordinarii potus intemperantia adeo corporibus noxia (loquor autem de crebra et frequenti) retrahat nos vel honestatis vis, vel religiosæ vitæ professio. Honestati quippe adversatur; quia gulæ vitium est, simulac sitis accesserit, eam protinus explere velle, licet aqua dumtaxat adhibeatur. Quid est enim aliud gula nisi inordinatus quidam appetitus cibi et potus? ut eam definit S. Thomas: "Non igitur vini tantum potus, sed cujuscumque, si sit intemperans et extra ordinem, gulæ vitium est, honestatique contrarium."[1] Ideo Ephræm, "In potu," inquit, "temperantia est, cum sobrietatem colis nec compotationibus gaudes: nec plus non solum vini sed ne aquæ quidem sumis, quam necessitas postulat."[2]

Quam autem honestum dedeccat hominem extra mensam, ubi semel se refecerit, ad potum redire, docet his verbis Bonaventura in Speculo Disciplinæ: "Sane post refectionem ad potum redire, aut per diem in domo ex vitiosa consuetudine, aut quod turpius est, post completorium bibere, non mediocris vitii notam habet; honestius ad mensam quantum indiges bibis, quam bibendo per diem meribibuli morem geris." Hac de causa scribit B. Augustinus, vetulam illam patris nutricem, a qua mater ejus Monica cum sororibus educabatur, ne aquam quidem eas bibere extra parentum mensam, quamvis siti exardesce-

[1] 2. 2. q. 148. a. 1. [2] Serm. de Temp. et Cont.

rent, permisisse ; quod malam consuetudinem præcaveret; et idcirco puellarum sitim, inquit, formabat ad honestum modum.[1] Adversatur etiam religiosæ professioni, quæ in corporis sensuumque mortificatione cernitur. Nam qui mortificat membra sua, quæ sunt super terram, ut religiosus quippe debet, suis cupiditatibus non obsequitur, sed oblatis occasionibus reluctatur. Omittit igitur, si non aliud, præclarum mortificandi sui tempus, quisquis extra usitatas horas, cum sitis accesserit, sitim explet. Non sic viri sancti, et suorum corporum inimici, quorum aliquo aliquando legimus, ne in ardentissima quidem siti, extra legitimam communem refectionem, quicquam aquæ voluisse gustare. Ut Beatum Laurentium, qui ne in æstivis quidem ardoribus, aut itineris defatigatione, aut quibusvis laboribus, seu etiam corporis morbis potum unquam dicitur poposcisse ; quin si forte ad bibendum invitaretur a suis, ita fuisse solitus respondere : "Et quonam pacto, fratres, Purgatorii feremus ardores, qui hujus exiguæ sitis non ferimus æstum ?" Ignavus semper erit athleta, qui cohibere suas appetitiones, et sensus vincere non didicerit. Monet enim Cassianus, ut quisquis ad pugnas interiorum certaminum voluerit pervenire, hanc in primis sibi cautionem indicat, ut "non potus quicquam, nec esus ulla oblectatione devictus ante stationem legitimam, communemque refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat, sed ne refectione quidem transacta ex his præsumere sibi quantulumcumque permittat."

Sitis Christi Domini attentius reputata faciet, ut sitim nostram non gravate feramus. Neque enim major esse nostra hæc poterit, quam illa fuit, quæ et tormentorum acerbissimorum doloribus, et largissima effusione sanguinis evocata est, nec tamen ullis aquis paululum mitigata, sed felle et aceto magis accensa atque irritata. Certe Climacus hoc suggerit continentiæ præsidium : "Dum calicem," inquit, "bibis, memento item aceti et fellis Domini tui,

[1] L. 9. Confess. c. 8.

prorsusque aut continebis, aut certe per gemitum sensu humiliore eris."[1] Quod exemplum præbere nobis Dominum voluisse S. Diadochus ideo censet, ut quemadmodum in sacro certamine animo affecti esse debeamus, intelligeremus; doceretque non oportere eos jucundis potationibus uti, qui adversus peccatum dimicant.[2] Et Chrysostomus in Matth: "Tu vina bibis fraterna, Christo vero nec calicem frigidæ sitienti dedisti!"[3]

Objicies; Quid si laboris aut æstus magnitudo tanta sit, ut, nisi sitis extinguatur, valetudo periclitetur; num extraordinario etiam tum potu abstinendum est? Respondeo, extraordinariæ enim necessitati extraordinario etiam potu succurrendum est, sed non Superioris injussu si ejus copia facta sit: nam et ideo lata lex est, non ut nunquam siti satisfaciat, sed ut satisfaciendi potestas Superioris arbitrio relinquatur. Et alicubi in Hispania conceditur ex medicorum consilio velut salutare valetudini bibere præsertim æstati post certas horas a prandio vel a cœna. Bibere autem per unam aut alteram dumtaxat horam, dum concoctio effervescit, id non sine culpa aliqua veniali fieri docent doctores, quo etiam magis est necessaria venia et Superioris assensus.

Cavendum autem etiam atque etiam est, ne necessitatis specie fallat nos ipsa voluptas. Sæpe enim falsa sitis est quæ nos urget, non vera; quam si continuo sedare velis, humores supervacaneos augeas cum incommodo valetudinis. Distinguet autem sitim falsam a vera ipsius sitis pertinacia: nam si totum diem afflictet hominem, argumento est veram fuisse sitim et necessario mitigandam. Sin autem nullis adhibitis potionibus sua sponte abierit, interjecto horarum aliquot intervallo, satis apparet non veram sed fictam ac fallacem fuisse sitim. Ideoque ferenda est horarum aliquot mora, ut vera a falsa dijudicetur.

Diximus de extraordinario potu, quique sumitur extra tempora consueta: sequitur ut de cibo quoque extraor-

[1] Gr. 14. [2] C. 91. [3] Ho. 49.

dinario dicamus. Nam ne cibum quidem sumere extra tempus licet, sive domi sive extra domum. Quamvis enim regula non videatur cibum extraordinarium prohibere domesticum ; non enim expresse meminit nisi potus ; tamen etiam domesticus cibus extraordinarius intelligendus est prohiberi. Hujus autem non meminit regula, meminit autem potus, quia potus, præsertim aquæ, parabilior est et obvius omnibus. At esculenta conduntur in penu ; nec ex iis aliquid ab œconomis cuiquam Superioris injussu præbetur ; ideo necesse non fuit expressa domestici cibi, qui extra mensam sumitur, prohibitio. 2°. Quia extraordinarius potus, præsertim aquæ, plus officit valetudini, quam extraordinarius cibus : potus enim auget, ut diximus, humorum copiam multo magis, quam cibus ; ex humorum autem redundantia morbi gignuntur, et valetudinis perturbatio. Huc accedit, quod mentio cibi mox fieri a regula debuit, cum vetat externum. Sic enim habet : " Nec extra domum cibum sumat absque facultate Superioris." Planum autem est esse contra regulam domesticum etiam cibum intempestivum, quia valetudini, cui potissimum regula consulit, æque nocet atque externus intempestivus et extra ordinem. Non minus igitur ille quam hic intelligendus est prohiberi. Pars enim posterior regulæ, quæ cibum prohibet extra domum, complectitur non modo ordinarium cibum, ut prandium aut cœnam, verum etiam extraordinarium, et qui extra tempora consueta sumi potest. Et idcirco ita loquitur : " Nec extra domum cibum sumat : " non autem dicit " prandeat " vel " cœnet ; " nempe ut uno verbo prohiberet utrumque, et ordinarium et extraordinarium cibum foris. Prohibetur igitur et usitatus cibus foris, ut cœna vel prandium, et intempestivus atque extraordinarius, domi forisque, ut jentacula et comessationes.

Extraordinarius autem et intempestivus, ut de hoc prius dicamus, duplici de causa jure prohibetur. Primum propter valetudinem, quæ inusitatis et intempestivis comes-

sationibus sæpe læditur, sive ante canonicam refectionis horam adhibeatur, sive etiam refectione transacta. Nam ex anticipatis escis, insequente mox prandio vel cœna, sæpe cruditas oritur, cum eas stomachus nondum concoxerit: ex subsequentibus vero pomeridianis etiam tum impeditur bona concoctio, magno item incommodo valetudinis. Ut ergo corporis saluti consulat, prohibet regula quicquam sumere extra tempora consueta, sive id domi fiat sive extra domum.

Deinde vero idem prohibet ratione decentiæ ac disciplinæ: idque duplicitur. Primum, quia perturbatur ordo religiosus, qui quidem exigit, ut et cum cæteris et stata hora cibus sumatur. Nam Augustinus in suis regulis, "Nemo," inquit, "extra monasterium sine præcepto manducet nec bibat: non enim ad disciplinam pertinet monasterii." Et ante ipsum cavit idem Pachomii regula, quam ei angelus tradidisse dicitur. Hic habet: "Nullas uvas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ; et omnino de omnibus, quæ in agro sunt, aut in pomario, nemo comedet separatim, antequam cunctis fratribus pater exhibeat."[1] Idem fere præcepit[2] ubi jubentur, qui super arbores pomarios sunt, vel super vineas, nihil de earum fructibus ante alios attingere.

Quippe ad ordinem religiosæ disciplinæ pertinet, ut et statis horis se quisque reficiat, et una cum omnibus in commune, ut antea dixi. Quam disciplinam vult etiam in ipso itinere custodiri B. Isaias:[3] "Si te," inquit, "amicus ut comedas cogerit, cave ne quid in os tuum ingrediatur prius quam advocces fratrem tuum, ut simul quiescat et recreetur."

In sanctis quoque scripturis hujus bonæ disciplinæ exemplar quoddam licet inspicere: nam de Christo ejusque discipulis legimus apud Lucam: "Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli eum eo."[4] Ubi habes et horam statam, et communem omnium refectionem. Et

[1] Reg. 40. [2] Reg. 42. [3] Or. 4. [4] Luc. 22.

de solis Apostolis dicitur: "Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia:"[1] contra decorem quippe videbatur vescendi tempus anticipare. Et Apostolorum Principi,[2] eum esurivet et gustare vellet, hora sexta mensa paratur, scilicet stata et legitima. Et de bene morato domino dicitur: "Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent."[3]

Intemperantibus vero, et qui nullam in reficiendis corporibus suis disciplinam custodiunt, acriter sacræ literæ comminantur; ut apud Ecclesiastem: "Væ tibi terra, cujus principes mane comedunt;"[4] hoc est, ut ait Glossa, inordinate et ante tempus: contra vero beatam terram prædicat, cujus principes vescuntur in tempore suo. Sic de iisdem intemperantibus dicitur apud Isaiam: "Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis:"[5] qui locus intelligendus est de iis, qui sæpius in dies ad epulas redeunt; neque enim prandium vel cœna totum diem durant. Et in Proverbiis: "Quando evigilabo et rursum vina reperiam"? in persona intemperantis.[6] Jonathas quoque paternæ maledictioni obnoxius legitur, quia constitutum et commune edendi tempus in gustando melle anteverterit, ut observat Gregorius.[7] Atque hæc prior causa, cur intempestivus cibus lege vetetur.

Deinde vero etiam ratione decentiæ vetatur; quia decet religiosum hominem suis appetitionibus repugnare, non obsequi, ut supra significatum est, neque quoties objectum est aliquid suave gustatui, statim arripere, atque in ventre auferre, non expectatis vescendi legitimis intervallis. Quare Bonaventura, "Ultra duas," inquit, "vices in die puerorum seu pecudum more comedere, religionis temperantiam et decorem evidenter offendit: quæ rogo religio, quæ paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, volito pareas? saties appetitum, nec eum usque ad statam horam scias compes-

[1] Act. 2. [2] Act. 10. [3] Luc. 14. [4] Cap. 10.
[5] Is. 9. [6] Cap. 23. [7] In Moralibus, l. 30. c. 27.

cere?"[1] et: "Fructus vel aliud quodcumque extraordinarie, secularium more, comedere, patens est gulositatis indicium: siquidem extra duas vires in die, nisi necessitate cogente, in domum vel extra comedere, puerorum, imo pecudum est: senex legem in vicibus comedendo non servans, fertur per angelum asino comparatus." Recte; quia asinorum est, et hujusmodi animantium, quas natura abjecit ad pastum, in fœno ac paleis semper os habere demersum.[2] Et Clemens Alexandrinus simillimos facit pisci, quem græci dicunt ὄνον, id est, asinum, qui mentem in ventre infodit, crebris scilicet comessationibus; quoniam ex Aristotele hoc solum animal cor habet in ventre.

Olim sancti Patres ne pueris quidem dabant hanc veniam, ut extra suas horas aliquid degustarent; cujus rei exemplum peti potest ex vita Pachomii, cujus precibus ficulnea quædam, quam novitii quidam adolescentuli furtim conscenderant, postridie exaruit: legi.

Has autem comessationes et intempestiva jentacula commemerat Paulus ad Romanos,[4] inter opera tenebrarum. "Non in comessationibus," inquit, "et ebrietatibus; sed induimini Dominum Jesum Christum."

Ergo qui in cœnobiis Christo Domino serviunt, gulæ cupiditati et intempestivis escis nuntium remittant oportet, si se religiosos dici velint. Hac enim continentia præditos fuisse legimus veteres Ægypti monachos, qui nobis propositi esse debent ad imitandum. De quibus[5] ita loquitur Cassianus: "Antequam vel postquam legitimam communem refectionem (quisque) percipiat, summa cautione servatur, ne extra mensam quicquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat: ut incedentibus per hortos et pomaria, cum passim blandeque per arbores poma pendentia non solum objiciant se pectoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus offerant, atque ad colligendum parata, facile ad consensum

[1] In Speculo Dise. [2] P. 3. c. 4. [3] l. 2. c. 1. [4] Ro. 13.
[5] In Institutis Monachorum, l. 4. c. 18.

concupiscentiæ illicere valeant intuentes, et opportunitate vel copia, quamvis districtos atque abstinentissimos ad sui desiderium provocare: sacrilegium ducatur non modo quicquam ex his degustare, verum etiam manu contingere, absque eo quod palam cunctis in commune reficientibus exhibetur."

Et in Pachomii regulis hoc scriptum est:[1] "Si fratres invenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed inventa in transitu juxta radices arborum collocabunt: ipse quoque, qui cæteris colligentibus distribuit, gustare non poterit."

Admirabilis in hoc continentiæ genere fuit Jonas quidam, cujus in Pachomio fit mentio: qui, cum præesset domesticis hortis, sæpe hospitibus poma divideret, ipse nihil ex iis in omni vita gustavit, memor scilicet professionis suæ, memor religiosæ vitæ, quæ crucem non delicias, labores non voluptates amplectitur. Objicies: nonne interdum charitas, aut extraordinariæ famis necessitas suadet, ut extraordinaria quoque sumatur esca? Respondeo: de necessitate initio jam dictum est, præsertim cum casus infirmitatis inciderit, ut ait Augustinus.[2] Sed animadvertendum est, ut de potu dicebamus, sæpe necessitatis specie nos falli: quia, ut Gregorius[3] ait, voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Ideoque Climacus[4] gastrimargiam simulationem ventris appellat, quia cum satiatus fuerit, indigere se clamat; et cum distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. Ut monachus[5] quidam apud Dorotheum, qui vel post epulas communes, se semper fame cruciari dicebat; sæpeque quod clam comederet furabatur. Audiendus igitur Nilus[6] est, ita nos admonens: Noli corpus ob debilitatem querulum misereri, aut ciborum copia pingue facere. Et Bonaventura:[7] "Extra communem," inquit, "refectionem ad comedendum et bibendum vix eos in-

[1] Reg. 42. [2] Ser. 1. ad fratr. [3] In Moralibus, l. 30. c. 28. [4] Grad. 14. [5] Ser. 11. [6] Or. l. [7] In spec. disc. p. 2. p. l. c. 2.

flectat ipsa necessitas : sæpe quod necessitatis esse videtur, est vitii. Necessitati igitur non voluptati parendum : et vera necessitas agnoscenda, ne pro necessitate voluptas, habitu ementito, nos fallat."

Jam charitas ipsa cum cibum sumere extra tempus suadet, seu propter advenas et hospites fratres, seu alio hujusmodi nomine, negari non potest, quin id honeste fiat, et religiosos etiam mores deceat, habita tamen personarum ratione. Habemus enim exempla sanctorum, qui ad hospitum adventum sua jejunia solvebant, ut scribit Cassianus ;[1] quoniam probabilius censebant, non quid voluntas utilitasque nostra, seu desiderii ardor exposceret, attendendum, sed quod advenientis requies vel infirmitas exigeret, præponendum, et gratanter implendum. Quanquam id non tam juniorum quam seniorum fuit : ideo dixi, habita personarum ratione. Rogatusque senior quidam,[2] cur tam facile ad hospitum adventum jejunia apud ipsos solverentur, ita respondit : "Jejunium semper est mecum ; vos autem continuo dimissurus, mecum jugiter tenere non possum : et jejunum quidem, licet utile sit ac jugiter necessarium, tamen voluntarii muneris est oblatio : opus autem charitatis impleri, exigit præcepti necessitas. Itaque suscipiens in vobis Christum, reficere eum debeo : deducens autem vos, humanitatem ejus obtentu præbitam, districtiore jejunio in memetipso potero compensare." Propterea scribit idem Cassianus senem quemdam uno eodemque die sexies diversis advenientibus fratribus comedisse.[3] "Satis autem absurdum est," ut ait Abbas Moyses, "ut fratri, imo Christo mensam offerens, non cum eo cibum pariter sumas, aut ab ejus refectione te facias alienum."[4] Abbatem quoque Sylvanum in vitis Patrum[5] legimus, cum monachorum causa mox e monasterio egressurus, prius cibum una sumpsisset, posteaque comes, in itinere aqua adinventa, ad potandum invitaret, potare

[1] L. 9. Inst. c. 23. [2] L. 9. c. 24.
[3] Cap. 29. [4] Coll. 2. c. 26. [5] Par. 2. § 22.

noluisse, quod diem jejunii esse diceret; cum comes urgeret, et jam fractum jejunium revocaret in meutem, ita respondisse: "Esca illa, fili, charitatis esca fuit: nos autem nostrum teneamus jejunium."

Beatum etiam Franciscum accepimus intempesta nocte cum fratre quodam fame propemodum enecto sumpsisse cibum, ne is pudore aliquo perfunderetur: imo cum eodem cæteros etiam fratres comedere id temporis voluisse: senem præterea valetudinarium atque ægrum exhilarare cum vellet, ad hortos vineamque deduxisse, uvamque ad comedendum præbuisse, ex qua et ipse gustavit, charitatis scilicet et pacis gratia.[1] Sed hic quoque animadvertendum, ne charitatis nomine gula subrepat. Nam, ut ait Climacus,[2] ventri deditus monachus, mox ut advenit hospes, in charitate totus ex gulæ concupiscentia monetur, detrimentumque suum consolationem fratris existimat. Quoties igitur suaserit charitas cibum extra ordinem sumere, meminerimus tanta nos uti temperantia et parcitate debere, ut appareat non ad explendam famem, aut necessitatis impulsu, sed concordiæ et charitatis gratia nos ad escam accessisse. Hæc de extraordinario atque intempestivo cibo, seu domestico seu externo, quem prohiberi lege diximus: nunc de ordinario, hoc est de prandio vel cœna, quæ extra domum lex ipsa vetat, perpauca.

De non prandendo cœnandove foris Superioris injussu. Cavetur autem ne foris quisquam cœnet aut prandeat Superioris injussu; tum valetudinis causa tum disciplinæ. Valetudinis quidem, quia secularium præsertim mensæ ciborum varietate refertæ, cogunt sæpe vel temperantissimum fines egredi temperantiæ. Quanquam enim pudor interdum quidam frænum injicit aviditati, ne ventri dediti atque gulæ videamur externis; tamen, si eorum a nobis mensæ frequententur, et familiarius cum iis agere incipiamus, cessat pudor, et cibi avidior natura se prodit. Nec

[1] Chron. lib. 2. c. 30. [2] Gr. 14.

enim diu sustineri simulatio potest. Ita corpus in discrimen adducitur, tam multiplici epularum varietati minime assuetum; ut etiam postridie saepe ferenda sit cruditas et languor stomachi, saturitatis indicia.

Disciplinæ vero religiosæ causa; quia hæc exigit, ut nemo extra monasterium, quemadmodum ex Augustino dicebamus, sine præcepto manducet. Idque multis de causis, sed præcipue tribus. 1°. Quia abhorret a religiosorum institutis, qui ventris voluptatibus nuntium jam remiserunt, sectari divitum mensas: videntur autem ea, quæ destruxerunt reædificare quodammodo, ut dicit Apostolus, dum libenter conviviorum aut cœnarum externarum invitationem admittunt. Ideo Chrysostomum, virum religiosissimum, scribit Metaphrastes solitum vitare convivia et invitationes, ita ut cum nullo vesci induxerit animum, non sine malevolorum obtrectatione ac reprehensione multorum. Causamque addit præcipuam, quia non libenter, inquit, aspiciebat aliquod, quod esset gratum gutturi, et cum voluptate sumeretur. Nunquam enim ad delicias et relaxationes animi respexisse, ne honestas quidem, et Episcopis propemodum necessarias. Hieronymus quoque Paulinum monet, ut convivia velut quasdam catenas fugiat voluptatum.[1]

Indecorum præterea est, ubi cæteri fratres pauperi mensa utuntur, et communem servant reficiendi disciplinam, velle nos extra ordinem divitum epulis saginari. Pudebat Uriam ingredi domum suam, ut comederet et biberet, et dormiret cum uxore sua,[2] dum Israel et Juda in papilionibus habitabant; et non pudeat servum Dei, dum ceteri conservi ejus vulgaribus in cœnobio utuntur escis, delicatis ipsum apud externos epulis indulgere? Dicat ergo cum Uria, si forte rogetur a quopiam, et potestas foris prandendi facta sit; "per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc." Quid, quod? Ne boni quidem moris est, beneque instituti viri

[1] Ep. 13. ad Paulinum de Inst. mon. [2] 2. Reg. c. xi.

facilem invitantibus se præbere. Certe de B. Augustino memoriæ prodidit Possidonius[1] hujuscemodi illum invitationes solitum recusare; et de tribus rebus, quas ex Ambrosio didicisse se profitebatur, hanc scilicet fuisse unam, ut ad convivia invitatus non iret.

2°. Vitanda sunt etiam prandia secularia et externa, ne, ut Basilius ait, libertas nostra judicetur ab aliena conscientia.[2] Facile enim, dum non sentimus, a secularibus observamur; et sicubi nos a recto aberrare perspexerint, aut etiam existimarint, confestim quos antea admirabantur, et habebant in honore, contemnunt. Cum autem fieri non possit, ut semper recte incedamus, sive propter humanam imbecillitatem, sive propter communem humani generis hostem semper nobis insidiantem, sæpe nos curiosis hominibus vel non sentientes exponimus, attendimusque nobis ipsi pravas eorum detractiones et offendicula. "Nam si viderint religiosum talem," Basilius inquit, "qui corpori suo non omnino sit rigidus, sed aliqua ratione saltem ex parte defectum ejus, quo laborat, curet, convitiantur et obtrectant, voracemque et helluonem vocant. Et quod de uno convitiantur, et reliquis omnibus imputant." Verissimumque est, quod in antecedentibus supra dixerat, existimari a secularibus religiosum quasi incorporeum, et prorsus spiritalem, aut plane expertem esse cibi, aut eum qui quam minime uti debeat. Ex quibus efficitur, ut in extremo capite Sanctus innuit non facile oportere cum secularibus in mensa communicare, ne, ut dicebamus, libertas nostra ab aliena conscientia judicetur. Consimilia habet Bonaventura.

3°. Quia externa prandia sanctioribus occupationibus tempus capiunt. Parvi enim jam sunt, qui Xaverium nostrum imitentur, aut potius ducem et caput nostrum Christum, qui animarum causa, et seipsum interdum ad aliorum mensas invitabat, et invitatus sæpe solebat accedere. Sed pauci jam, ut dixi, reperiuntur hujusmodi, licet

[1] In vit. c. 27. [2] De vit. solit. c. 7.

utilitatem alienæ salutis prætexant. Auferunt igitur externa prandia multum nobis temporis, sive id, quod ante cibum teritur spectes, sive id quod secundum cibum relaxationis loco consumitur. Atque hanc etiam causam afferebat Chrysostomus, cur convivia tam studiose vitaret; ne orationem, Metaphrastes inquit, et meditationem, et rerum honestarum doctrinam, quibus adeo deditus erat, interrumperet; non enim illi tantum ab re sua erat otii, ut mensis et rebus hujusmodi supervacaneis vacare posset.

His igitur et similibus rationibus recte prohiberi videtur externum prandium, quod cum secularibus, inquam, initur. An autem ea prandia, quæ foris apud nostros ineuntur, regula complectatur, dubitare quispiam possit: sed cum lex ipsa sine exceptione loquatur, existimanda sunt prohiberi, licet allatæ rationes ad seculares potius mensas quam ad nostras spectent.

Satis jam de ordinata victus ratione, quæ in ordine temporis, et in cujusque potestate sita est. Restat, ut de ordinato victu, qui in ipsa refectione versatur, et ex unoquoque pendet, pauca dicamus.

Ad subditos igitur non spectat, aut ciborum genera sibi deligere, aut eadem studiosius, ut valetudini consulant apparare; cum et apposita dumtaxat et apparata degustent. Est autem ipsorum modo inter epulas sibi parcere, et temperantiæ meminisse, ne dum edendi modum excedunt, valetudini officiant. Quanquam enim ad mensuram, ut significatum est, ministrantur obsonia, ut immoderatio magna esse non possit, tamen quia in pane et vino, quæ sine mensura præbentur, transiri modus potest; et ex obsoniis quoque, quod alicui moderatum est, id alteri potest esse nimium (non enim omnibus pares sunt vires nec idem robur), idcirco moderationi ac temperantiæ suus semper est locus.

Temperantia igitur ad tuendam valetudinem pernecessaria est, et uniuscujusque propria; ne plus ciborum sumat, quam ferre vires queant, et quam concoqui innato

calore possit. Quod si intemperantia et voracitate, et hebetetur, et illæ obruantur, nulla sperari perpetuitas salutis potest. Ut recte Clemens putet voraces græco nomine dictos asotos, quasi ἀσώτους, scilicet alienos a salute, cui intemperatis escis pessime consulunt. Sed obest valetudini intemperantia tribus præcipue modis:

Primo: quia morbos gignit, et vitam minuit. Nam ex Ecclesiastico[1] supra diximus: "In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram:" aviditas scilicet, qua quis se nimium onerat et ingurgitat, hæc choleram generat, et morborum causas subministrat. Ex morbis vero sæpe mors oritur; ideoque Scriptura subjicit: "Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam." Verissimumque est, quod jactatur in vulgis, cruditate plures interire quam ferro. Neque solum morbos, sed etiam proclivitatem ad morbos saturitas gignit. Clemens in Pædag: "Victus qui inundat, et obruit sufficientiam, homini multum officit: animam quidem segnem et inertem reddit, corpus vero valetudinarium et ad morbos proclive."

Contra vero temperantia ac parcitas sanum corpus, et a morbis tuetur immune. Quod sic probat Hieronymus:[2] "Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo et castigato victu: quibus ergo cibis recipitur sanitas, his et conservari potest." Hoc est igitur primum intemperantiæ malum.

Secundum vero est, quod dolores frequenter inurit, et corpus torquet, ut in iis planum est, qui vel podagra vel calculo vel aliquo hujusmodi dolore vexantur. "Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum."[3] Crebro autem vehementiores capitis dolores creat; atque hinc crapulam dictam existimat Clemens, quasi κραιπάλην, quod caput vibret et exagitet.

Tertio, somnos aufert: "Somnus sanitatis in homine parco; dormiet usque mane, et anima ipsius cum ipso

[1] C. 37. [2] L. 2. contra Jovin. [3] Job 20.

delectabitur:"[1] scilicet cum se ad sua munera sentiet aptam atque expeditam. At contra de saturitate atque intemperantia dicit:[2] "Saturitas divitis non sinit eum dormire."

De his tribus malis, paucis verbis ita Ecclesiasticus:[3] "Vigilia, cholera, et tortura viro infrunito:" græce pro infrunito est ἀπλήστῳ, scilicet inexplebili, quique in victu sibi minime parcit. Vigiliam dixit, quia somno debito fraudatur: choleram, quia ex ea varii existunt morbi: torturam, quia vir infrunitus atque intemperans torminibus exagitatur, et doloribus cruciatur.

Cavenda igitur in reficiendo corpore cruditas et saturitas, si et his vacare incommodis volumus, et perpetuo sine offensione cursu valetudinem conservare. Cavebimus autem, si inducamus in animum nunquam explere aviditatem ventris, et insaniam gutturis, sed semper cum desiderio cibi de mensa discedamus, memores illius senis, quem ex Cassiano[4] dicebamus ita cibum sumpsisse sexies, ut semper servaret esuriem. Atque hæc erat veterum sententia Patrum, eum demum perfectæ virtutis in commune omnibus finem esse, ut escis, quas sumere sustentandi corporis necessitate compellimur, adhuc in appetitu earum positi temperemus. Præsertim vero, cum bis in die, ut apud nos fit, reficiuntur corpora.

Hæc est igitur moderata victus ratio, quæ in ipsa corporis refectione sita est, et ex unoquoque subditorum pendet. Ut jam ex iis, quæ disserenda juxta constitutionem ac regulam proposita sunt, amplius nihil supersit. Ac de iis quidem, quæ ad valetudinis conservationem pertinent, satis. Agendum deinceps de iis, quæ ad amissæ restitutionem spectant.

[1] Eccl. 31. [2] Eccl. 6. [3] C. 31. [4] Lib. 9. inst. c. 29.

DE INDICANDIS MORBIS ET NON ADHIBENDIS MEDICINIS, JUXTA REGULAM 17. EX CONSTITUTIONIBUS.

EGIMUS jam de iis, quæ ad tuendam valetudinem pertinent, easque potissimum regulas, quæ ad id spectant, singillatim explicavimus. Nunc de iis agendum est, quæ ad restituendam valetudinem amissam pertinent: et quæ de ea re perscriptæ sunt regulæ et constitutiones explicandæ.

Duo autem hoc loco consideranda videbantur: alterum quænam maxime ad recuperandam valetudinem faciant legum præscripta: alterum, quomodo ex iisdem legibus regulisque morbi vis et ægrotatio ferenda sit.

Ad recuperandam autem valetudinem tres dicebamus initio constititutiones ac regulas esse præscriptas: duas quidem ex parte subditorum, et eorum qui ægrotant; tertiam vero ex parte superiorum, et eorum qui præsunt ac ministrant ægrotis.

Prior igitur ex parte subditorum ea est, quæ inter communes xvii.[a] numeratur, et de hac nunc agemus: quæ sic habet: "Qui male se habere præter solitum senserit, id infirmario vel præfecto sanitatis aut superiori referat. Nemo vero medicinam ullam accipiat, aut medicum eligat vel consulat, nisi approbante Superiore." Sumpta est autem lex hæc ex iis quæ dicuntur in 3. p. Constit. c. 2. § 6. lit. G, ut inter explicandum indicabimus.

Tria autem regula præcipit: 1°, ut morbi aperiantur initia: 2°, ut nemo medicinam ullam accipiat Superioris injussu: 3°, ut nemo medicum vel eligat vel consulat nisi eodem Superiore approbante.

§ 1.—DE MORBORUM APERIENDIS INITIIS.

Duo ex Regula observanda sunt: alterum, quando morbus seu invaletudo aperienda; alterum, quibus aperienda. Est autem aperienda invaletudo, cum extraordinaria atque insolens fuerit; eademque subito et quamprimum aperienda. Extraordinaria, inquam, invaletudo aperienda est, et cum præter solitum, ut ait Regula, male se habere quispiam perspexerit, non cum ordinaria et crebra solet esse valetudinis tentatio: id enim molestissimum esset, et ei qui se defert, et iis quibus morbus ipse defertur. Propterea hoc etiam in Constitutionibus[1] cavetur, cum aliquem jubent esse domi, cui debeant omnes, si male se habere extraordinario senserint, id referre: is est autem præfectus infirmorum.

Tria porro solent esse genera, ut Bonaventura[2] adnotat, infirmorum. Quidam enim nullo certo morbo atque ægrotatione laborant, sed tamen corpore et viribus sunt admodum imbecilles, sive ætate ingravescente, sive naturæ constitutione, sive etiam perpessione laborum. Alii vero ita laborant, ut tamen per domicilium aut etiam foras ingredi sæpe valeant, licet crebris iisdemque gravibus morborum doloribus crucientur, ut qui calculo aut fistulis et id genus aliis laborant morbis. Tertii sunt, qui præter eorum consuetudinem morbo correpti, jacere coguntur in lectulis, ut qui ex febri acutisque item, sed assiduis morbis decumbunt.

Jam ex his tribus generibus tertium potissimum constitutio complectitur; cum in id morbi genus incidimus, ut collocandi in lectulo videamur; et tum indicare morbos nostros debemus: licet et de 2° genere, cum solito vehementius ordinarii morbi nos urant, Regula ipsa intelligenda sit. Cæterum, his exceptis temporibus, non

[1] P. 3. c. 2. § 6. [2] De sex alis Tract. c. 4.

necesse habemus semper superioribus nostris aut ægrotorum præfecto exhibere molestiam.

Quamprimum autem diximus aperiendum esse morbum, licet id regula non exprimat, sed tamen intelligat; tribus de causis. Primum, propter eos ipsos, qui ægrotare cœperint, ne solitis religionis oneribus deteriores fiant: his enim opus est, ut ait Bonaventura,[1] exemptione laboris in officiis et muneribus; quæ, si inter initia morbi continuentur, amplificatur morbus, morbique periculum. Deinde, propter medicos, ut mature occurrant initiis, perspectamque habeant totius morbi periodum atque cursum, prænotatis diligenter initiis: notant enim diem et horam, quibus morbus accesserit, quo sit curatio facilior. Postremo, propter communitatem et propter corpus ipsum congregationis, quæ sæpe incommoda non exigua ex alicujus ægrotatione perpetitur: ut cum magister vel concionator, vel rei familiaris administer et id genus hominum, cujus congregationi utilis ac necessaria opera esse solet, ægrotat.

His igitur de causis quamprimum indicandi sunt morbi. Sed interdum aliqui eos confestim non indicant, vel quia eos non norunt, nec intelligunt se male habere: et contra hanc suæ valetudinis ignorantiam dicit regula, "cum præter solitum male se habere senserint." Satis enim nobis debet esse suspecta valetudo nostra, cum præter solitum male nos habere animadvertimus; et tum admonendi sunt ægrotorum præfecti. Vel 2° quia pudor quidam subrusticus impedit, quominus morbi superioribus patefiant. Et ad tollendum hunc pudorem jubet regula non superiori præcise, sed aut huic aut ægrotorum præfecto, aut etiam infirmario morbos ipsos aperiri: ut qui ad superiorem veretur accedere, infirmario se credere atque aperire non dubitet. Ideoque et in constitutionibus dicitur: "simul atque infirmario indicata fuerit ægritudo."[2] Vel 3°. quia confidunt silentio sibi ipsis mederi posse,

[1] Sup. de sex alis. [2] P. iii. c. 2. l. G.

clandestino videlicet aliquo pharmaco ac remedio. Et contra hoc regula vetat medicinam aliquam adhiberi sine Superioris consensu atque approbatione. Quæ quidem altera est Regulæ pars jam ex ordine explicanda.

§ 2.—DE MEDICINA NON ACCIPIENDA SUPERIORIS INJUSSU.

Altera igitur pars Regulæ vetat quemquam adhibere medicinam ullam sine Superioris approbatione atque consensu: idque jure sane tribus de causis. 1°. Quia subditus non est suus nec sui juris; ideoque nullam in suum corpus potestatem habet, nec ejus curatio ad ipsum pertinet, sed ad eum, cui propter Deum paret, et cui sui regendi potestatem fecit; præsertim in ea re, unde periclitari valetudo ejus potest, ut mox dicemus. Idcirco Constitutiones cum jubent tam in victus ratione, quam in medicinis, quod medicus præscripserit, exequendum, statim ita subjiciunt: "nec infirmus in his quicquam curet."

2°. Propter periculum valetudinis, in quod conjici potest is, qui suo arbitratu, non admonito antea medico ac Superiore, medicinam accipit: falli enim facile in ea re potest, etiamsi medicæ artis non esset ignarus. Multo autem magis, si ejus scientiæ rudis sit; quia vel in genere medicinæ, vel in modo atque mensura, vel in cæteris circumstantiis rite servandis perfacilis error est. Unde enim noris tibi etiamnum profuturum quod alias profuit, mutatis temporibus, ac conditione naturæ? Quem teneas modum pharmaci necessarium, justamque mensuram, quæ si superet vel diminuta sit, in magnum sæpe discrimen salus adducitur? Scimus autem non multis annis ante quosdam cum antimoniam insciis medicis, suisque moderatoribus suscepissent, valde periclitatos, vel quia medicinæ genus non satis esset morbi generi consentaneum, vel quod ejus præbendæ ratio atque mensura non teneretur.

3°. Quia adhibendis crebris medicinis et pharmacis nimia corporis solicitudo notatur. Legimus autem de iis præcipue, qui, cum gravior non urget necessitas, ad eas capiendas propensiores esse solent: qui quidem, dum nimium prodesse valetudini volunt, potius obsunt. Conturbatur enim corpus atque convellitur medicatis purgationibus ventris, ut ait Plutarchus. Alvi autem conturbationes, ubi medicamentis corrumpuntur atque liquantur certi humores, plus addunt superflui, quam adimunt. "Et sicut Græcus gravissime erraret, qui Græcæ in urbe turbæ multitudinem moleste ferens, Arabibus et Scythis convenis urbem impleret: ita nonnulli longissime a recta ratione absunt," Plutarchus inquit, "qui ejiciendorum e corpore redundantium humorum causa qui familiares corpori sunt et consueti, in corpus injiciunt coccos gnidios, cardamomum, aliaque medicamenta a temperie corporis aliena."[1] Ideo sapiens Philosophus censet sine magna necessitate medicamenta usurpari non oportere; sed moderata et temperata victus ratione corpus ita comparare, ut ultro sit ad evacuationes recte compositum. Et quidem ipsos videmus medicos, qui tam liberales sunt in præscribendis unicuique medicinis, sibi ipsi filiisque ac domesticis valde parcere, nec nisi ultima necessitate coactos eas accipere. Jure igitur vetat Regula quemquam adhibere medicinam Superioris injussu, ut facilitatem retardet aliquorum, qui nimium de corporis salute soliciti, medicinas frequenter exposcunt. Quod si omnibus id consilii a sapientibus datur, ut quam rarissime, nec nisi urgente necessitate medicinas attingant, multo magis hoc consilium ad religiosos spectat, qui cum profiteantur se commodorum ac deliciarum inimicos, amicos autem crucis vitæque asperæ, turpe sit, si delicatorum sæcularium more quotannis velint tuendæ valetudinis causa purgationes corporum adhibere; et qui spes suas omnes locare et figere in Deo debent, promptiores repe-

[1] De tuenda valetud.

riantur in morbis suis ad humana quam ad divina quærenda præsidia, contra id quod viri sancti præcipiunt.

Nam, ut in hoc paulum insistam, Nilus in Parænesi, "In morbis," inquit, "oratione, prius quam medicis et pharmacis utere." Et Bernardus,[1] "Minime," inquit, "competit religioni vestræ medicinas quærere corporales; sed nec expedit saluti." Et mox: "Species emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens est, et contrarium puritati." Intelligendus tamen Bernardus est de iis, qui sui corpusculi nimium amantes, medicinas potius corporales, quam spirituales quærunt; non quod necessarias medicinas corporis, quas, sacra Scriptura teste, creavit Altissimus, vetare velit. Et S. Ephrem,[2] "Sic," inquit, "alienus a cura, in curandis mundi malis, medicorumque industria adhibenda esse debes, ut qui ad Christum perfugeris, qui cuncta se daturum hominibus promisit." Propterea S. Agatha plena in Deum fide, "Medicinam," inquit, "carnalem corpori meo nunquam adhibui, sed habeo Dominum Jesum, qui solo sermone restaurat universa." Et hoc est, quod nos etiam admonet Spiritus Sanctus in Ecclesiastico: "Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te."[3] Et vere facit injuriam Domino suo, cui se dedit religiosus, si, cum ejus tentatur valetudo, plus medicis ac medicinis, quam divinæ virtuti confidat, et prius de humanis quam de divinis remediis solicitus sit. Ut jure illud etiam audiat per os Jeremiæ:[4] "Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?" Meminisse autem debemus Asam regem Israel graviter fuisse reprehensum, quod magis medicis quam Deo confisus sit. "Nec in infirmitate sua," inquit, "quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est."[5] Ut discamus in morbis nostris prius ad orationem quam ad pharmaca et medicamenta confugere; cum religiosorum hominum

[1] Ad fratres trium fontium, seu de S. Anastasio ep. 321. [2] Serm. de fide. [3] C. 38 et. c. 2. [4] Jer. 8. [5] 2. Paral. 16.

sit, ut dixi, opes suas omnes in Deo locare potius, quam in humanis artibus ac remediis.

Recte igitur jubet regula neminem inconsulto Superiore medicinam ullam capere, tum propter eas, quas supra dixi, rationes, tum ut admoneat non debere nimium nos esse solicitos de salute corporis, cum quid in eo experimur adversi. Cum autem medicinæ adhibendæ necessitas incidit, tum cavendum est, ne sæcularium more, immo vero principum aut magnatorum ea medicamenta, quæ nimis pretiosa aut delicata sunt, perquiramus ; in quo nonnulli suæ professionis immemores peccare solent. Decet autem nos ubique, quod profitemur, ostendere, ac præ nobis ferre ut in rebus omnibus atque temporibus religiosa simplicitas et paupertas eluceat.

§ 3.—DE MEDICO NEC ELIGENDO NEC CONSULENDO, NISI APPROBANTE SUPERIORE.

Tertia pars, cur medicus nec eligendus nec consulendus sit inscio Superiore, ex iis fere, quæ diximus, confirmari potest. Quia, cum sui juris potestatisque religiosus non sit, non debet arbitratu suo medicum sibi deligere vel consulere: tum etiam ut admoneatur ponendam esse curam solicitudinemque sui corporis, quæ ad eos, qui præsunt, spectat; collocandamque diximus spem bonæ valetudinis in Deo potius, quam in medicorum industria. Addi etiam tertia causa potest: quia satis debet esse communis medicus collegii vel domus, cui certa stipendia persolvuntur. Ut autem in religione omnia communia sunt, sic et medicus. Ideoque unum tantum fere medicum Constitutiones jubent esse vocandum: si tamen in casibus quibusdam Superiori aliud non videretur.[1]

Casus autem triplex excogitari potest; vel cum quis recens ad religionem accessit, qui medicum habebat in sæculo suæ naturæ ac consuetudinis gnarum. Hic enim si in morbum graviorem incidat, postuletque a Superiore

[1] P. 3. c. 2. § 6. l. G.

ut pristinus medicus advocetur, possit forsitan ei concedi; quia antiquus et usitatus medicus melius forte noverit, quemadmodum curandus sit æger, quam domesticus noster. Alter casus potest incidere, cum morbi gravitas tanta est, ut non unius medici judicio standum videatur, sed plures sint advocandi, quorum consilio ordinarius ac domesticus medicus adjuvetur; id quod in morborum periculis fere fit. Tertius potest esse, cum ordinarius medicus parum experiens deprehenditur, ejus curatio non satis probatur, nec tamen continuo justis de causis dimittendus videtur: tum jure posset, in morbis præsertim alicujus momenti, peritior medicus advocari. His exceptis temporibus nulla causa est, cur ægrotorum arbitratu extraordinarius medicus advocetur. Adde etiam, quod id sine domestici offensione medici fere non fit; tum quod is contemni se quodammodo putet, tum quod ejus curandi ratio plerumque immutatur a novo, dissimilisque est utriusque curatio. Ex qua dissimilitudine ac varietate sæpe deterior efficitur æger, et gravius periclitatur, quam si ab uno tantum eoque usitato medico curaretur; atque hinc plurimi perierunt. Mitto novas expensas, quæ cum in novum et extraordinarium medicum, qui suam quoque mercedem exigit, tum in ejus medicamenta fieri debent. Quæ quidem ut in vera necessitate honestæ et ferendæ, ita cum vera necessitas abest, alienæ ab institutis nostris, et religiosa paupertate censendæ sunt.

Cur autem ne consulendi quidem medici potestatem regula faciat, præcipua causa potest esse, quia sæpe quædam ab eo præscribuntur, quæ cum fieri aut non possint aut non deceat, moleste ferat necesse est qui eum consuluit. Deinde, ne quis valetudinis nomine medici consilio abuti possit ad ea forsitan quæ expetit, impetranda, ut loci mutationem, laboris etiam aut occupationis allevamentum, relaxationem in aliquo secessu, balneorum usum, et id genus alia. Quæ mox medici non sua sponte, sed quia a subditis sunt præmoniti, moderatoribus sæpe

suggerunt tanquam sua; coguntque eos, aut quæ minime vellent subditis suis de medicorum sententia concedere, ne eos tristitia afficiant, aut mœrore afficere nisi concedant. Non enim omnia omnibus sunt concedenda, quamvis videatur nonnulla esse necessitas; quia Præpositis subditorum salus spiritualis antiquior debet esse, quam corporis. Ut significat Basilius in regulis brevioribus;[1] ubi disertis verbis præcipit esse curandum, ne dum subditorum corpori mederi volumus, anima negligatur: satiusque esse eum, qui suam ipsius animam negligere deprehendatur, in doloribus corporis relinquere, quam ei curationem adhibere. Idemque in Instit. Monach. c. 3. cum de ægrotis loquitur, sic ait: "Oportet eos, qui præsunt, curam gerere, ne iis, quibus ministratur, tales sint, qui carni indulgeant et ventri." Et B. Augustinus, cum de lavacro concedendo infirmis loquitur, tempore necessitatis ait esse concedendum: "si autem ipse velit infirmus, et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur."[2] Bernardus etiam ad Fratres de S. Anastasio:[3] "Compatior utique et multum compatior infirmitati corporum: sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum." Verum ad hujus legis observantiam nihil æque valet, ut abjicere nimiam sui corporis curam, ut jam diximus; virosque sanctos imitari, qui suis contemptis corporibus de eorum curatione etiam tum cum ægrotant, non magnopere laborant, sed spes suas malunt in Domini virtute, quam in medicorum arte reponere; ita ut quidam etiam existimarint se contra veram religionem contraque fidem facere si medicos adhiberent. Certe B. Macarius ita scribit (hom. 48): "Ad demulcendum sanandumque corpus hominibus hujus mundi Deus cunctisque extraneis contulit pharmaca et herbarum medicinas, quibus etiam uti permisit eos qui nondum in omnibus Deo seipsos credere possunt." Quibus verbis significat S. Pater medicinas corporales non tam

[1] Reg. 140. [2] In Reg. 140. [3] Ep. 321. to. 2. p. 120.

propter eos, qui perfectæ pietati student, Deoque se totos credunt, quam propter homines sæculares, et qui nondum in fide perfecti sunt, a Deo concessas: tametsi vere iis uti licet vel cum lucro et merito, ut supra significavimus. Sed huc etiam, opinor, respexit Ambrosius, cum in Ps. 118 ita dicit:[1] "Qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat, nimirum quia contraria," inquit, "divinæ cognitioni, præcepta sunt medicinæ; quæ a jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt." Non quod revera prohibere medicinas intelligat. Ideoque viri interdum sancti, cum ægrotant, adhibendos medicos omnino non censent, ut Barnabas Anachoreta,[2] qui festucam pedi infixam ne videri quidem a medico passus est. Id quod B. etiam Bernardo usitatum fuisse ex ejus vita potest intelligi;[3] quem ait Gulielmus Abbas imbecillem et languidum, circa seipsum fuisse negligentem, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper et vigiliis sine intermissione atterendo. Ut mirum nemini videri debeat, si fratres de S. Anastasio corporales vetet quærere medicinas, ut supra diximus.

Beatus quoque Basilius[4] quærit an ex veræ pietatis proposito sit uti medicina; et ita demum respondet, ut intelligatur datam quidem a Deo esse hominibus medicinam, ut dicitur Eccl. 38, sed tamen propriæ salutis spem in manus ponere medicorum absurdum esse et a ratione alienum.

Et S. Diadochus[5] dicit licere iis, qui in cœnobiis et civitatibus continentiæ propositum excolunt, cum ægrotant, medicos advocare, modo in iis spem sanationis non collocent. Duabus autem de causis medicos iis concedit: altera, quia non potest fieri, ut semper fiduciam habeant impetrandi custodiendis Dei mandatis jam partam: altera, ne in cupiditatem inanis gloriæ et in tentationem diaboli

[1] C. contraria de confess. d. 9. [2] In Prat. Spir. c. 10. [3] In vit. l. i. c. 8.
[4] In ascet. p. 99. [5] C. 93.

incidant. At vero, "Siquis," inquit, "vitam ab oculis hominum remotam inter duos aut tres unius moris fratres degat, quibuscumque ille morbis conflictetur, applicet se in fide ad Dominum, qui sanat omnem morbum et omnem languorem." Nam ipsa solitudo satis tum consolationis affert, cum hominem eo magis, ut Deo confidat, impellat, quominus auxilium medicæ artis expectat. Quare si plus fidei ac spei ponamus in Deo, quam in medicis vel medicinis, non tam amici medicinarum erimus, nec tam crebro confugiemus ad medicos; præsertim si ab hujus etiam corporis indulgentia discedamus. Hinc enim medicinarum videlicet tantus amor, hinc curandi levissimi cujusque morbi tam ardens studium. Sed de priore illa regula, quam propter subditos, et eos, qui ægrotant, diximus esse perscriptam, satis. Sequitur jam posterior, quæ est inter Summarii regulas 49.

DE OBEDIENTIA MEDICIS SPIRITUALIBUS ET CORPORALIBUS EXHIBENDA JUXTA CONSTIT. 49. SUMMARII.

"ÆGRITUDINIS tempore non solum observare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga superiores spirituales,[1] ut ipsius animam regant: sed cum eadem humilitate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus ejus regant."[2]

Duo hac Constitutione præcipiuntur: primum, ut in morbis exhibeatur superioribus spiritualibus obedientia, qui animam regunt: deinde, ut exhibeatur etiam medicis et infirmariis, qui corpus regunt.

Priorem obedientiam ipso loquendi modo S. Ignatius nobis ita commendat, ut eam supponere quodammodo videatur, tanquam non necessario revocandam in mentem

[1] In exam. c. 4. § 32. [2] 3. p. c. 2. § 6. l. G.

religiosis, qui sua sponte ad spirituales medicinas paratissimi esse debent. Dicit enim, "non solum observare obedientiam debet erga superiores spirituales, sed etiam erga medicos corporales." Potuit autem alio uti loquendi modo magis recto; ut si diceret, ægritudinis tempore unusquisque obedientiam servare debet erga superiores spirituales, et cum eadem humilitate erga medicos corporales. Sed maluit videlicet eo uti loquendi modo, ut significaret nostris quidem, qui sua sponte ad orationem et divina adhibenda præsidia debent esse propensi, non esse admodum necessarium id moniti, cum ægrotant. Et hac etiam de causa priore loco præcipit de obedientia quæ medicis spiritualibus, posteriore vero de ea, quæ corporalibus medicis est adhibenda: quia in morbis nostris, ut supra diximus, prius invocandus est Deus quam medicus, et potius ab illo quam ab hoc corporis speranda salus. Quem ordinem servat etiam Ecclesiasticus, ubi prius monet Deum orandum et spirituales medicos adhibendos, deinde medico se credendum. Sic enim ait:[1] "Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem." Quibus verbis de medicina spirituali præcipit. De corporali autem cum dicit: "Et da locum medico; etenim illum Dominus creavit, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria." Quæ verba mox explicabimus. Eundem quoque ordinem sequutus videtur Jacobus Apostolus: "Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ." Neque enim prohibet Apostolus corporales medicos adhibendos, sed monet prius spirituales inducendos.

Explicemus igitur utramque Constitutionis partem. Et quoad priorem videamus, quibus in rebus et quomodo obediendum sit patribus spiritualibus. Obediendum est

[1] C. 38.

autem eis, tum in iis quæ imperant animo salutaria, tum in iis quæ vetant; et in utrisque omni cum puritate. Imperant enim ea, quæ ad animæ salutem spectant; ut sacramentorum susceptionem, sive confessionis, sive Eucharistiæ, sive Extremæ Unctionis, quibus æger in tuto collocat animam suam, seseque vel ad mortem comparat tuto subeundam, vel ad sanitatem facilius recuperandam; sublatis scilicet morborum causis, quæ sæpe sunt ipsa peccata, ut satis indicat illud Ecclesiastici in hoc ipso capite:[1] "Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manum medici." Et idcirco, cum hæc imperant Superiores spirituales, magna eis cum puritate parendum est: quandoquidem illi, ut in examine subjicit P. Ignatius, "plenam animi nostri sanitatem spiritualem omnino curant."

Hoc autem præcipue tempore obedientiam N. P. a nobis purissimam exigit, partim propter animæ partim etiam propter corporis discrimen. Puram vero intelligit perfectam ac exactam, cui nihil sit propriæ voluntatis admixtum; id enim purum dicitur, cui ex alieno nihil est admixtum, ut purum argentum, cui nihil æris admixtum sit. Quicquid autem tale est, perfectum est: idcirco obedientia pura intelligitur usquequaque perfecta. Et hanc, inquam, hoc potissimum ægritudinis tempore N. P. exigit propter imminens animæ corporisque periculum, si ægrotatio ipsa sit gravior. Animæ quidem periculum, quia si suscipiendorum sacramentorum æger admonitus non statim obtemperet, sed moram postulet, dum vis morbi remittat, et suam interponat quodammodo voluntatem, in magnum se periculum conjicit perdendæ animæ in perpetuum. Agitur enim de æternitate; ideoque nullo modo audiendus est: cum omnis interposita mora possit eum suscipiendis sacramentis ineptum atque inhabilem reddere. Id quod sollicite animadverti a superiore Constitutiones[2] volunt propter graves impugnationes dæmonis, a quo summopere

[1] C. 38. [2] P. 6. c. 4. § 1.

refert non superari. Immo hac de causa decrevit Innocentius III. ne medici in curandis corporibus prius medicinas et curationes admoveant, quam confessionis sacramento curata sit anima. Quod Decretum consuetudine ipsa et vetustate jam antiquatum, ut longo intervallo revocaretur curavit N. P. Ignatius, ut in ejus vita scribitur, et Pius V. severioribus etiam legibus in perpetuum sanxit.

Propter periculum autem corporis eadem exigitur obedientia; quia cum peccata, ut diximus, sunt causæ sæpe morborum, tollendæ sunt ipsæ causæ, placando divino numine, aut oratione aut expiatione noxarum, si morbis volumus liberari. Et hoc est, quod dicit Ecclesiasticus: "Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et te curabit:" ipse, inquam, qui morbi flagello percussit, et vere solus sanitatem confert, ipse te curabit. Ubi quinque omnino ægrotis facienda suadet. Primum quidem orandum Deum, a quo est omnis medela, ut hic dicitur. Et quoniam flagelli causa, ut dictum est, delictum sæpe aliquod est, statim secundum subjicit, scilicet contritionem, cum dicit: "Averte a delicto," hoc est, delinquendi voluntatem abjice ac detestare. Deinde, peculiare propositum corrigendi mores atque actiones, cum dicit: "et dirige manus;" hoc est, proponendo rectam operationem in posterum: per manus enim in sacris litteris sæpe opera ipsa manuum et actiones hominum intelliguntur. Quarto: universorum peccatorum expiationem, tanquam generalem quandam confessionem, cum ait: "et ab omni delicto munda cor tuum;" scilicet per orationem, contritionem, et pœnitentiam, quæ jam descripsit; id quod nunc, in nova lege, confessionis sacramento perficimus. Nam quia nescimus, quonam maximo delicto urgeamur, cujus causa morbus videatur immissus, hortatur nos, ut totum pectus nostrum, totosque animi recessus perscrutemur, et cor nostrum ab omni delicto mundemus. Ideoque optimum consilium in morbis præ-

sertim gravioribus est, confessionem peccatorum accuratiorem instituere, et totius anteactæ vitæ peccata repetere; quod prudenter et pie in extremo vitæ cursu viri sancti facere solent, ut S. Thomas de Aquino et alii. Saltem diligentius et accuratius quotidiana sunt confitenda peccata, cum iram Domini et flagella portamus. Quinto: quoniam non debemus privatis tantum precibus actionibusque confidere, monet, ut sacerdotum etiam preces et oblationes ambiamus, cum addit: "Da suavitatem et memoriam similaginis, et impingua oblationem;" idest, da suavem odorem sacrificii, scilicet monumentum similaginis, quæ erat ea similæ pars, quæ cum thure et oleo imposita altari cremabatur in memoriam muneris Deo oblati, ut dicitur Levit. 2. "Et impingua oblationem;" idest, effice, ut tua oblatio pinguis et grata sit apud Deum; et, ut dicit David,[1] "holocaustum tuum pingue fiat." Quæ quidem omnia in lege nova jam fiunt longe perfectius, in qua sacrificium Deo offertur sub specie panis, in odorem suavitatis, quod est ejus sacrificii monumentum, quod in cruce aliquando peractum est, et simul Christi corporis oblationem complectitur charitate præpinguem.

Admonemur igitur et nos Christiani nostris in morbis implorandas nobis esse sacerdotum preces, et missarum sacrificia, post expiata confessione peccata. Jure autem antecedit peccatorum expiatio, ut aliorum nobis preces et oblationes magis prodesse queant. Cum autem in omni morborum eventu implorandæ sunt fratrum ac patrum apud Deum suffragationes, cum præcipue appropinquante morte, tum de salute corporis actum est. Ideo N. P. in sexta Constitutionum parte præcipit, ut qui gravius laborat, et cum periculo mortis, is omnium domesticorum orationibus valde peculiarius adjuvetur.[2] Quare in his spiritualibus præsidiis, quibus salus continetur ægroti, non modo quoad animam, verum etiam

[1] Ps. 18. [2] P. 6. c. 4. § 2.

quoad corpus, cum a spiritualibus superioribus imperantur, magna eis cum puritate parendum est.

Eadem obedientiæ perfectione obtemperandum est in iis, quæ vetant. Vetant autem sæpe nonnulla, quæ ad animam illa quidem pertinent, sed propter valetudinem et ipsius corporis salutem; ut statas orationes ac precationes, quæ ex præcepto Regulæ, vel Ecclesiæ adhiberi solent, horas nempe canonicas, vel missæ sacrificium festis sacrisque diebus; aut devotiones singulares, quibus uti sanus solebat ægrotus; aut denique alia id genus, quæ si æque in adversa ac prospera valetudine quis usurpet, novam proculdubio materiam morbo præbeat. Et de his etiam intelligi possunt verba illa, quæ supra diximus, N. P.: "Quandoquidem illi plenam ipsius sanitatem spiritualem omnino curant." Quod est: non est quod ægrotus dubitet in his ipsis rebus, quæ vetantur, magna cum puritate parere, quandoquidem illi ipsi, qui plenam sanitatem etiam spiritualem curant, ita decernunt.

Sed hoc loco prætereundum silentio non est, duo esse hominum genera dissimillima inter se, quorum alteri, cum ægrotant, non expectant dum orationum aut jejuniorum aut aliis ejusmodi vel Ecclesiæ vel religionis oneribus liberentur; sed ultro liberationem ipsi postulant atque efflagitant, etiam leviter laborantes: qua in re teporem suum, et devotionis declarant inopiam; cum contra a suis præpositis flagitare æquum esset, ut sibi liceret usitatas precationes persequi potius quam intermittere, si vere copia spiritus abundarent. Non enim ignoramus qualis semper fuerit vel in gravissimis morbis consuetudo sanctorum. Atque ut nihil de B. Martino aut Augustino dicamus, quorum ille, etiam tum cum animam agebat, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, hic autem antequam spiritum extremum ederet, psalmos David qui ad pœnitentiam spectant in conspectu positos profusis lacrymis lectitabat: ut nihil, inquam, de

his aliisque dicamus antiquis. Osius Cardinalis,[1] vir in primis pius, qui paucis annis ante diem suum obiit, nunquam horas canonicas in gravissima corporis afflictatione maximaque virium infirmitate legitur omisisse; quas quidem ad extremum usque spiritum suis temporibus recitavit. Cumque ad horam orationis nonam pervenisset, eam dixit fore sibi postremam ac novissimam; quod et evenit: inter nonam enim et vesperas expiravit. Singulare profecto pietatis exemplum nobis propositum ad imitandum; et iis maxime, qui levissimo quoque morbo horarias preces aut usitatas suas devotiones omittunt, debitisque se Ecclesiæ oneribus liberari contendunt.

Alteri vero, quoniam in spiritu et virtute proficiunt, nimium se difficiles præbent, cum quid jubentur in morbis omittere, quod Ecclesiæ forte lex præcipit: itaque ægre adduci possunt, ut orandi officium, quod spiritualibus Superioribus interdicitur, vel ad horam aliquam intermittant. Sed hi quoque vitio non carent, dum suum judicium voluntatemque interponunt, nec ea, quam Constitutio exigit, puritate suis Superioribus parent. At Ecclesiæ pertimescunt imperium, nec vires ita sentiunt infirmas, ut satisfacere præcepto non valeant; antiquiora autem putant sibi esse oportere Ecclesiæ quam præpositorum medicorumque præcepta: hinc enim in illis oritur omnis parendi cunctatio, omnisque hæsitatio obedientiæ. Verum meminisse isti debent nullam esse violationem præcepti, ubi est necessitas morbi; præceptum autem ad eos pertinere dumtaxat, qui recte valent: et quamvis satis virium sibi videatur æger habere, ut explere commode præceptum possit, tamen dum illud explet, sæpe morbi vis augetur, et diminutio fit aliqua virium; ideoque non suo sed Superioris medicique judicio id temporis stare debet, nihil hæsitans, nihil ambigens, nihil pertimescens, præsertim cum suus ipse non sit, sed in ejus sit potestate, qui pro eo redditurus est rationem, quique etiam

[1] Olescius in vita.

ab Apostolica Sede facultatem habet eum, cum opus fuerit, Ecclesiæ legibus præceptisque laxandi. Quocirca nihil est, quod Divinæ Majestati vereatur offensam, dum in iis, quæ vetantur, obedit: immo existimare æquum est novo se obedientiæ merito auctum iri, si a Superioribus spiritualibus animam suam regi sinat, ut Constitutio jubet, et in re tam ardua, sibique perdifficili, magna tamen cum puritate pareat.

DE OBEDIENTIA MEDICIS CORPORALIBUS ATQUE INFIRMARIIS PRÆSTANDA.

Diximus de priore obedientia, quam Superioribus spiritualibus exhibere debent ægroti; sequitur ut de posteriore, quam medicis corporalibus atque infirmariis præstare debent, pauca dicamus. Eodem scilicet quo Ecclesiasticus ordine, qui cum monuisset in morbis ante omnia orandum esse Deum, et ab omni delicto cor mundandum, sacerdotumque preces et sacrificia postulanda, de medico mox subjecit: "Et da locum medico, etenim illum Dominus creavit; et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria." Dare autem locum medico nihil est aliud nisi eum admittere et audire, eique præscribenti, quæ ad curandum corpus pertinent, obedire. Causam autem cur cedendum et parendum medico sit, geminam subjicit; et quia "Dominus creavit illum" in usum hominum, et "quia opera ejus sunt necessaria." Oportet igitur ei cum omni humilitate parere, quandoquidem a Deo datus est, et instrumentum est Ejus, quo ad recuperandam sanitatem uti nos vult. Quamvis enim primam et præcipuam spem in præsidiis nos deceat collocare cœlestibus, vult tamen Deus hac humilitate nos uti, ut medicorum etiam, quos hac de causa creavit, operam adhibeamus, eisque necessario pareamus, tanquam non consequuturi, nec facile recu-

peraturi valetudinem, si his naturalibus uti præsidiis quodammodo dedignemur.

Sed explicemus hujus etiam posterioris partis verba, et videamus, in quibus tandem rebus exhibenda sit medicis corporalibus et infirmariis obedientia. Sunt autem hæc Constitutionis verba: "Sed cum eadem humilitate erga medicos corporales et infirmarios, ut corpus ejus regant." "Cum eadem," inquit, "humilitate." In priore Constitutionis parte non meminit P. Ignatius humilitatis, sed tantum dixit, magna cum puritate obedientiam erga superiores spirituales esse servandam. Verum, cum dicat eadem, significat proculdubio idem hoc esse loco, humiliter obedire, atque pure et perfecte obedire. Obedientia enim, quo humilior fuerit, eo est censenda perfectior. Nam, ut ait Dorotheus, obedientia humilitatem conjugatam sibi deposcit; imo tota in humilitatis exercitatione sita est, nec ulla ejus est actio, quam non comitetur humilitas. Recte igitur P. Ignatius "cum eadem," inquit, "humilitate;" quod ante dixerat, "magna cum puritate."

Maluit tamen humilitatis uti vocabulo, quia inferioris videntur ordinis ii, quibus præcipit obtemperandum: sunt enim medici corporales et infirmarii, non superiores spirituales; et posset aliquis existimare non æque medicis sæcularibus fratribusque infirmariis obtemperandum atque superioribus spiritualibus. Ideoque humilitatis usus est voce, et eandem addit esse debere humilitatem in exhibenda utrisque obedientia. Tanti obedientiam ipsam facit, quæ ipsis quoque medicis est præstanda; ac sane merito, quia salus agitur eorum, qui se Deo dederunt, serviuntque alienis etiam animis, non suis tantum. Ideo sanitatis in iis restitutio omni ope studioque procuranda est.

Dicit autem erga medicos corporales in numero multitudinis, tum quia interdum plures adhibentur, cum gravior necessitas incidit, tum quia chirurgi, et qui venam scindunt,

in medicorum numerum veniunt: quibus omnibus æque parendum est, quoniam eadem semper est causa parendi valetudinis restitutio. Itemque infirmariorum nomine non modo is, cui potissima ægrotorum cura commissa, verum etiam qui in ea cura ei sunt adjumento, atque ægrotis assident, continentur. Quibus omnibus eadem humilitate parendum est, cum quid ad curationem corporis necessarium exsequi velint; ut in ministrandis cibis hac vel illa hora, qua forte nollet ægrotus, in admovendis permolestis curationibus ac remediis, et id genus aliis muneribus exsequendis.

Sed in quibusnam præcipue rebus ostendenda erga medicos corporales et infirmarios obedientia? nempe duabus: primum in iis, quæ jucundæ sunt sensui; deinde in iis, quæ corpori sunt inimicæ et sensibus peracerbæ. In iis enim rebus, quæ jucundæ sunt sensui, periclitatur obedientia perfectorum, et eorum, qui mortificationem Christi jugiter portant in corpore suo, ut de B. Nicolao Tolentinate memoria proditum est, qui adduci nullo modo poterat, ut in gravissimo morbo imperatis carnibus vesceretur; cumque sui Præpositi grave accessisset imperium, paululum dumtaxat ex iis attigit, ut libasse potius diceres quam gustasse. Et de B. Sylvia, quæ, cum male haberet, medicique consulerent balnea adire, noluit eorum audire consilium, balneorum aspernata delicias. Multique in Societate nostra sunt, qui mortificandis suis corporibus assueti, partim etiam præcepta reverentes Ecclesiæ, ut supra in obedientia superiorum spiritualium dicebamus, si jubeantur indictis ab Ecclesia jejuniis carnibus vesci, aut imperata jejunia solvere, ægerrime medicis parent, quod minime sibi persuadere queant tantam esse vim morbi, ut præsenti corporis necessitati posthabenda sint Ecclesiæ præcepta. Sed his propositum esse debet ad imitandum N. P. exemplum, qui ipsa 4ª. hebdomadæ majoris feria a medico jussus carnibus vesci non dubitavit. Quod si in hujusmodi rebus imperandis medici facilitas

agnoscatur, tum aut Superiorem ægrotus consulat, cujus deinde nutibus acquiescat; aut certe medicum ipsum permodeste admoneat, suis viribus atque animo declaratis; qui si in sententia nihilominus perstiterit, existemet sibi sine hæsitatione ac sine recusatione parendum.

In iis vero rebus, quæ inimicæ vel injucundæ sunt sensibus, periclitatur obedientia tironum, eorumque, qui nondum satis firmos in virtute radices egerunt, ut cum imperantur a medicis amara pharmaca, ustionesve aut cantharides, aut insolens phlebotomia, vel cum ab infirmariis ministrisque parum gratæ præbentur epulæ, aut in ardenti siti potus omnibus interdicitur, aut in horrore cibi et fastidio stomachi præparata esca porrigitur, aut denique aliquid aliud adversarium sensibus imperatur. Præsertim vero perdifficilis videtur obedientia, cum in ardentissima siti, ut dixi, abstinendum est potu: plerique enim temperare se non possunt, quin furtim contra medicorum præceptum sitim quærant extinguere magno non modo corporis verum etiam animi damno, conscientia mox reclamante esse causam morti datam. Ad obedientiæ autem puritatem spectat his temporibus se ipsum vincere, sibique imperare, et ad præscriptum medici omnia suscipere, nihil abhorrere, nihil respuere, et ministris se obsequentem in omnibus exhibere: quia minimum quodque erratum gravioribus præsertim in morbis maximi periculi esse solet. Vincere autem sensum his temporibus, cum perfecta a nobis exigitur erga medicos et infirmarios obedientia, tria nos docebunt. Primum exempla sanctorum, qui cum male haberent, ea accipere a quibus sensus abhorret, strenue ac viriliter consueverunt. Ut B. Laurentius Justinianus,[1] cui cum ignis et incisio pararetur ad exsecandas strumas, conversus ad ministros "Quid," inquit, "metuitis, fratres? accedat confestim novacula, et ardentia caumatum instrumenta:" quæ quidem ipsa sic pertulit, ut ne ingemuerit quidem, incla-

[1] In vita ex Leone Justiunano.

mato dumtaxat sanctissimo Jesu nomine. Immo in senectute atque affecta jam ætate, cum ei guttur intumuisset, et ferrum esset adhibendum, immobilis atque intrepidus ad vulnus stetit; placidumque chirurgum increpans; "Seca," inquit, "audacter et viriliter incide; nunquam, mihi crede, novacula ista ardentes martyrum laminas superabit."

Commendat etiam nobis B. Dorotheus[1] obedientiam et patientiam illius sancti senis ægrotantis, de quo supra diximus: cui cum frater quidam minister oleum lini, quod lethiferum est, pro melle in ejus pulmentum incautus infudisset, senex silentio unam et alteram patinam degustavit.

De Patre etiam nostro Francisco Borgia[2] memoria recens testatur, solitum cum fuisse, cum ægrotaret, peramara pharmaca haurire sorbendo; cumque cibi etiam insuaves gustatui amarique præberentur, eos item avide tanquam dulces et suaves arripuisse. Quanquam quod in hoc genere illustrius habemus exemplum P. N. Ignatio, qui medici, quoties ægrotaret, ita se dicto audientem præbebat, ut ejus monita pro oraculis duceret, neque ea modo quæ sensui inimica, verum etiam quæ noxia valetudini essent, quoniam a medico, qui quidem peritissimus initio non fuit, præscripta erant, minime recusabat.

Meminisse etiam quid Constitutiones nostræ ægritudinis tempore a nobis exigant, promptam atque alacrem nostram facient erga medicos et infirmarios obedientiam.[3] Nam sic ajunt: "Observetur tam in victus ratione, quam in medicinis, quod medicus præscripserit, quantum fieri potest; nec infirmus in his quicquam curet." Quod Joannem Baptistam Piscatorem fecisse videmus: ita enim corpus suum regi ac tractari sinebat ut mortuus, nihil oblatum respuens, nihil postulans non oblatum. Et mox vetant Constitutiones infirmum loci mutationem postulare, si ibi, ubi est, minus recte valeat. Immo ne

[1] Ser. 9. [2] In vit. l. 4. c. 9. [3] 3. p. c. 2. l. G.

propensionis quidem aliquid ad eam ostendi volunt, sed omnia Superioris curæ relinqui. At perdifficilis est hæc obedientia? Verum; et ob hanc causam P. Ignatius eodem Constitutionis loco patientiam cum obedientia conjungit. "Studeat," inquit, "infirmus, ut patientiam et obedientiam exerceat, relicta cura reliquorum Superiori ac ejus ministris, per quos a divina providentia regitur." Ubi et aliud ad hanc alacrem erga medicos et infirmarios obedientiam præsidium Constitutiones attingunt: quod est 3^m. adjumentum.

Tertium igitur adjumentum est, ut existimet ægrotus regi se a Deo per suos ministros: sic enim fiet, ut in iis etiam, a quibus sensus abhorret, obsequentem se medicis ac ministris exhibeat. Sic existimabat senex ille, quem ex Dorotheo paulo ante nominavi. Qui cum porrectum lini oleum perpotasset, et suam minister excusaret imprudentiam, veniamque simul deprecaretur, ita respondit: "Noli te cruciare," inquit, "fili: si enim voluisset Deus, ut mel ederem, mel utique posuisses." Cumque in tam gravi tanque diuturno morbo nihil penitus degustare senex potuisset, nequaquam tamen erga fratrem illum turbatus est; sed rem omnem ad Deum retulit, et quievit. Eademque animi affectione haud dubie erat Constitutionum nostrarum auctor Ignatius,[1] qui, cum in gravi item morbo non ignoraret a medico non exercitatissimo se curari; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo contra ejus edicta quicquam effatus est. Existimabat enim a divina Providentia se regi per suos ministros, quæ ea obedientiæ documenta posteris commendabat.

Sed objiciet ex perfectioribus fortasse quispiam: Quid si quis non horroris odiique causa, sed augendi meriti gratia medicinos imperatos, et pharmaca respuat? num hic accusandus violatæ obedientiæ nomine videatur? Habemus enim exempla sanctorum, qui, mortificationis

[1] Maff. l. 3.

et patientiæ studio, aut etiam pœnitentiæ, noluerunt morbis suis curationem aliquam adhibere, nec medicorum audire consilia. Nam Benjamin[1] eremitam legimus, cum aquæ intercutis morbo laboraret, supplicare solitum familiaribus et amicis, ne sui corporis sed animæ curam haberent. Et Gallam Symmachi filiam scribit Gregorius,[2] cum in tabificam scabredinem versa esset, consulantibus medicis ut matrimonium iteraret, ne vel eo morbo interiret, vel barbam instar viri promitteret, neglexisse medicorum consilio. Cajetanus quoque in S. Thomam,[3] ubi de B. Agatha loquitur, quæ nullam suo corpori medicinam corporalem adhibuit, docet interdum medicinam licere respuere, ratione scilicet spiritualis profectus; negatque id esse tentare Deum, si intra limites rationalis obsequii fiat: imo vero semetipsum offerre Deo hostiam viventem. Et Basilius in Ascet°.[4] docet; cum morbi peccatorum esse flagella sentiuntur, oportere id tempus tales morbos, relictis medendi rationibus, tanquam a Deo illata flagella tolerare; secundum eum, qui dixit: "Iram Domini portabo, quoniam in illum peccavi."

Verum hæc objectio in his, qui aliorum arbitratu vivunt, non suo, nec sui juris sunt, sed ejus, cui se regendos tradiderunt, nihil habet loci. Non enim licet his hominibus aut medicinas respuere, cum a medicis præscribuntur, aut medicos, cum vocantur, abjicere; quia in alterius potestate sunt, non sua. Veruntamen cum adhibita curatio est, et tamquam pertinax est morbi vis quæ nihil curationis admittit; tum flagellum agnoscamus, et iram Domini portemus. Atque hæc satis de obedientia quæ vel medicis vel infirmariis ex regulæ præcepto in ægrotatione debetur. Satis etiam de tota regula 49ª.

Sed quoniam ad recuperandam valetudinem tres diximus Constitutiones ac Regulas esse præscriptas, duas

[1] Hist. trip. l. 8. c. 1.
[2] In Dialog. [3] 2. 2. q. 7. ar. 1. ad 3. [4] c. 99.

quidem ex parte subditorum et eorum qui ægrotant, tertiam vero ex parte Superiorum et eorum, quibus ægrotorum cura committitur, explicatis jam duabus prioribus, sequitur deinceps, ut de tertia et postrema dicamus, quæ ex 3ª. parte petitur c. 2. § 6, ubi sic dicitur: "Cura habeatur ægrotorum magna," etc.

DE ÆGROTORUM CURA GERENDA, JUXTA CONSTITUTIONES, 3. p. c. 2. § 6. L. G.

QUONIAM hæc cura partim ad Præpositos, partim ad ægrorum ministros spectat, primum de Præpositorum ac Superiorum, deinde de ministrorum cura dicemus. Loquimur autem hic potissimum de cura corporum; nam de animarum cura proprie agitur in 6. par. c. 4, ubi de auxilio morientium a Superiore ferendo nominatim præcipitur.

§ 1.—DE PRÆPOSITORUM CURA.

Quoad Præpositorum curam duo videnda sunt: primum, in quo consistat ex Constitutionibus hæc magna cura: deinde quam jure talis a Præposito suscipienda sit cura; ut his perspectis ad religionem magis afficiamur. Magna igitur hæc cura, quam de ægrotis gerere superiores debent, tribus in rebus ex Constitutione versatur. Primum in statuendo et præficiendo aliquo huic muneri, qui, nulla alia graviore cura distractus, totus curandis, fovendis ægrotis invigilet. Ac de hoc Constitutiones 3. p. c. 2. § 6: "Sit," inquiunt, "aliquis domi, qui præsit in iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent, tum conservandam in sanis, tum restituendam in ægrotantibus." Idcirco autem certum Constitutiones hominem curandis præponunt ægrotis, quia Superiores tam multis variisque distenti negotiis, minus ipsi sedulo adesse singulis eorum necessitatibus possunt. Necesse

est igitur, ut id per alios præstent, et aliena se quodammodo opera manuque juvent. Id quod fieri in rebus magni momenti, maximeque necessariis solitum est, ut earum administris præficiatur aliquis, quorum nutu atque ductu res illæ melius, faciliusque peragantur. Sic enim et in iis, quæ ad templorum et sacrorum cultum pertinent, et in iis, quæ ad spiritum nostrorum fratrum, et in iis, quæ litterarum studia spectant, Præfecti constituuntur aliqui, quorum prudentia ac ratione munera hæc tam necessaria tantique momenti cum laude tractentur. Ergo et in iis, quæ ad valetudinem in ægrotantibus restituendam pertinent, tanquam rem maxime necessariam certum aliquem Constitutiones præfici jubent, qui et ægrotorum curatione, et eorum ministris continenter invigilet. Hæc autem magna cura est, et ab antiquis etiam monachorum familiis videtur adhibita. Nam B. Benedictus[1] in sua familia hanc universalem ægrotorum curam cellerariis præcipue mandat. Sic enim ait in regula, cum de cellerario loquitur: "Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat; sciens sine dubio quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est."[2] Et infra: "Cura," inquit, "sit Abbati, ne a cellerariis aut servientibus negligantur infirmi." In quam regulam Smaragdus Abbas ita scribit: "Infirmantibus vel aliqua inæqualitate laborantibus satis fidelis et strenua debet persona proponi, quæ et ægrotis cum pietate serviat, et monasterialem disciplinam regulariter custodiat." Præfectum quippe et cellerarium intelligit, ut ex iis, quæ sequuntur apparet: nam non ita mox hæc subjecit: "Quod necesse habuerint infirmi, cellerarius at Præpositus provideat." Etiam S. Dorotheus ser. xi. significat se curam habuisse ægrotorum tanquam præfectum, scilicet cellerarium, ut ex orationis contextu potest intelligi ab iis verbis: "Forte tunc mihi curæ erat infirmorum atque ægrotantium." Eundem præ-

[1] C. 31. [2] C. 36.

fectum ægrotantium indicat Augustinus in Regula eum dicit:[1] "Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate, sive etiam febribus laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipse de cellerario petat, quod unique necessarium esse perspexerit."

In hoc igitur primum cernitur magnitudo curæ quam ægrotantibus adhiberi Constitutiones volunt, in præficiendo aliquo huic muneri, qui totus in ægrotorum curam incumbat. Secundo, eandem curæ magnitudinem exigunt in adhibendis medicis ac remediis: medicis quidem pluribus, si necesse sit, ut supra diximus, non uno tantum. "Vocetur," inquiunt, "medicus, qui unus tantum ordinarie esse debet, si in casibus quibusdam Superiori aliud non viderctur." Faciunt igitur potestatem advocandi plures medicos, si necessitas ferat: id autem magnæ curæ indicium est, quia plures de unius vita ac salute consilium inter se capiunt et pro se quisque laboranti opitulatur.

In remediis etiam admovendis hanc curæ magnitudinem ponunt, dum ita dicunt: "De remedio, ut charitas exigit, convenienti provideatur." Ubi perpendenda sunt verba illa, "prout charitas exigit:" non enim dicunt, prout conditio exigit ægrotantis, sed prout "charitas;" magna enim hæc cura ad omnes vel infimos spectat. Et conveniens omnibus volunt adhiberi remedium, nempe vel pretiosum et exquisitum, si ita necesse sit: nullum enim remedii genus excipiunt, dum conveniens imperant. Porro duo remediorum genera esse possunt restituendis ægrotis accommodata: quædam præsentia et subita, quæ subitis ac præsentibus adhibenda sint morbis, cujusmodi esse solent quotidiane medicinæ: quædam vero diuturniora, quæ longis ac diuturnis apta sint morbis, qualis est mutatio loci. Utraque ergo remedia Constitutiones imperant, cum necessitas tulerit: nam et ad præscriptum arbitriumque medici præbendæ sunt medicinæ, ut mox dicemus; et cui regionis alicujus cœlum officit,

[1] Reg. 3. c. 33.

mittendus est in salubrius. Sic enim Constitutiones aiunt: "Si experimento comperiretur aliquis ferre non posse alicujus regionis cœlum, et male habere continenter cernerertur, Superiori considerandum reliquitur, num ille migrare alio non debeat," etc.

Verum ne nimium facilem Superior ipse se præbeat, tres conditiones a Constitutionibus requiruntur. Primum, ut experimento compertum sit, cœlum valetudinis ægrotantis officere, ex continenti scilicet invaletudine: ideo addunt; "Et male habere continenter cerneretur." Secundo, ut non cupiditas spectetur ægroti vel infirmi, sed divinum dumtaxat obsequium; et de hoc dicunt: "Ubi melius habens corpore, impensius divino servitio vacare possit." Tertio, ut hæc mutatio non ab ipso postuletur infirmo, aut propensione animi significetur, sed Superioris relinquatur arbitrio: et hoc iis significant verbis; "Non erit ipsius infirmi hujusmodi mutationem postulare, nec animis propensionem ad eam ostendere, sed Superioris curæ id relinquetur." His conditionibus hoc remedii genus concedi debet, imo necessario adhiberi, curarique ne quid omnino de absoluta cura desiderari queat. Quare cum in habenda ægroti ratione nullum neque personæ, neque remedii discrimen faciant Constitutiones nostræ, sed cuicumque ægrotanti quodvis remedii genus aptum et conveniens adhiberi velint, magna profecto hæc cura censenda est.

Tertio, versatur hæc eadem magnitudo curæ, quam de ægrotis gerere Superiores debent, in facultate et commoditate præbenda exequendi ea, quæ præscripserit medicus tam in victus ratione, quam in medicinis. Sic enim Constitutiones habent: "Observetur tam in victus ratione quam in medicinis quod medicus præscripserit, quantum fieri poterit." Hanc autem facultatem præbere Superior debet duobus præcipue modis. Primum, nullis parcendo sumptibus, sive in victus ratione, cum delicatiores et magis exquisiti necessarii sunt cibi; sive in

medicinis et pharmacis, cum vel magno paranda sunt pretio. Addunt autem Constitutiones, "Quantum fieri potest:" tum ut religiosæ paupertatis atque decoris in sumptibus faciendis, tum etiam ut facultatis rationem habeant aliquorum Collegiorum, domorumque tenuiorum, quæ necessaria sunt curandis ægrotis, potiusque sanos valentesque negligere, qui paucis contenti esse possunt, quam ut charitatem deserant ægrotantium. Imo P. N. Ignatius etiam sacra vasa ajebat, ægrotorum causa, si aliunde consuli ægrotorum necessitatibus minus posset, non dubitaturum se vendere. De eo enim in vita sic scribitur:[1] "E nostris, ut quisque in morbum inciderat, cujuslibet esset ordinis, extemplo acciri medicum imperabat, ac nihil prorsus omitti eorum, quæ is præscripsisset, oppignoratis etiam divenditisque, si opus esset, lancibus stragulisque et cætera supellectili. Sane cum ex laicis adjutoribus quidam sæva conflectaretur febri, ad eumque refocillandum delicatiore cibo opus esset, quicquid nummulorum domi erat, denarios tres, eam in rem insumi jussit, ac resistenti paulisper obsonatori, nihilque præterea pecuniæ ad cæteros alendos superesse dicenti: Atqui nos quidem," inquit, ille, "valemus, arido pane contenti esse poterimus;" atque ita languenti coemptum obsonium est. Nullis igitur Superior sive in cibis, sive in pharmacis conquirendis debet sumptibus parcere, ut ea quæ præscripserit medicus, ægrorum ministri exequi possint: habita tamen, ut dixi, ratione status religiosi, ne modus in paupertate religiosa et sumptibus excedatur. Atque hoc primum modo facultatem præbebit Superior medicorum exequendi præcepta. Deinde vero præbebit eandem deligendis ad hoc munus sedulis idoneisque ministris: sedulis, qui ægrotis continenter assideant: idoneis, qui bene rationem teneant hujus administrationis, norintque opportuna tempora pascendi ægros, admovendique curationes et remedia ad medicorum præscriptum; norint etiam acces-

[1] Maff. l. 3. c. 4.

siones et decessiones febrium, incrementa et decrementa morborum, eaque diligenter observent. Tales Superior huic muneri ministros deligat, necesse est, si quæ a medicis præscripta fuerint, ea fieri atque explevi velit. In his igitur magnitudo curæ, quam de ægrotis gerere Superiores debent, posita est.

QUAM JURE AUTEM TANTA A SUPERIORIBUS ÆGRORUM HABENDA SIT CURA, ID SEPTEM POTISSIMUM EX CAUSIS INTELLIGI POTEST.

PRIMA est quia, ut ait Bonaventura, flagellati sunt a Deo: ergo, si ab hominibus etiam deserantur ac negligantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum contra eos, qui illos deserunt et persequuntur; juxta illud Psalmi:[1] "Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt."

Secunda ratio, quia morbus miseria quædam est, quæ omnium minime sublevari potest. Nam neque fames, neque sitis, neque nuditas, neque carcer, neque tecti atque habitationis inopia, cæteræque id genus miseriæ ita reddunt hominem ineptum ad suam levandam miseriam, ut ægrotatio, quæ vires corporis adimit vel infringit. Cui quidem ægrotationi sæpe nec medicus, nec medicina fert opem, nisi eam ferat Deus: "Quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt," ut dicitur Job 9. Et in cæteris quidem miseriis homo homini opitulari potest: potest enim, si opes adsint, pascere esurientem, potare sitientem, operire vestibus nudum, et aliis hujusmodi rebus alter alteri prodesse potest: quia hæc demum ex ejus, qui adjuvet, voluntate, pendent omnia. At ægrotis nullus ullam sæpe fert opem aut levationis aliquid, etiamsi conetur et velit. Ideo David, cum ad misericordiam provocare vult Deum, morbum animi sui tanquam summam aliquam miseriam in medium adducit:[2] "Miserere," inquit, "mei Domine, quoniam

[1] Ps. 68. [2] Ps. 6.

infirmus sum;" quasi dicat, tanquam ægrotus opem a te posco, quam nec mihi ipse, nec alius afferre potest, nisi tu afferas.

Tertia ratio, quia justitia id exigit; quoniam qui ægrotat, sæpe pro laboribus in religione susceptis ægrotat. Quod si famuli mercede conducti, cum in domibus dominorum suorum in morbum incidunt, foventur et curantur a piis dominis, quia justitiæ ratio id exigit; quanto majore cura fovendi sunt religiosi, qui nulla adducti mercede atque emolumento, sed sola Dei charitate suæ religioni deserviunt.

Quarta ratio, quia religiosus reliquit sua suos et seipsum: sua, quibus sibi ipse poterat ægrotanti succurrere: suos, qui sibi adesse poterant laboranti: seipsum, qui, ubi propinquorum ac necessariorum opera deficisset, sibi ipse curare poterat aliunde ea, quæ ad levandam vim morbi pertinent; quod ei in religione non licet. Magna igitur impietas fit, si qui hæc Christi causa reliquit, non ei Christi ministri ac vicarii, omni solicitudine ac cura, cum ægrotat, adesse velint. Ideo Smaragdus Abbas[1] censet tanta misericordia fovendos infirmos, ut propinquorum non requirant affectus: quod de monachis cœnobitis Ægypti Hieronymus scribit, ut infra dicemus.

Quinta ratio, quia hæc Superiorum cura ad magnam ædificationem pertinet partim eorum, qui in religione male habent, partim eorum qui recte valent, partim etiam externorum et proximorum. Nam qui male habent, charitatem suæ religionis agnoscunt, dum se filiorum instar tractari curarique sentiunt. Bonus autem Prælatus, ut ait Bonaventura, agnoscit se fratrum suorum patrem non dominum, nec eos reputat ut servos emptionis, sed ut filios hæreditatis supernæ consortes. Ideo solatium est imbecillibus habere sibi condolentes et compatientes. Qui vero recte valent, ædificantur, dum similem erga se aliquando charitatem sperant, cum inciderit forte necessitas: ideoque ad suam religionem mirifice afficiuntur, in qua spiritum Dei

[1] In. reg. S. Bened. c. 36.

et veræ charitatis agnoscunt. Externi porro sive sint propinqui atque cognati, qui nonnunquam invisunt ægrotum, sive medici, qui eum curant, et continenter inspiciunt, videntque ea, quæ ægrotorum gratia geruntur magnopere ædificantur, nec cessant de religione ipsa et sentire optime, et ejus ubique prædicare charitatem. Qua in re sæpe fuit admirationi Societas.

Sexta ratio, quia religiosa vita ac valetudo præsertim in Societate magnifacienda est, cum tota spectet ad salutem animarum. Nam si regularis aliquis homo pereat, et qui sibi vacat uni, unus homo tandem perit: at cum perit is, qui totum se porrigit atque explicat ad aliorum utilitatem, damnum ejus ac jacturam plurimi sentiunt: ideoque in morborum periculis omni is cura studioque fovendus est. Hac de causa Bernardus[1] ait jure a Paulo habitam esse rationem Timothei, quem modico vino propter stomachum jubebat uti, quia ejus vita, inquit, teneræ adhuc et nascenti Ecclesiæ pernecessaria erat. Non autem hinc suos sibi volebat monachos frustra blandiri, qui in solitudine vitam agebant, quique sibi tantum ipsi vacabant, non autem proximis.

Septima ratio ac postrema, quia ægrotorum sive etiam valetudinariorum, omnes enim hoc nomine comprehendi volumus, multo est deterior conditio, quam recte valentium. Plurimis autem deterior est rebus, sed præcipue decem.

1°. Quia ægroti pluribus indigent quam valentes, quod est miseriæ et infelicitatis. Majore autem subsidio pietatis indigent, ut ait Bonaventura,[2] triplici ratione. Primo propter sustentationem vitæ; quia cum sibi ipsis sufficere non possint, si ab aliis etiam relinquantur, coguntur deficere, nec subsistere queunt. Deinde propter restaurationem sanitatis, et virium, quas in morbis amittunt. Cum enim sanus et robustus solum egeat ad sustentationem victu, æger et infirmus gemina refectione indiget, tum ne pereat, et quod ei reliquum est perdat, tum etiam, ut, quod amis-

[1] Ser. 30. in Cant. [2] De sex alis Prælat.

sum est, reparet. Postremo propter levationem aliquam solatii. Quia morbo affectis, cum animadvertunt alios partem sui doloris condolendo suscipere, et ad suæ reparationis studium fideliter adjuvare, hac se consolatione sustentant, et dicunt cum Saule :[1] "Benedicti vos a Domino, qui doluistis vicem meam."

2°. Deterior est ægrotorum conditio, quia quæ parantur ægrotis, sæpe non ita delectant, nec ita sunt suavia gustatui, ut quæ valentibus apparantur.

3°. Quia illa ipsa, quæ sumunt, frequenter cum pudore sumunt, et angore animi.

4°. Quia novis variisque ministris, necessitatis causa, subjecti esse debent, qua servitute liberi sunt sani, et multos in multis rebus ferant necesse est, ut ferant ipsi.

5°. Quia multis molestiis tristitiisque vexantur, quas invehit morbus.

6°. Quia vis morbi multis est occasio non tam benemerendi quam demerendi, propter murmur, intolerantiam, imbecillitatemque ferendi morbi, et alia hujusmodi mala.

7°. Quia sentiunt se esse oneri iis, apud quos manent, nec ita libenter ægrotos ac eos, qui recte valent, in domibus et collegiis haberi.

8°. Quia onus disciplinæ, etsi hæc laxior ægrotanti permittitur, gravius valetudinariis atque imbecillibus quam valentibus.

9°. Quia multis carent spiritualibus consolationibus, quibus abundant ii, qui recte valent : carent enim sacræ lectionis pabulo, divinorum officiorum, orationis, et id genus aliarum exercitationum fructu, atque commodo.

10°. Denique minus apti sunt iis exequendis muneribus atque officiis, unde plurimum lucrari et mereri possent. Quanquam enim ex tolerantia morbi capere hæc lucra possint ; tomen non omnes, ut dixi, propter imbecillitatem corporis et animi ea capiunt. Imo perpauci, sæpeque ii, qui jam videbantur in virtute perfecti, minusque patientes

[1] 1. Reg. 23.

in morbo fortesque reperiuntur, ut infra etiam dicemus. Quare, cum tam multis rebus sit ægrotorum conditio deterior, quam recte valentium, Præpositus, qui multam curam gerere omnium debet, majorem etiam de ægrotis geret, si suo muneri ea, quæ par est, laude præesse velit.

Jure igitur N. P. Ignatius magnam ægrotorum curam habendam præcipit, jure plerique SS. PP. præsertim, qui familias religiosorum instituerunt, eandem ægrotorum curam in suis familiis geri voluerunt. Nam Basilius[1] de Monach. Instit., cum quærit, quali sit affectu infirmis fratribus ministrandum, respondet: "Sicut ipsi Domino afferentes obsequium, qui dixit: Quodcumque feceritis[2] uni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis."

Augustinus[3] etiam in Reg. ut magna habeatur ægrotorum cura Ignatii nostri more eam uni alicui demandat, ut supra diximus, et vult a Prælatis ægrotanti fidem haberi, si in corpore lateat dolor: famulo enim Dei dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione dicit esse credendum.[4] Idemque etiam lavacrum, si infirmitatis necessitas cogat, concedit ægrotis: imo fieri id sine murmure jubet de consilio medicinæ, ita ut, etiamsi nolit ægrotus, jubente Præposito, faciat quod faciendum est pro salute. Imo non solum ægrotationis tempore, sed post ægrotationem ita tractandos, qui male habuerint, præcipit,[5] ut citius recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo.

Jam Benedictus maximus monachorum Pater, cum de fratribus[6] ægrotantibus regulam scribit, ita præcipit: "Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dicturus est, Infirmus fui et visitastis me, et quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis." Et mox Abbatem his verbis onerat: "Ergo cura maxima sit Abbati, ne

[1] C. 30. [2] Matt. 29. [3] Reg. 3. c. 33.
[4] Reg. 3. c. 31. [5] Reg. 3. c. 16. [6] C. 36.

aliquam negligentiam patiantur." Et in extremo capite, "Cura," inquit, "maxima sit Abbati, ne a cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit quicquid a discipulis delinquitur."

B. Hieronymus scribit de fratribus Ægyptiis, hoc est, monachis Tabemensibus[1] mira in ægrotos obsequia solitos exhibere. "Ægrotantis," inquit, "miris sustentantur obsequiis, et ad omnem copiam præparatis cibis." Idem ad Eustochium de custodia virginitatis, non longe ab extremo: "Si quis," inquit, "cœperit ægrotare, transfertur ad exhedram latiorem, et tanto serum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum."

Est etiam antiquissima Pachomii regula, quæ jubet non modo ægrotorum necessitatibus, verum etiam ipsis desideriis fieri satis, darique etiam ex iis, quæ comedere non consueverunt, ad omnem abundantiam: "Ut nullo," inquit, "frater languidus contristetur." Et recte: quia, ut ait Hieronymus, "Si ad ægrotationem corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas."

B. etiam Franciscus præter ea, quæ in regula suis fratribus mandat, ut sibi invicem ægrotantibus serviant tanquam nutrices et matres, tanta erga ægrotos pietate fuit, ut, ne quid eis deesset, ipsemet vicatim et ostiatim ea, quæ ipsis necessaria essent, emendicaret.[2] Fratrem quendam aliquando ex senioribus cum ægrum affectumque morbo vidisset, miseratione quadam animi pietateque commotus, ita secum ipse reputare cœpit: hic, si paulum degustaret uvæ, recrearetur utique. Eum igitur statim accitum proximam deducit in vineam, in eaque ipse primus, ne aliquo pudore frater impediretur, degustat uvas: deinde ex iisdem fratri dat, quibus ille gustatis extemplo sanus atque integer, admirabili quadam divina vi, factus est.[3] Idem lepra notatis atque infectis ministrabat ipse magna cum charitate, et sui Ordinis fratres eisdem, ubicumque

[1] In præf. Reg. S. Pachomii. [2] Ex Bonav. in Chron. p. i. l. 2. c. 31.
[3] Ex act. et vit. S. Francisci.

eos reperissent, per charitatem Christi, qui nostra causa reputari tanquam leprosus voluit, ministrare jussit.

De B. Dominico ejus æquali, ipsiusmet constitutiones declarant, quantæ curæ ei essent ægroti.

Nec mirum sanctos viros tanta erga ægrotos fuisse pietate, qui ducem suum Christum imitari cum in omnibus tum in hoc quoque pietatis genere officioque studuerunt. Legitur enim Christo plus de ægrotis quam de aliis afflictis hominum generibus fuisse curæ. Non enim ab eo aut nudi vestiti, aut alii hospitio recepti, aut qui in custodia erant, solatii causa soluti leguntur: rareque et famelici sitientesque refecti, nempe in solitudine semel atque iterum; semel etiam in nuptiis, ad quos fuerat invitatus. At ex ægris, quotquot tangebant eum, curabantur omnes ab infirmitatibus suis: hunc mundabat a lepra, illum febribus liberabat; ex aliis impuros spiritus, ex aliis item alios morbos et mala pellebat. Cum igitur tantæ curæ fuerit Filio inter homines agenti ægrotorum hominum salus ac valetudo; profecto, qui illum sequi volunt, et ad eum imitatione proxime accedere, necesse est eos eadem in ægrotos pietate et charitate teneri.

§ 2.—DE MINISTRORUM CURA.

Quoniam de cura, quam Superiores, et ii, qui præsunt, habere debent ægrotorum dictum est: dicamus deinceps, ut propositum erat, de ea cura, quæ ad ministros et eos, qui famulantur ægrotis, spectat. Duo autem hic quoque videnda. Primum, quænam ad ministrorum in ægrotos curam requirantur, ut magna esse dicatur: deinde, quæ ad eam cum sedulitate gerendam impellant.

Ministrorum de ægrotis cura, ut magna esse dicatur, tribus potissimum in rebus versari debet: in patientia, in sedulitate, in charitate et pietatis affectu.

Patientia necessaria est ministris propter tria. Primum ut fortiter ferant ea, a quibus sensus abhorret. Sunt enim

quædam morborum genera, quorum fastidium non satis ferimus; quanquam in omnibus fere morbis natura nostra nauseat. Ideoque patientia ac tolerentia opus est in ea superanda ac vincenda: ut consuevisse legimus P. N. Ignatium, cum ministraret ægrotis.[1] "Nam cum ad quemdam adesset gravi et contagioso ulcere laborantem, et ministrandi causa, ut fit, decumbentem subinde attrectasset, in discessu metus Ignatium subiit, ne ex eo contactu dextera pestilentiam contraxisset: quæ suspicio cum solicitaret hominem vehementius, eumque ab hujusmodi charitatis officio in posterum avocaret; ille cognita fraude confestim in semetipsum exarsit, dextramque in os identidem inserens increpuit ultro: 'Qui de una manu tam anxius es, quid universo corpore facies?" Atque hac fortitudine et præsentem depulit metum, et ad eadem porro exequenda pietatis opera sese vegetum atque hilarem præstitit." Nam quid de Xaverii[2] in ferenda morborum nausea fortitudine dicam? Quem scimus itentidem, dum ministrat ægrotis, abhorrentis naturæ vicisse fastidia: ut cum ulcerosi saniem semel atque iterum Venetiis exsugit; imo et ipsis ministrasse leprosis, cum in India versaretur. Quod item facere solitum B. Joannem Colombinum,[3] aliosque sanctos viros, ut Bernardinum Senensem, ejusque civem Catharinam, quæ ipsa quoque ulcerum lambebat saniem, ut naturæ superaret horrorem, memoriæ proditum est. Item de Catharina Genuensi in ejus vita legimus. Ac B. etiam Basilius ægros ac tetris morbis affectos exosculari solitus dicitur, ut cæteris præberet exemplum, ne pauperes ægrosque fastidirent, sed eorum ulcera morbosque curarent, ut in Monodia scribit Gregorius Nazianzenus.[4] Et B. Franciscus leprosum pestilentissimum et gravitate odoris intolerabilem suis ipse manibus lavit.

Quæ patientiæ exempla ii sibi proponant ante oculos necesse est, qui ministrant ægrotis, ne qua molestia

[1] Maff. l. 3. c. 4. [2] In vit. l. 1. c. 9. [3] L. 2. c. 2.
[4] Et act. ac vit. spec. d. 7. c. 22.

nausearum victi, eorum langueat in iis curandis opera, aut charitatis alacritas minuatur. Ideoque ea promptius munera obedire Constitutiones[1] nostræ nos volunt, a quibus sensus magis abhorret.

2°. Necessaria est patientia ministrorum in perferendis laboribus diurnis atque nocturnis, qui ægrorum sæpe causa suscipiendi sunt. Quo patientiæ genere excelluisse Franciscum nostrum Xaverium legimus, qui cum in aliis locis tum Mozambici, præter animarum procurationem ac salutem,[2] in ægrorum ministerio assidue versari solitus est. Ita enim non parcebat laboribus ac vigiliis, dum magnæ ægrorum multitudini enixe operam navat, ut ipse quoque in gravem et periculosum morbum inciderit. Ex quo nondum recreatus, sed remissa aliquantulum morbi vi, denuo ad institutum revertitur, et ægrotus ægrotis operam dat, medico obstupescente, qui Xaverium non minus indigere ministro, quam quibus ipse ministraret, non ignorabat. Hujus igitur in ministrando publicis valetudinariis labores, qui sibi in mentem revocat, is profecto minores labores in curandis domesticis ægris fratribusque non gravate feret.

Exemplo etiam esse poterit Bernardinus Senensis, qui pestilentiæ tempore in nosocomio quodam Senensi, cum qui infectis ea lue hominibus opem ferret, nusquam inveniretur, ipsemet opus ministrandi, curamque suscepit, quam toto quadrimestri multis laboribus vigiliisque sustinuit. De eo autem sic scriptum legimus:[3] "Astabat diu noctuque ægrotantibus, pharmaca parabat, cibos pro singulorum qualitate porrigebat, sordes omnes in illis necessario ferendas, ipse ante omnes sua voluntate amovendas suscipiebat: non labore, non vigiliis, non intolerandis fœtoribus, non incommodis ullis frangebatur: sed ea semper alacritate, et spiritus vivacitate illis serviebat, ac si vel parentes vel fratres ac filii ejus essent."

B. etiam Dorotheus de se ipso scribit, cum curam

[1] Exam. c. 4. § 28. [2] L. 1. c. 19. [3] In vit. apud Surium in Maio.

gereret ægrotorum, nimio ministrandi labore statim sibi somnum, cum iret cubitum, advenire solitum: id significat Ser. 4: "Et somnus," inquit, "præ labore nimio diurno jam advenerat."

3. Necessaria est etiam patientia in ferendis quibusdam ægris difficilioribus, qui parum se ministris exhibent obsequentes; quippe qui semper conqueruntur et dolent, asperius loquuntur, et conviciantur interdum. Facit enim id morbi vis, sicut et senectus in senibus: ideoque ægroti nihil ab infirmis senibus vel pueris imbecillibus differunt; ac propterea ferendi sunt. Sic enim præscribit in suis regulis Benedictus:[1] "Patienter," inquit, "portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur." Et de his Isidorus:[2] "Qui sani sunt," inquit, "sani debent esse et mente: et ideo convenit sanis infirmos portare, et magis quam ab infirmis portari."

Exemplo esse potest Eulogius Alexandrinus, de quo scribitur in vita B. Antonii; qui cum ægrotum publice expositum aspexisset lepra coopertum, membrisque omnibus fere mutilum, eumque Dei causa curandum suscepisset, perseverassetque in eo pietatis officio quindecim ipsos annos, ad extremum, cum furere atque insanire in eum cœpisset ægrotus, intolerabilemque se redderet, tædio fessus reponere eum unde sumpserat cogitavit, ægro jam ipso importune id flagitante. Sed consulendum sibi ea de re prius putavit Antonium, cujus id temporis fama toto terrarum vagabatur orbe. Cui Antonius gravis auctor fuit, ne quem pro Christo fovendum suscepisset, ejus insolentia atque intolerantia ullo modo descereret; fore enim ut si eum ipse desereret, per alium illum Deus meliorem ipso colligeret. Quibus verbis intellexit Eulogius perferendum sibi esse usque ad extremum spiritum, toleranduque molestissimum illum ac difficillimum ægrum, nisi mercedem jam prope partam funditus amissam vellet.

Legimus etiam in vitis Patrum, Beatum Joannem

[1] Cap. 36. [2] Apud Smaragd. in Reg. Bened. c. 36.

Minorem duodecim annis cuidam in morbo seni famulatum, nec unquam placidum ab eo verbum abstulisse. Sed appropinquante morte patientiam Joannis a sene illo aliis senibus commendatam; ejus enim apprehensa dextera, senioribus ita dixisse: Hic, quam videtis, Angelus non homo est, qui tot annis mihi ægrotanti ministrans, ne verbum quidem a me bonum accepit.

In his igitur ministrantium patientia versari debet; cujus exercendæ gratia P. N. Ignatius omnes, qui in Societate admittuntur in valetudinariis menstruo spatio probari constituit; atque hoc est unum de præcipuis experimentis, de quibus agitur in examine Constitutionum.[1] Quisquis enim seipsum assuefecerit foris, aut iis quæ sensui naturæque repugnant perferendis, aut laboribus qui ægrotantium causa suscipiuntur, aut eorum qui morbo afflicti sunt, moribus asperioribus ac durioribus tolerandis, næ ille in curandis fratribus suis domi non magnam admodum nauseæ molestiam sentiet, neque aut ministrandi labores, aut ægrotantium immites mores nimium graviter molesteque feret. Hanc patientiam docet nos sanctus Dei timor; quia, ut dicitur Eccl. 2: "Qui timent Dominum patientiam habent." Ideo B. Benedictus in regulis[2] primam hanc in eo, qui ministrat ægrotis, exigit conditionem: "Et servitor," inquit, "timens Deum, et diligens ac solicitus." Si quis igitur timorem Domini, ægrotis ministrando, possideat, ipsam quoque, quæ ad id ministerium necessaria est, patientiam possidebit. Atque hoc est primum, in quo debet ministrorum de ægrotis cura versari.

Secundum vero est "sedulitas," qua tum diligentia, tum solicitudo, quas item Benedictus exigit, continetur. Diligentia, ne sit remissus et lentus, qui ægrotanti deservit. Sanus quippe atque integer potest ille quidem haud ita magno incommodo moras perpeti ministrorum; æger vero persæpe absque magno detrimento non potest; nisi enim aut tempestive cibi, aut opportunis medicinæ temporibus

[1] C. 4. § 19. [2] C. 36.

exhibeantur, majoris morbi periculum adeat; ut si in accessionibus incrementisque febrium pascatur æger cunctatione ministri. Imitanda est igitur diligentia B. Dosithæi,[1] qui si quando aliquid per negligentiam omitteret, peccati se insimulans ubertim flebat. Omnia munde pureque agebat, ut in ejus vita scribitur; ægrotis lectulos accommode sternebat, et singulos quosque humili suo refocillabat obsequio. De Paulæ quoque Romanæ clementia et sedulitate in ægrotantes, quos miris obsequiis et ministeriis confovebat, scribit Hieronymus; quanquam domesticum et recens non desideramus exemplum Xaverii nostri, cum in celeberrimo Venetiarum valetudinario ægrotis operam daret, ut in ejus vita legenti planum est.[2]

Solicitudo vero in sedulo ministro requiritur; quia necesse est in ea semper cogitatione versetur, ut necessaria quæque ægrotanti perficiat, ne quid sua culpa ex rebus necessariis ei desit. Itemque ut quæ præscripserit medicus, paret omnia et adamussim exsequatur. Quis non hoc loco ejusdem Xaverii solicitudinem admiretur? Qui dum in Mozambici valetudinario ministrat ægrotis, æger ipse morboque affectus, ne infimæ sortis nauta graviter ægrotans et corpore et animo periclitaretur, maluit suo carere lectulo, quo plurimum indigebat, quam ut periclitantem nautam desereret.[3] Cujus ille vicem miseratus temere in publico jacentem in suo lectulo collocavit. At quorsum tanta solicitudo, dicet aliquis, si morbus est interdum insanabilis, nec jam convalescendi spes ulla superest? Inutilis enim videtur et solicitudo ipsa ministrorum, et sumptus. Sed huic objectioni Bonaventura respondet his verbis: "Hoc recte diceretur si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut, cum sanatus fuerit, benefactum illud sumendo retribuat, merito charitatis se privat. Ubi

[1] In vita. [2] Ep. 27. ad Eustoch.
[3] In vita. l. 1. c. 9.

enim major miseria, ibi clarior misericordia apparet, et purior charitas."[1]

Tertium, in quo ministrantium cura cerni debet, est quidam pietatis et charitatis affectus. Ex hoc enim priora, quæ diximus, vim omnem habent; nam si pietas absit et miseratio et quidam charitatis affectus, profecto nec magna admodum nec diuturna potest esse in ægrorum ministerio sive tolerantia sive sedulitas. Cum pietate autem et charitate ministrare, nihil est aliud quam in ministrando misericordem quemdam animi affectum possidere, et viscera misericordiæ tenere; quod S. Dorotheus appellat cum scientia et cognitione ministrare. Sic enim ille: "Rursus ministrat quis ægroto, sed mercedis et præmii gratia ministrat. Et ne hoc quidem est cum scientia et cognitione; ac propterea, si quid illi molesti aut adversi contigerit, actutum a bono illo opere recedit, nec cœptum opus absolvere contendit; nimirum quia non ex scientia cœperat. Qui vero cognitione et scientia ministrat, propterea ministrat, quia misericordem animi affectum possidet, et viscera misericordiæ tenet. Qui enim hujusmodi sibi scopum statuerit, si quicquam adversi illi contigerit, si qua afflictio aut calamitas extrinseca evenerit, ab illo animi sui proposito non deturbabitur. Quin et si ægrotus illum contempserit ac maledictis incesserit, immotus ille imperturbatusque permanet, atque omnia patientissime perfert, scopo illi suo ac proposito inhærens," etc.[2] Ex quibus intelligimus, si pietas et commiseratio ad duo illa superiora ministris accedat, tum demum illa ipsa et eximia et diuturna fore.

Pietas autem hæc non modo intus in animo, sed etiam foris exercenda est. Intus quidem est, dum minister ægroti commiserans eodem ei deservit affectu, quo sibi a cæteris deserviri vellet. Ideo B. Franciscus in regula: "Si quis," inquit, "in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri."[3] Et Bona-

[1] De sex alis Præl. c. 9. [2] Ser. 12. [3] C. 6.

ventura de bono Prælato ait, eum ægrotis facere, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret.[1] Sed nimirum quidam condolere nesciunt ægrotorum vicem, nec ullo tangi miserationis affectu ; quia vim morbi nondum experti sunt, nec sentiunt quod sentit æger. Ac propterea idem Bonaventura, cum de Prælato loquitur, ad extremum ita concludit : " Expedit ergo Prælatum quandoque experiri infirmitates cæterorum, ut discat compati juxta illud : non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris." Idem ergo de ministris dici potest. Sed dum nihil tale experiuntur, fidem saltem expertis habeant, et induant viscera misericordiæ tamquam electi Dei et boni fratres, et idipsum erga cæteros faciant quod sibi fieri vellent, si ægrotarent.

Foris autem ostendendus est hic affectus, ut appareat eos, qui ministrant, non ex necessitate aut ex tristitia, hilarem enim datorem diligit Deus ; sed sua voluntate, et prout destinarunt in corde suo, ægris fratribus ministrare. Propterea significabunt hunc animi affectum fronte primum ac vultu ; ut, quos curant, ægri ipso oris exhilarentur aspectu. Deinde blandis verbis atque affabilitate sermonis, quæ ad consolandum valet plurimum ; quo in genere perstudiosum fuisse B. Nicolaum Tolentinatem, cum invisebat ægrotos, proditum est.

Postremo ægris ipsis intervisendis, crebro scilicet et ad eos advocandis, a quibus blande hilariterque detineantur. Hæc enim omnia et id genus alia, quæ foris cernuntur, indicia sunt interioris affectus ; quo multo magis delectantur ac recreantur ægroti, quam aut suavissimo apparatu ciborum, aut præstantia medicamentorum.

Sed quibus tandem viis hunc charitatis induemus affectum, cum ministramus ægrotis ? Jam enim hoc est alterum quod propositum erat, de quo breviter est dicendum.

[1] De sex alis, c. 4.

QUÆNAM AD ÆGROTORUM DILIGENS MINISTERIUM SEDULAMQUE OPERAM NOS IMPELLANT.

Nempe si spirituales hujus ministerii utilitates et commoda nostris cum animis reputemus; ea autem sex circitur esse possunt. Prima utilitas est, quod in ægrotis Christo servimus, cujus illi sunt membra. Ac Basilius quidem interrogatus, quo pietatis affectu sit ægrotis fratribus ministrandum, ut supra dicebamus, respondit: "Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit quia quodcumque feceritis uni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis."[1] Et B. Benedictus vult,[2] "Infirmis ut Christo serviatur, quia ipse dicturus est: infirmus fui et visitastis me, et quod fecistis uno de his minimis meis, mihi fecistis."[3] Atque id quidem sæpe Dominus Jesus servis suis ostendit. Nam S. Uringualocus, monachus et sacerdos, cum una cum ministro suo B. Ethbino leprosum quemdam ulceribus plenum auxiliumque postulantem in messe reperisset, purgandumque Dei causa suscepisset, dignus fuit, qui Dominum Jesum in ægroti forma conspiceret, ut scribit Trithemius;[4] cujus dum nares suomet ore contingit, protinus, quem suscepisset, agnovit; dignus qui audiret a Christo, "Non me erubuisti, serve meus, in miseriis meis, nec te erubescam in regno Patris mei: hæreditas tua mecum est." Ethbinus vero per latera leprosum erigens ita clamabat: "Pater sancte ipsum, quem teneo manibus, et tu ore, Deum Jesum Christum, qui se ipsum dedit pro nobis, esse crede." Viderat quippe cœlum apertum angelosque in ejus occursum properantes. Simile quid scribit de B. Joanne Columbino, cum domum suam curandum leprosum suis humeris deportavit, Bel-

[1] De Monach. inst. c. 30. [2] In reg. c. 36. [3] Matt. 10.
[4] De vir. illustr. Ord. S. Bened. l. 3. c. 43 et 44.

charius in vita. Quid? Quod angelum suum Dominus omni humana ope destitutis ægrotis, qui eis ministraret, interdum misit; ut, quoniam Angelorum est ministrare Christo, mirum videri non debeat, si ægrotis etiam, qui Christi personam referunt, ipsi Angeli famulentur.[1] Certe in vita SS. Patrum legimus ægroto seni in solitudine, ubi ab hominibus nihil habebat auxilii, angelum Dei septem circiter dierum spatio officiosissime ministrasse: cujus visendi gratia cum fratres aliquot accessissent, angelum recessisse; senem vero, narratis quæ ei divina benignitate evenerat, in Domino obdormisse.

Secunda utilitas est, quod ægrotis ministrare, res est ingentis apud Deum meriti.[2] Rogatus enim a sanctis illis patribus quidam, uter e duobus fratribus, quorum alter sex dierum jejunium protraheret, multumque sibi operæ et laboris imponeret, alter vero famularetur ægrotis, gratius Deo opus et magis acceptum exhibere videretur: respondit senex: "Si is qui sex dierum inediam producit, vel per nares seipsum appenderet, nunquam ei parem fore, qui deservit ægrotis." Sed operæ pretium est Bonaventuram audire, quid de hac re sentiat in Stimulo Amoris: ubi sic opinatur,[3] eum qui studiose ministrat ægrotis plus mereri, quam si Christo ipsi ministraret. "Credo," inquit, "sine præjudicio, quod qui sic, ut dictum est, ferventer et diligenter Christo in proximo ministraret pure per Christum, et totaliter tenderet in ipsum, quod plus mereretur et virtuosius moveretur, et a Deo amplius approbaretur, quam si proprio Christi corpori ministraret. Et hoc patere potest: unus enim pessimus homo, si videret Christum in uno lecto, et bene cognosceret ipsum esse, credo non esse dubium, quin ipsi diligenter ministraret: sed ipsi Christo in proximo tanto fervore et diligentia ministrare non posset, non perfectus, ut credo, imo, ut ita loquar, plusquam perfectus. Et ideo toto animi conamine hanc gratiam nitamur habere.

[1] Part 2. § 149. [2] In vit. Patr. p. 2. de charit. [3] Par. 1. c. 9. t. 2.

Quis enim abhorrebit leprosum, declinabit infirmum negliget desolatum, cum in eis videamus Christum? et plus possimus mereri et Deo placere, ut probatum est, quam si ministraremus et ipsi Christo."

Quæ cum ita sint, jure B. Dorotheus existimat eum,[1] qui ministrat ægroto, majore beneficio affici ab ægroto, quam ab eo afficiatur ægrotus, cum tantorum sit causa meritorum.

Tertia utilitas est, ægroti ipsi, cum decesserint, cumulatissimam suis ministris gratiam referre possunt, si hinc in cœlum advolent, ut de religiosis sperare par est, suffragantibus nimirum suis apud Deum, quæ tum plurimum habent virium. Id de senibus et valetudinariis significat sermone quodam B. Augustinus, cum ad eis sedulo serviendum cæteros sic exhortatur: "Diligenter," inquit, "eis et sine murmure serviatur, ut ipsi pro nobis intercedant in cœlis, quorum habitatio jam ibi est."

Scimus etiam B. Francisco inter sylvas oranti visum esse leprosum illum,[2] cui in vita ministrarat, excedentem e vivis admirabili splendore præditum, qui se dicebat ad Paradisi gaudia tum primum evolare, eique pro ministerio multas gratias agebat, plures etiam acturus apud Deum mox futurus. Quo visu beatus vir dicitur incredibili quadam gaudii voluptate perfusus.

Quarta est utilitas, quod nobis postea ægrotantibus alios Deus vicissim excitat, qui eadem nobis sedulitate et charitate ministrent. Ac propterea ita nos Dorotheus hortatur: "Infirmos cura diligenter, et his compatere et miserere, ut sæpe dixi: quo te postea fortassis ægrotante excitet Deus aliquem, qui tibi pio animo ministret et serviat. In qua enim mensura, ait, mensi fueritis, remetietur vobis."[3]

Quinta utilitas, quod qui sedulo ministrat ægris, a multis aliis dæmonum impugnationibus vitiosisque perturbationibus liberatur; ut idem Dorotheus ait, cujus etiam

[1] Ser. 14. [2] Ex actis et vita. [3] Ser. ii. Resp. ad interrog.

verba subjiciam. "Certissimum," inquit, "habe eum, qui cum scientia et cognitione Dei ægroto diligenter deservit ac ministrat, ab impugnationibus dæmonum, et a vitiosis animi passionibus supra modum relevari atque defendi. Novi equidem fratrem quemdam a turpissimo quodam lasciviæ et extremæ concupiscentiæ spiritu acriter oppugnari: et quia cuidam fratri dysenteriæ morbo laboranti diligentissime atque humanissime serviebat, propterea ab impugnatione illa misericorditer liberatum.[1]

Nec non Evagrius de magno quodam scne dicit, quod quidam ex fratribus, cum vehementer noctu phantasmatibus quibusdam et spectris territaretur, indicto illi jejunio, et ut cuidam ægroto fratri ministraret, statim ab hujusmodi eum phantasmatibus et spectris mirabiliter liberavit. Cujus rei rationem rogatus, "Nulla alia," inquit, "re, nulloque remedio ac medicamine hujusmodi vitiosæ passiones ita facile extinguntur, ut misericordia in proximos, præsertim ægrotos." Hæc S. Dorotheus.

Sexta ac postrema utilitas est, quod hoc charitatis officium compendiaria via est ad perfectam sanctitatem atque virtutem. Sanctitas enim tum humilitatis exercitatione, tum mandatorum operatione perficitur: operatio vero mandatorum in hujusmodi charitatis versatur officiis. Ideoque et in his potissimum exerceri Constitutiones nostræ nos jubent, cum aiunt: "Magnopere confert, quo id fieri potest, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et charitas."[2] Atqui duo hæc in ægrotorum ministerio, ut nemo non videt, multo magis quam in cæteris muneribus exercentur. Sane plerosque sanctorum legimus his itineribus perfectionis attigisse fastigium, et hinc sanctitatis duxisse primordia, ut de Bernardino Senensi, Catharina Senensi, Catharina Genuensi, et de B. P. N. Ignatio et S. Xaverio, aliisque etiam antiquioribus notum est. Ut non sine causa videri potest Ignatius noster voluisse eos, qui in Societatis tirocinio probantur, publicis

[1] Ser. 14. [2] 3 par. c. 1. § 22.

valetudinariis ad dies aliquot ministrare, ut et humilitatis charitatisque suæ specimen darent, et hæc spiritualis vitæ quasi prima fundamenta jacerent ac locarent.

Quare cum tot opportunitates et commoda secum afferat diligens ægrotorum ministerium, studere pro se quisque debet, cum huic muneri præpositus est, ut omni cum laude ei præsit, quo verius dici possit magna ægrotorum a nobis cura geri, ut Constitutiones nostræ præcipiunt. Atque hæc de hac Constitutione satis, quæ et ad eos, qui præsunt, et qui ministrant ægris spectat. Restat, ut quemadmodum ferendi sint morbi ex 50 Summarii Constitutione commoneamus.

IN REGULAM SUMMARII QUINQUAGESIMAM.

"Qui ægrotat, humilitatem et patientiam suam præseferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis, qui ipsum invisent et cum eo versabuntur et agent, quam dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam præstare curet, verbis piis, et ad ædificationem facientibus utendo, quæ ostendant ægritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris ac Domini nostri: quandoquidem non minus donum est quam sanitas."

Explicatis jam iis regulis ac Constitutionibus, quæ ad recuperandam valetudinem amissam faciunt, consequens est, ut illud alterum quod initio propositum erat, quomodo ex iisdem regulis ferendi sint morbi breviter explicemus. Ad id autem perscripta est quinquagesima Summarii regula, quæ tum ex Constitutionum examine, tum ex earundem Constitutionum parte tertia sumpta est. Prior enim pars usque ad ea verba "præstare curet"[1] tota ex quarto examinis capite: posterior autem ab eo loco "verbis piis"[2] usque ad calcem, ex primo tertiæ partis

[1] § 32. [2] § 17.

capite tota petitur. Nos quæ duobus separata sunt locis, in unum conjungemus, ut in Summario factum est, eaque unius ejusdemque loco regulæ numerabimus.

Id autem potissimum spectat Regula, ut, quemadmodum sese gerere quoad spiritum debeat ægrotus, ostendat: et dicit cum "ædificatione." Quo loco tria nobis innuit: 1°, ubi hæc ædificatio sita sit; 2°, quanta esse debeat; 3°, quid eam ægro suadeat.

§ 1.—UBI ÆDIFICATIO SITA SIT.

Hanc igitur ædificationem tribus in rebus esse significat, in humilitate, in patientia, in pietate. De primis duabus dicit regula "humilitatem et patientiam suam præseferendo:" de tertia autem illa subjicit, "verbis piis et ad ædificationem facientibus utendo," &c.

Humilitatem præseferat æger oportet, partim erga Deum, partim erga medicos et præfectos, partim erga ministros.

Erga Deum ostendet humilitatem primum si suis peccatis se plecti sentiat, et pœnas merito de se sumi: solet enim sæpe Deus, ut alias diximus, ad expianda peccata, morborum adhibere flagellum. Sancti autem viri, cum in morbis inciderint, suis peccatis, quæ ipsorum humilitas est, eorum causas adscribunt: ut faciebat Job, qui pessimo a Satana percussus ulcere, nulliusque sibi culpæ conscius, Deo tamen dicebat: "Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam."[1] Existimabat enim omnium suorum peccatorum memoriam a Deo diligentissime conservari, ut ea corporis infirmitate curaret. Et alibi dicebat: "Scribis contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ,"[2] et "Usque quo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi, quid faciam tibi, O custos hominum?"[3] Ex quibus locis satis apparet quanta humili-

[1] C. 14. [2] C. 13. [3] C. 9.

tate vir sanctus plagam ferret intolerabilis morbi, cujus causam suis peccatis dumtaxat adscriberet.

Eadem fuit Tobiæ senis humilitas in cæcitate ferenda: "Justus es, Domine," inquit, "et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia et veritas et judicium: et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea."[1]

Quod si hoc viri juxti faciebant, cum ægrotabant, quanto magis id ab eis fieri æquum est, qui ab ea justitiæ perfectione longe absunt, seseque multorum peccatorum reos agnoscunt! Certe Ecclesiasticus, ut supra dicebamus,[2] hoc nobis in morbis consilii dat, ut peccatorum nostrorum memores, cor ab iis humili deprecatione mundemus. "Fili," inquit, "in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te: averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum." Ita igitur primum æger ostendet humilitatem suam. Deinde ostendet etiam suam erga Deum humilitatem, totum se divinæ ejus voluntati tradendo ac committendo: siquidem totius humilitatis summa, si Bernardo[3] credimus, in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut par est, subjecta sit voluntati. Hanc igitur humilitatem ostendit æger, si se totum, inquam, Deo credat atque resignet, omnemque ei morbum tanquam medico cœlesti commitat: qui unus optime novit, quid expediat ægroto, etiamsi secet ut urat. Et huc facit id quod in epistolam canonicam B. Joannis scribit Augustinus:[4] "Disce," inquit, "rogare Deum, et medico committas, quod ipse novit, faciat: tu morbum confitearis, ille medicamentum exhibeat: tu tantum charitatem tene, nam ille secare vult, urere vult. Tu si clamas et non exaudieris in ustione et tribulatione, novit ille, quousque putredo est: tu jam vis, ut revocet manus, et ille vulneris sinum attendit, et scit quo usque permaneat. Non te exaudit ad voluntatem, sed te exaudit ad salutem."

[1] Tob. c. 3. [2] In Reg. 49. [3] De subject. nostræ volunt. p. 178. [4] Hom. 6.

Et hoc est, si verum quærimus, cor rectum habere, et cor ad Deum dirigere, ut idem Augustinus in Ps. 31: "Voluntas autem Dei," inquit, "est, ut aliquando sanus sis, aliquando ægrotus. Si quando sanus es, dulcis tibi est voluntas Dei, et quando ægrotus, amara tibi est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te: et rectum habebis cor." Est igitur in morbis humilitas præseferenda primum erga Deum, tum humiliter ab eo accipiendo flagellum, tum ejus sese subjiciendo voluntati in ferenda vi mali.

Eadem vero humilitas erga medicos, ægrorumque præfectos ostendenda, ad eorum scilicet nutum in omnibus, quæ præscripserint, obtemperando, ut supra dictum est in regulam 49[m], nunquam suo interponendo judicio, nunquam importunius instando; sed in rebus omnibus semper ac sine recussatione parendo, ut dicebamus. Ideo hoc attigisse sit satis.

Erga ministros autem, qui continenter ægrotantibus assident plus etiam humilitatis ostendendum est; quod faciet ægrotus, si se indignum ministrorum ostendet obsequiis, omnique officii mediocritate contentum plura sibi exsistimans impertiri, quam sua merita postulent.

Item si non ut servis, sed ut fratribus, ministris utatur, nihil ex imperio, sed magis precibus cum iis agens, quoties sibi aliquid aut opus fuerit, aut concupierit. Reperiuntur enim interdum aliqui tanta insolentia ac contumacia, ut ministrantibus fratribus, reverentiæ obliti fraternæ, tamquam suis famulis imperant, imo eos etiam increpare et conviciis consectari non vereantur, sicut vocati protinus non accurrant, aut, quod desideraverint, forte neglexerint. Nimirum ingens ista superbia est, et a religiosorum et sanctorum moribus aliena, qui, cum ægrotant, indignos se potius servorum Dei agnoscunt obsequiis, quam ut ea exigant

importune; et ut servi a dominis, sic ipsi a fratribus officia suscipiunt. Quod faciendum Basilius præcipit in Institutis monachorum,[1] ubi interrogantem inducit, quali tandem humilitate debet quispiam in morbo a fratribus obsequium suscipere; ita respondet: "Sicut servus a domino, et sicut ostendit Petrus Apostolus, cum ei Dominus ministraret." Certe de B. Thoma Aquinate id memoriæ proditum est, cum apud Cistercienses in morbum gravem, ex quo nimirum obiit, incidisset (ad eos enim tum forte diverterat, cum ad Concilium Lugdunense Summi Pontificis jussu iter haberet) eorum spectata sedulitate obsequiisque erga suum corpus, magna humilitatis significatione dixisse: "Ecquis ego sum, ut mei unius gratia tot Christi famuli tantos suscipiant labores?" Beatum etiam Laurentium Justinianum legimus, cum ægrotaret ad mortem, nullisque suæ salutis causa parci sumptibus vel laboribus animadverteret; sibique ipsi quodammodo iratum eadem humilitate exclamasse: "Heu quam multi suscipiuntur labores, quantique sumptus fiunt, vilissimi sani causa, cum interim Christi pauperes nec ciborum satis habent ad se alendos, nec ignium vestiumque fomenta ad depellendum frigus, nec subsidium aliquod aliud ad suas ferendas necessitates ac mala?" Hoc igitur animo atque hac humilitate erga ministros affecti esse debent, qui sanctorum virorum vestigia sequuntur, neque religiosi nominis gloria abuti volunt. Atque in hoc primum, ut diximus, ægrorum ædificatio sita esse debet.

Secundo autem in patientia ac fortitudine animi eadem ædificatio ex Constitutionibus versari debet: ut etiam parte 3. cap 1. curandum omnibus esse volunt, ut ex morbis corporis fructum capiant, patientiam magnam habendo et præseferendo.[2] Eademque parte 6. monent, ut appropinquante morte proximi ædificentur saltem exemplo patientiæ ac fortitudinis.[3] Adeo necessariam hanc in ægrotis virtutem judicant ad exædificandos proximos.

[1] C. 30. [2] § 17. [3] C. 4.

Porro patientia hæc tribus potissimum locis declaranda est. Primum in morborum cruciamentis, vel etiam curationum fortiter preferendis. Sunt enim aliqui in morbis etiam non gravissimis valde molles atque effeminati, gemitus ac suspiria continenter edentes, ut videri quodammodo velint se non sine causa decumbere. At viri sancti strenue viriliterque se gerunt, nullum infirmi animi signum edentes, etiam si asperius interdum morborum pungant aculei. Nam B. Xaverium nostrum accepimus cum extremo suæ vitæ tempore graviter ægrotaret, pestiferæque febris jactaretur incendiis, tanta animi æquitate vim morbi tulisse, ut ne verbum quidem ejus exciperetur, aut de gravitate morbi querentis, aut ullam circumstantium opem, ut in morbis solet gravioribus, implorantis.[1]

Patrem autem nostrum Ignatium tanto item supremum morbum dissimulasse silentio, ut prius domestici mortem quam morbi senserint gravitatem: cumque insolita quadam defatigatione langueret,[2] ut eum propemodum spiritus et vita deficeret; tamen sine ullo gemitu ac significatione doloris, nocte ipsa, quam subsecuta mors est, etiam negotia quædam transegisse Collegii. Adeo viriliter contra vim gravitatemque morbi contendebat.

Quid in curationibus perferendis acerbioribus? nonne eadem cernitur in sanctis viris constantiæ fortitudo?[3] ut in Elisabetha Iconangiæ monacha, cujus cum acerbum ulcus corpus pervaderet universum, ne vultu quidem tristitiæ aut ægritudinis signa prodidit.

Stephanum etiam anachoretam, cum ulcus item ei incideretur a medicis, ita vim ferri contempsisse legimus, ut ne ingemuerit quidem. Nam de B. Laurantii Justiniani robore ac patientia in admittenda novacula, quæ strumas exsecuit, supra a nobis est facta mentio.

Sed nolo quisquam putet eos a nobis hoc loco reprehendi, qui in maximis doloribus cruciamentisque morborum non modo gemitus verum etiam clamores et

[1] In vit. l. 1. c. 9. [2] Maff. l. 2. c. 24. [3] Ap. Sigibarbum.

lacrimas interdum edunt: dat enim hanc veniam dolor, sat scio; neque nos stoici sumus, qui cadere in sapientem nolimus dolorem atque ægritudinem. Videmus enim in Sacris Litteris Job patientissimum cum pessimi ulceris perforaretur doloribus in media etiam turba sustulisse clamores: "Mœrens," inquit, "incedebam sine furore consurgens, in turba clamavi;"[1] idemque alibi, "Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caliguerunt, et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus."[2] Quare eos hic dumtaxat admonendos putavimus, qui in his quotidianis notisque morbis parum se viriliter gerunt: ut morborum molestias ferre condiscant, et crebris gemitibus ac lamentationibus temperent; quæ fœminarum potius sunt quam fortis viri. Est enim animi effœminati, ut Basilius ait,[3] in rebus asperis discruciari vehementius: "Nam, ut vermes," inquit, "intra teneriora ligna procreantur, sic ægritudines ac molestiæ mollioribus hominibus innascuntur."

Secundo ostendenda est etiam patientia in ferendis quibusdam incommodis, quæ vel ex inopia rerum ac subsidiorum, vel ex ministrorum inscitia incuriave solent accidere. Præclara autem et in hoc genere nobis videri debet Xaverii nostri patientia, cum gravi morbo æger versabatur in India; ubi nullis ægrotis idonei suppetebant cibi, nullum erat salubre domicilium, nulli peritiores medici, sed humanis subsidiis omnibus destitutus, inita jam hieme in tugurio ventis atque imbribus pervio, febrium conflictabatur ardoribus. Et si quem ex antiquis malumus, Abbas Myragenes,[4] cum sibi ea, quæ ad levandum morbum necessaria essent, ab Archiepiscopo Hierosolymitano mitterentur, belle recusabat, quod diceret, sibi tantum fore satis, si pro se Deum oraret, ut æternos aliquando cruciatus evaderet.

Ministrorum vero interdum incuriam maximo silentio ac sine ullis querimoniis paucis annis ante tulisse S.

[1] Job. 30. [2] C. 16. [3] In Olymp.
[4] Sophronius in Ps. c. 8.

Joannem Baptistam Discatorem singulari virtute præditum complures vidimus et audivimus, ut miraculo prope esset omnibus hominem mediis in angoribus morbi, nihil unquam a ministris poscere, nihil expostulare, nihil conqueri, ut ægroti solent. Solent enim plerique, ut supra significavimus, etiam quorum vita laudabilis videbatur, cum in morbum inciderint, esse morosiores, et in exigendis officiis obsequiisque permolesti querulique, cum aut tempestiva remedia non suggeruntur, aut, qui ministrant, subitis necessitatibus non occurrunt, aut cibi ex animi sententia non apparantur, aut denique obsequii aliquid hujuscemodi forte neglectum ac prætermissum est. Quod quidem vitium maxime cuique cavendum in tertia parte præcipit Noster Pater, cum ait, "Non impatientes et morosos se exhibendo."[1] Et B. Benedictus in suis regulis:[2] "Ipsi," inquit, "infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri, et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi." Beatus etiam Franciscus suos monebat alumnos, ut in ipsis quoque morbis meminisse vellent se esse Fratres Minores: ideoque non ea debere commoda, quæ seculares, velle; alioquin nihil inter utrosque discriminis fore, neque apud Deum meriti plurimum habituros, si ejus gratia incommoda aliqua vel inter morbos tolerare negligerent.[3]

Tertio, præseferenda est patientia in amplectendis non modo æquo sed etiam gaudenti animo occasionibus tolerantiæ, ut crucis Christi videamur amici non inimici; quod item factum videmus a sanctis. Nam de B. Job scribit Polychronius episcopus, eum tolerantiæ exercendæ causa suos cruciatus asperiores voluisse facere, dum testa, hoc est terra igne durata, saniem raderet, et sua sponte asperrimam amplexum esse paupertatem; cumque leniendi morbi nullam rationem duceret, invidum hostem desperatione fregisse. Beatus item Pachomius, cum febri laboraret,

[1] P. 3. c. 1. §. 17. [2] Reg. 36.
[3] Chron. l. 2. 1. par. c. 30.

et frigus accessiset, voluit Theodorus amicus stragula veste (ea erat contexta villis) eum confovere: quod Pacomius nullo modo passus est; sed jussit sibi, sicut et ceteris, vilem dumtaxat imponi stoream. Idemque alia, quæ sibi ad morbum necessaria subministrabantur, sine dubitatione rejecit; quod diceret, forte ex fratribus alios in morbo repertum iri, qui se magis egerent: qui quidem cum sua quisque patienter ferret incommoda, æquum esse, ut sua ipse quoque perferret.

Laurentium Justinianum accepimus, cum septuagenarius mortifero morbo urgeretur, nunquam adduci potuisse, ut molli collocaretur in lectulo; quod æquum esse negaret, ut, cum Christus extremum spiritum duro crucis edidisset in ligno, ipse in pluma et culcitra moreretur: addidisseque B. Martini, cum supremus ejus dies adesset, de christiani morte judicium, christiano viro nisi in cinere et cilicio moriendum non esse. Mitto vetera. Xaverium nostrum scimus, cum in Mozambicii valetudinario in febrim ex laboribus incidisset, nec dum ea penitus recessisset,[1] suo se lectulo sponte privasse, ut in eo, quemadmodum supra diximus, male habentem nautam collocaret. Franciscum Borgiam morbos suos eadem novimus tulisse constantia; imo et augere illorum studuisse dolores, quo meriti seges colligeretur uberior.[2]

Quærunt igitur viri sancti in ipsis etiam morbis undecunque tolerantiæ materiam; oblatam autem gaudenter arripiunt: quod et faciendum nobis est, si patientiæ specimen præbere volumus, et documenta constantiæ.

Sed ad eam adipiscendam obtinendamque plurimum valere poterunt exempla sanctorum; sive eorum, qui in suis morbis patientiam perpetuo tenuerunt, præcipueque ejus cujus est præter cæteras nobilitata virtus, patientissimi, inquam, Job, qui pluribus a nobis infra separatimque in ægrotorum gratiam commendandus erit; sive eorum qui in perferendis pro religione tormentis ac nece singularem

[1] In Reg. 49. [2] In vit. l. 4. c. 5.

præsetulere constantiam.[1] Quod faciebat Pachomii institutor et magister Polemon: qui, cum splenis doloribus ureretur, et rogaretur a fratribus, ut sibi curationis aliquid admoveri pateretur, ita respondebat: "Si Christi martyres alii in frusta concisi et lacerati, alii cæsi capite, alii etiam cremati ignibus, ad extremum usque spiritum pro religione fortiter dimicarunt, cur ego patientiæ præmia parvis cedens laboribus impatienter abjiciam; et desiderio vitæ præsentis affectiones momentaneas inaniter expavescam?"

Diximus de humilitate: diximus de patientia: restat pietas, qua item ægrorum contineri dicebamus ædificationem.

Pietas autem in verbis est cernenda potissimum: sic enim dicit Constitutio "verbis piis et ad ædificationem facientibus utendo." Quæ autem redoleant verba "pietatem," ipsa explicat Constitutio, cum ait: "quæ ostendant ægritudinem acceptari ut donum de manu Creatoris." Quoniam autem ex abundantia cordis os loquitur, necesse est bene prius animo et corde pietatem concipi, ut sibi persuadeat qui in morbo est, morbum ipsum a Deo immitti, quod supra significavi: deinde eam verbo atque oratione significet. Quod faciebat Job: "Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?"[2] Et "Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum;"[3] et "Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam:"[4] plagam quippe corporis sui Deo non diabolo, a quo percussus fuerat, adscribebat. Hoc enim sanctorum virorum proprium est, ut quæ casu ac fortuna vulgo putantur invecta, ea ipsi ad Deum referant, ut Semei maledictum S. David et alii in sacris libris. Quare Augustinus in Psalm 31. cum dixisset: "Voluntas Dei est, aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotus," mox ita subjecit: "Ne dixeris in corde tuo, vere non curat Deus res humanas; nec dicas, hoc mihi diabolus

[1] Vit. Patr. p. l. [2] Job. c. 2. [3] C. 6. [4] C. 27.

fecit : prorsus ad Deum refer flagellum tuum, quia nec tibi aliquid diabolus facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem aut ad pœnam aut ad disciplinam, ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis."

Eandem referendi ad Deum omnia præcipueque morbos nostros pietatem edocet nos Dorotheus ser. 12., ubi et seipsum hujus pietatis exemplum statuit, qui cum podagra laboraret, possetque ad naturales causas confugere, malebat tamen ad Deum morbum suum referre ; et ad extremum ita concludit : "Nihil igitur opus est, ut animum quis despondeat atque dejiciat in his, quæ contingere solent, sed omnia, ut modo dixi, ad Dei voluntatem et providentiam referat." Est igitur pietas filiorum de clementissimo illo patre sic existimare, plecti se ad disciplinam cum ægrotant. Hoc autem quid nisi donum esse dicamus, et de manu Domini libenter accipiendum, ut infra pluribus ostendemus ?

Sunt etiam pia verba, et ad exædificandum accomodata, quæ aut de Deo aut cum Deo faciunt ægroti, ut videmus item in Job, cujus omnis erat sermo aut de Deo cum tribus disceptans amicis ; aut cum Deo, illum familiariter alloquens tanquam amicus amicum. "Hic enim, cum corpus ejus concerperetur, thesaurum pietatis," ut Basilius ait, "tanquam asylum in mentis recessibus custodivit." [1]

Ejusdem specimen pietatis in verbis præbebat in morbo senex ille apud Dorotheum,[2] qui Dorotheo ipsi ministranti tanquam pro mercede singulis diebus ad vesperam dabat aliquid moniti, salutaris scilicet et divini, ut legenti planum est.

Sed ne domesticum prætereamus exemplum, insignis in hoc genere dicitur fuisse Xaverius,[3] qui "in supremo suo morbo, nunc defixo in cœlum oculorum obtutu, læta fronte ac vultu cum Christo Domino, quasi adesset, colloquens ; nunc psalmorum versus pie admodum usurpans,

[1] Ap. Olymp. Cat. gr. [2] Ser. 4. p. 40.
[3] In vit. l. 9. c. 9.

itemtidem illos iterans voces, 'Jesu fili David miserere mei, Mater Dei miserere mei,' totos dies his aliisque vocibus extrahebat."

Et si quem adhuc antiquiorem malumus; narrat B. Gregorius[1] in Dialogis Servulum paralyticum in mediis doloribus solitum continenter hymnos Deo laudesque dicere; eumdemque audire legentes hospites suos sacræ Scripturæ codices, tanta pietatis assiduitate, ut litteras funditus ignoraret, tamen juxta modum suum sacras litteras perdidicerit. Quantus igitur illorum est tepor, qui cum ægrotant fabellis malunt profanisque rebus, quam piis atque divinis præbere aures! Et ajunt potius exhilarari se magis morboque levari, quam piis religiosisque colloquiis; nec se pietatis studiis in morbo perinde atque in sanitate posse vacare. Quæ tandem est ista pietas, ut in sanitate vigeat, in morbo langueat? Erat is, quem modo dixi, Servulus gravi oppressus morbo, ut "qui nunquam in lecto surgere," Gregorio teste, "vel ad sedendum valebat, nunquam se poterat in latus aliud declinare. Et tamen religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens sacræ Scripturæ codices coram se studiose legere faciebat."

Et de Blasilla Virgine sic Hieronymus:[2] "Vacillabant ægrotatione gressus, et pallentem ac trementem faciem vix collum sustinebat; et tamen aut Prophetam aut Evangelistam semper in manibus tenebat." Ut appareat eos, qui veram solidamque pietatem possident, in gravissimis etiam morbis eam præseferre, neque rem esse ægrotantibus perdifficilem, si cum possint audire profana, aurem etiam divinis accomodent. Sane id religiosis ægrotis omni ratione debet esse provisum, ut consimilibus pietatis studiis fugiant saltem otii pericula, quo abundant. Succurrunt enim memoriæ per hæc otia domesticæ interdum opportunitates, consuetudo propinquorum, villarum amœnitas, et sexcenta oblectamenta vitæ secularis, quibus otiosa mens ægrotorum delinitur, et

[1] Dial. c. 14. [2] Ad Paulam.

quodammodo capitur, ut desipere interdum eis, et gravis videri incipiat ipsa Religio, disciplinæ custodia, paupertatis incommoda, quæ sunt divitiæ religiosorum. At si quis et habendis et audiendis sanctis colloquiis animum assuefaciat, præclare adversus hæc pericula sese muniet.

§ 2.—QUANTUM DEBEANT ÆGROTI ALIOS ÆDIFICARE.

Satis de eo, quod primo loco propositum erat, "Ubinam hæc ædificatio, quam in ægrotis Constitutiones exigunt, sita sit." Nunc de altero, quod deinceps sequebatur, "Quanta esse debeat hæc ædificatio." Maximam autem esse oportere tribus conditionibus ostendunt. Prima est, ut non minus ædificationis in morbo quam in sanitate præbeatur, ex quo sequitur conandum ægrotis esse, ut unumquemque vehementer ædificent. Nam, cum quis recte valeat, naturam facile vincit, et ad exemplum mores suos componit: at, cum ægrotat, sæpe etiam languet exercendæ virtutis studium, et nisi in habitum virtus ipsa conversa sit, natura vitiosa se prodit, et tum demum qualis sit quisque perspicitur. Atque hæc nimirum causa est, cur multi, qui probatæ videbantur esse virtutis, dum recte valebant, postea cum in morbum delapsi sunt, morosiores deprehendantur, et famam probitatis amittant. Ideo quales in morbis inveniri volumus, tales esse conemur, dum integri sumus. Id quod in Job observat Chrysostomus,[1] quem ait idcirco animi fortitudinem et tolerantiam in rebus asperis atque in adversa valetudine præstitisse, quia ad eam se antea, cum bonis omnibus florebat, diuturna meditatione exercuerat: et propterea Christi pugilem sic hortatur: "Exerce te in pælestra; ærumnosos dolores, qui animo obversantur tuo, fer fortiter, ut corporis item possis. Etenim si Job, antequam cum diabolo certamen iniit, non animum exercuisset, non tantopere ex contentionibus clarus ac nobilitatus fuisset," etc. Xaverius quoque noster,

[1] Apud Olymp.

quoniam ad omnem pietatem se instituerat, eandem etiam in gravissimo, hoc est in supremo morbo suo semper ostendit: quippe eadem propemodum faciebat moribundus, quæ sanus facere consueverat, ut in ejus vita scribitur.[1]

Accedit altera ratio cur difficilius sit afflicta valetudine præbere exempla virtutum, quam integra et florenti: quia dæmones, imbecillitatis occasionem nacti, audacius nos oppugnant. Quod Climacus observavit gradu de Discretione, ubi sic scribit: "Non parva nobis vigilantia et sobrietate opus est, cum corpus morbis fatigatur: cum enim nos humi dæmones jacere viderint, nec posse interim per imbecillitatem exercitatione contra eos uti, acerrime tum nos oppugnare nituntur."[2] Atque hæc prima conditio.

Secunda vero conditio est, ut hæc ædificatio, quæ non minor, quam in prospera valetudine præberi debet, non modo iis, qui visitandi ac consolandi gratia ad nos accedunt, verum etiam iis ipsis, qui familiarius nobiscum agunt, et singulis versantur horis, exibeatur: id quod operosum ac perdifficile est. Nam dissimulare vitium coram iis, qui familiariter te non norunt, quos adhuc vereris et metuis, qui nec sæpe, nec diu tecum sunt, id non magni admodum negotii est: at coram iis, qui te jam norunt, totumque tentarunt, qui tecum semper sunt, quorum tu nec judicia magnopere reformidas, nec offensionem vereris, id demum arduum ac difficile videri debet. Ergo his ædificationem non minorem dum in morbo sumus, quam cum valemus, præ nobis ferre, id solidæ verissimæque virtutis indicium erit, quia tam diu sustineri virtutis simulatio non potest.

Qui autem suos ita fratres, e quibus obsequia suscipit, exædificat, is dignum etiam eorum se ostendit obsequiis, et tales in Institutis monachorum Basilius exigit. Qui, cum ut Domino sic infirmis fratribus offerendum dixisset obsequium, ita deinde subjecit: "Expedit autem ad conservandum hujuscemodi affectum in obsequiis, ut et hi, qui obsequia a nobis suscipiunt, tales sint, quibus merito

[1] In Vit. l. 9. cap. 9. [2] Ser. 26.

deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos, qui præsunt, curam gerere, ut ne ii, quibus ministratur, tales sint qui carni indulgeant et ventri, sed potius in amorem Dei et Christi ejus probabiles inveniantur, et per patientiam suam ac vitæ meritum fratrum mereantur obsequia, ut habeantur ad gloriam Christi et opprobrium zabuli, sicut fuit et S. Job."[1] Eandem requirit in ægris ædificationem B. Benedictus, cum ita scribit: "Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri, et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi."[2]

Tertio conditio est, ut hæc ædificatio tanta sit, ut eam æger ferendi morbi alacritate testetur. Tanto enim gaudio vim morbi suscipi Constitutiones volunt, ac si de manu Domini donum aliquod susciperetur. Quod item viros sanctos fecisse legimus, ut B. Myrogenem, cum aqua intercute laboraret, qui Patribus anachoretis se convisentibus dictitabat: "Orate pro me, fratres, ne interior homo hydropicus fiat: ego enim ut in hac infirmitate diutius durem, Deum oro."

Et S. Barnabam Anachoretam, qui festucam arundineam pedi infixam non modo sibi detrahi, sed ne videri quidem a medicis curationis gratia passus est, ut alibi diximus; cumque pes in dies putresceret, illud habebat semper in ore: "Quo magis homo vexatur exterior, eo magis viget interior."

Servulo etiam, de quo supra diximus, scribit Gregorius, semper curæ fuisse, ut in morbi doloribus gratias ageret. Quod faciendum etiam præcipit Augustinus in Psalm. 31: "Bene tibi est in sæculo, benedicatur Deus, qui consolatur; affligeris in sæculo, benedicatur Deus, qui emendat et probat."

Et in cœlo vidit quidam sanctus Pater, ut vitis Patrum legitur, quatuor hominum genera ordinibus distincta quaternis, quorum primus eorum erat, qui in ipsis morborum cruciatibus Deo gratias agerent tanquam pro collato sibi

[1] C. 30. [2] Reg. c. 36.

aliquo munere ac dono; ut facile possit intelligi, et quo apud Deum loco sint, qui morbos suos cum gratiarum ferunt actione, et quanti sit muneris, ut mox dicemus, ipsa corporis afflictatio.

§ 3.—ÆDIFICATIO AB ÆGROTIS QUA RATIONE SIT PRÆSTANDA.

Restat igitur tertium ac postremum, quod Constitutio nobis innuit, quid ad hanc ædificationem ægrotum inflammare queat. Id autem est, dignitas divini muneris, quæ adversa valetudine continetur, quia non minus, inquit, donum est quam sanitas. Verissima sententia est, et magni Gregorii auctoritate firmata; qui in Pastorali suo sic ægrotos præcipit admonendos: "Admonendi sunt ægri, ut considerent, quanti sit muneris molestia corporalis, quæ et admissa peccata diluit, et ea, quæ admitti poterant, compescit; quæ sumpta ab exterioribus plagis concussæ menti pœnitentiæ vulnera infligit."[1]

Sed, ut, quanti sit muneris ægrotatis, pluribus explicemus, sciendum est ex B. Hieronymo[2] tribus ex causis corporis morbos accidere. Aut enim ex tentatione, ut Job et Tobiæ: aut ex peccato, ut Asaph regi, et ei cui dicitur in Evangelio, "Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:" aut ex aliqua intemperantia, ut Timotheo, et his qui jubentur medicum honorare. Undecumque igitur morbus oriatur, semper est Dei donum, et in beneficii parte numerandus. Nam si ex tentatione: idcirco donum est, tum quia materiam meriti coronæque suppeditat, tum quia occasionem præbet nostræ hominibus declarandæ virtutis. Quod utrumque observare licet in Job, cui et ingens meritorum ac coronarum seges et magna apud homines gloria, tentatio morbi fuit: de quo Chrysostomus, "Vidisti," inquit, "quanto sit frugi hominibus paupertas quam divitiæ, morbus quam valetudo,

[1] Past. p. 9. adm. 13. [2] In 1. ad Corinth. c. 9.

tentatio quam pacata vita tum melior tum utilior? quantoque illos, qui in pulvere acieque versantur, clariores fortioresque efficiat?"[1] Et mox de Satana, qui pessimo illum percussit ulcere, "Postquam," inquit, "latera undique perfodit, ipse quidem nullum quæstum, nullumve lucrum fecit: nec enim thesaurum obrutum prædari potuit; nobis vero illum in clariore luce collocavit; fecitque ut nobis ex ea laterum effossione esset in viri interiora prospectus, illiusque opes universos cerneremus." Quæ quidem pluribus in Olympiodoro prosequitur.

Sed objicies: non omnes ex tentatione proventum; multi enim, cum morbo tentantur, tentationi succumbunt, minimeque se patientes et constantes ostendunt. Et Climachus[2] de Discretione docet, nonnullos ex iis qui morbo affecti sunt, blasphemiæ, alios acediæ, perpetuique mœroris, quosdam gastrimargiæ ac fornicationis spiritu perurgeri. Imo B. Gregorius, cum ad Episcopum Marianum scribit, ejus apud Deum preces implorat, ut percussionis suæ erga se flagella propitius mitiget, et patientiam tolerandi concedat: "Ne nimio," inquit, "quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, et quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure." Quod si hoc tantus vir, quid facient imbecilles necdum usquequaque perfecti!

Accedit quod Satanas, nostræ nactus imbecillitatis occasionem, ut supra diximus, audacius id temporis nos oppugnat. Præterea videmus aliquos, cum ex morbo convaluerint, evasisse deteriores, molliores, et in suum corpus indulgentiores; eosdemque cibis ægrotantium delicatioribus assuetos respuere mox communes, et quærere lautiores: nonnullos etiam metu novi morbi ab usitatis pœnitentiæ studiis cæterisque pietatis exercitationibus revocari, et suis corporibus parcere. Quomodo igitur donum Dei est ipsa morbi tentatio?

Respondeo, nostro id fieri vitio, ne fructum ex tenta-

[1] Hom. 9. ad Pop. Ant. et in Cat. Gr. [2] Gr. 26.

tione capiamus. Non enim, quia Dei donum in nostram convertimus perniciem, idcirco desinit esse quod est. Immittit Deus morbum, ut virtutem, quam coronet, exerceas, patienter humiliter pie vim morbi ferendo : sed tu certamen abnuis, tu palæstram subterfugis, unde alii sibi coronam texunt, et in languore corporis langues animo. Quid mirum ergo si Dei beneficium non agnoscis, et lucri tempus de manibus labi pateris? Recte igitur Chrysostomus admonet, ut in ipsis quoque morbis pugnemus ac dimicemus, neque unquam arma de manibus deponamus.[1] "Dum in terris," inquit, "degimus, nunquam respiremus, sed semper in pugillatione versemur : maxime vero cum morbi calamitate tentamur, quando dolores animum pervellunt undique, quando cruciatus obsident, quando diabolus imminet, ad aliquid de Deo loquendum asperius."

Nec vero quia satanas imbecilli corporis occasiones aucupatur, ita ut viros etiam sanctos in desperationem agere moliatur, idcirco plus habere poterit in nos virium, quam ei permiserit Deus. Fidelis enim Deus est, qui non permittet nos tentari supra id quod possumus, ut possimus sustinere : præsertim quod in ipsa corporis imbecillitate non lacertis ac viribus, sed humilitate ac fide contra diabolum pugnandum est. Decumbebat ex gravi morbo tertium jam mensem abbas Cilex Alexander,[2] paucisque ante diebus, quam e vita migraret, andiebatur his senex diabolum increpare querelis : "Ad vesperam venisti, miser; hoc magnum non est; quoniam lectulo devinctus sum, et moveri loco non possum. Ostendisti miserrime imbecillitam tuam : nam, si quid haberes roboris, nec tu quinquaginta aut sexaginta annis ante ad me venisses ; et ego per confortantem Christum tuam tibi imbecillitatem ostendissem, dejecissemque rugitum tuum et tumidam istam cervicem. Nunc autem non mea imbecillitas est, sed infirmitas corporis, quæ me premit : Deo tamen ago gratias, ad quem mox abeo, quod de

[1] In Olymp. Cat. gr. [2] In Prat. spir. c. 182.

tua cum illo expostulato injuria, qui post tot annorum labores, totiusque corporis defatigationem, exeuntem me de corpore tam atrociter invasisti." Pugnabat igitur imbecillissimus æger contra valentissimum hostem, animi non corporis robore, spe ac fide in Deum, non lateribus ac lacertis; et ejus haud dubie victoria fuit; sicut et nostra sine dubitatione futura est, si eadem in morborum languoribus arma sumemus. Ubi vero convaluimus, imitandi sunt viri sancti, qui cum ex morbo convalescerent, nec dum plane valetudinem recuperassent, ad pristina se pietatis ac pœnitentiæ studia majore etiam contentione referebant, ut N. S. Ignatius et B. Franciscus et alii, ut in eorum vita legimus.

Donum igitur Dei est, cum ex tentatione morbus accidit, etiam tum cum minus illum sedate tranquilleque ferimus. Nam si non aliud, hoc certe ex eo lucri tandem facimus, quod nostras vires melius agnoscimus, et ex his levioribus tentationibus conjecturam facimus de animi nostri mollitudine in ferendis gravioribus ac atrocioribus malis: simulque aliis compati et condolere discimus, nostræ jam testes infirmitatis ac mollitudinis. Est igitur Dei donum, si ex tentatione morbus accidat.

Secundo: si vero ex peccato morbus oriatur, etiam tum Dei donum est, et quidem non minus puam sanitas. Basilius in Psalm 49. "Est morbus," inquit, "sæpe utilis, qui peccantem castiget, et rursus sanitas noxia, cum peccati instrumentum possidenti fuerit." Cum autem flagellat nos in hoc sæculo Deus, multifariam suum in nos ostendit amorem. Primo quidem, quia idcirco flagellat, ne filiorum hæreditate nos privet. Gregorius in Pastor.[1] "Admonendi sunt," inquit, "ægri, ut eo se filios Dei sentiant, quo illos disciplinæ flagella castigant: nisi enim correctis hæreditatem dare diponeret, erudire eos per molestias non curaret. Hinc namque ad Joannem Dominus per Angelum dixit.[2] 'Ego, quos amo, arguo

[1] 3. par. adm. 13. [2] Apoc. 3.

et castigo:" hinc rursum scriptum est:[1] "Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit."[2] Ideo et Augustinus in Psalm 31.: "Ne te," inquit, "sine flagello futurum speres, ne forte cogites exhæredari:" flagellat enim omnem filium quem recipit. Hoc cum vir quidam sanctus ex priscis illis patribus,[3] qui quotannis ægrotare consueverant, attente perpenderet, cœpit animo angi ac discruciari, eo quo non ægrotaverat anno; quod se a Deo relictum diceret, nec de more visitatum: tanti faciebat hoc Dei donum.

Deinde ostendit Deus amorem suum, quia per morbi flagellum non solum admissa peccata diluit, ut ex Gregorio superius dicebamus, verum etiam ea, quæ poterant admitti, compescit. Quod significavit Apostolus Petrus, cum Tito interroganti, cur, cum omnes curaret ægrotos, filiam tamen suam Petronillam febribus exagitari pateretur, respondit, quia sic ei expedit: videbat enim ob eximiam ejus pulchritudinem animæ periculum adituram, si recte valeret. Et in B. Thomæ Cantuariensis vita legitur, cum quidam ad ejus sepulcrum depellendi morbi causa se contulisset, morbumque ipsum depulisset, postea cogitantem an ea morbi liberatio in rem animi foret, ad sepulcrum revertisse, orasseque beatum illum, ut quod animæ saluti præstaret, id sibi suis precibus impetraret; continuoque in eumdem morbum recidisse.

Postremo, suum in nos declarat amorem Deus, quia licet peccatorum et culpa et pœna æterna, quæ filiorum hæreditate nos privant, remissa sint; tamen per morbi flagellum purgat nos in hoc seculo Deus, ne purgat in futuro. Quod quidem duplici ratione magnum Dei munus est: tum quia morborum cruciamentis Purgatorii cruciatus evadimus, qui cum illis nullo modo conferendi sunt; scimus enim B. Gregorium totum vitæ tempus ægrotando maluisse traducere, quam ad unam atque alteram horam igne pur-

[1] Prov. 3. [2] Hebr. 12. [3] In vit. patr. p. 2. §. 148.

gante torqueri: tum quia hujus vitæ pœnæ non solum satisfaciendi verum etiam merendi vim habent. Purgatorii vero pœnæ nihil habent meriti; totæ sunt ad cruciandos atque expiandos spiritus institutæ: terminatum quippe est eorum merendi tempus, hujus vitæ curriculo jam confecto. Hoc horrebat Franciscus noster Borgia,[1] cum pœnas illas purgantis ignis merito omni vacuas revocabat in mentem, ajebatque hoc se potius nomine eas reformidare, quam quod atroces et peracerbæ sint. Quare etiam tum Dei donum est, cum ex peccato morbus immittitur.

Tertio: si autem ex intemperantia morbi gignuntur, etiam tum dona Dei sunt. "Volens enim benignus Deus," Basilius[2] inquit, "ostendere, quantum malum sit seipsum non cohibere, permittit sæpenumero animam incidere in ea, quæ corpus lædunt, et corpus affectione incontinentiæ occupari, ut queat per morbum corporis, quem sustinet ex incontinentiæ vitio, in sensum venire proprii mali, et ad servandam in omnibus continentiam induci." Hæc Basilius. Sunt igitur, permittente Deo, dona ejus, quatenus morborum malum vertit in bonum. Et quidem multos vidimus, qui cum ex intemperantia in graves diuturnosque morbos incidissent, ad frugem sobrietatemque se retulerunt. Imo in ipsa morborum conflictatione complures continentiam meditantur, animumque tandem inducunt, si convalescant, vivere temperantius, blandisque voluptatibus abstinere. Nec modo, qui ex ventre gignitur morbus, ventris dumtaxat curat insanias, sobrietatemque solis edocet in conviviis, sed etiam in reliquo usu bonorum, quæ præsens vita suppeditat, moderatos temperantesque nos facit, ne eorum allecti dulcedine æternorum obliviscamur. Admonet etiam nos morbus conditionis nostræ, humanæque imbecillitatis, qui perlevi momento frangimur et conterimur: qua ex re cognitio sui ipsius et humilitas oritur. Hinc Gregorius,[3] "Considerent," inquit, "ægri,

[1] In vit. l. 4. c. 9. [2] In reg. brev. reg. 14. [3] Past. 3. par. adm. 13.

quanta salus cordis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, ut quam plerumque salus abjicit, infirmitatis memoria reformat, ut animus, qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus ex percussa, quam sustinet, carne memoratur."

Denique morbi beneficio ante oculos nobis nostros, eodem Gregorio teste, quæ sunt male gesta, reducimus: doloremque concipimus acriorem ex anteactæ vitæ delictis, "quia livor vulneris abstergit mala," ut ait sæpius, "et plagæ in secretioribus ventris:"[1] "Dum enim exterius percutimur," Gregorius inquit, "ad peccatorum nostrorum cuncta, quæ sint male gesta, reducimus, et per hoc, quod foris patimur, magis intus, quod fecimus, dolemus. Unde fit, ut inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreta ventris, quia sanat nequitias pravi operis occultum vulnus doloris."

Quare, cum morbus a Deo immissus, quacumque mittatur ex causa, donum sit munusque Dei, valde id monere nos debet, cum ægrotamus, ad eum cum ædificatione, hoc est, humiliter patienter et pie, ut ex Constitutione jam diximus, tolerandum. Atque hoc demum est, quod postremo loco Regula significabat: de qua jam satis, ut de tota hac, quam instituimus, sive tuendæ sive recuperandæ valetudinis disputatione.

AD MORBORUM TOLERANTIAM PLURIMUM VALERE JOB PATIENTIS EXEMPLUM.

Cum multa ac præclara afferri possunt exempla sanctorum, qui morborum ærumnas fortiter patienterque tulerunt: tum nullum mea sententia excogitari potest aptius quam exemplum sancti Job. Cujus in unius corpus, quæ in omni terrarum orbe sunt aspersæ, ærumnæ universæ, ut ait Chrysostomus, uno impetu quodammodo conspirantes incubuere: ut non sine causa propositus videatur a Deo,

[1] Prov 20.

sicut apud Tobiam sacra testantur oracula, posteris omnibus ad imitandum. Nulla est enim, ut idem Chrysostomus ait, in humanis rebus atrocitas, ad quam non pervenire medicamentum hinc possit. Operæ pretium est igitur, quænam in hujus sancti viri morbo fuerint perpessu dura ac difficilia, singillatim ostendere, quo magis in eis perferendis singularis ejus virtus eluceat.

Duo autem in morbo aliquo spectari possunt: alterum ipsa vis morbi, quæ quidem in Job gravissima fuit; alterum ea, quæ morbo ipsi levationi esse solent, quæ omnia eidem viro sancto defuerunt.

I. Et quidem morbi gravitas ex quatuor præcipue rebus spectari potest: 1°. ex sensu atque acerbitate; 2°. ex horrore ac fœditate; 3°. ex longitudine ac diuturnitate morbi; 4°. ex perpetuitate atque assiduitate doloris.

1°. Acerbitas morbi quanta fuerit ex ipsiusmet Job oratione potest intelligi.[1] "In memetipso," inquit, "marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis; nocte os meum perforatur doloribus; et qui me comedunt, non dormiunt." Qualis autem ejus morbus fuerit non ignoratur. Ulcus quippe a Satana immissum et quidem pessimum fuisse legimus, quod eum pervaserat universum. Sic enim Scriptura dicit: "Percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem;" ut non sine causa iis quas dixi querelis utatur, "in memetipso marcescit anima mea, et os meum perforatur doloribus." Penetrabat enim dolor usque ad ossium medullas, vermesque qui ex ulcere atque ex corrupta cute fluebant innumeri ejus depascentes artus, acerbissimum illiciebant dolorem. Et alibi dixerat: "Oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt artus mei:" et mox "circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, et effudit in terra viscera mea, concidit me vulnere super vulnus." Sed quid mirum? Cum manus dæmonis, ut Chrysostomus ait, "acerbiora sensu doloris, quam quælibet sartago, fornax, et quævis

[1] Job c. 30.

flamma eum absumeret: et quavis fera immanius undique corpus circumroderet ac devoraret:" his verbis beatus vir utitur. Idemque hom. 9. ad populum Antiochenum ait Satanam corpus Job conscidisse atque omnis generis ulceribus perterebrasse. Denique tanta erat doloris acerbitas, et vis cruciamentorum, ut vel summæ gravitatis virum ejulare atque exclamare cogeret in media etiam hominum frequentia.[1] "Mœrens," inquit, "incedebam: sine furore consurgens, in turba clamabam;" vel juxta Septuaginta, "sine fræno steti in cœtu clamans:" quasi dicat, intemperanter et effuse ploro coram multis, qui circumstant, doloris acerbitate vociferans. Quem quidem ejulatum ac gemitum magnitudine doloris expressum aliter extulerat c. 3, cum dixit: "Et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus;" quibus verbis tantum fuisse significat fletum suum, ut inundantium aquarum sonitum imitari videretur. De eodemque, c. 16. "Facies," inquit, "mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt." Ac denique tantis dolorum fodiebatur aculeis, ut se sustinere posse diffideret. "Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam?" ait, c. 6. "aut quis finis meus, ut patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est."

2°. Spectari potest ejus morbi gravitas ex fœditate atque horrore:[2] aiunt enim Job morbo elephantiaco laborasse. Elephantiasis autem idem videtur ac lepra; nisi quod est acerbior, interdumque curationibus mitigata transit in lepram. Et certe pessimum Scriptura illud ulcus appellat, aitque saniem redundantem non manibus aut digitis Job obtersisse, sed testa: ne videlicet, ut putat Chrysostomus, curatio esset stomachosior. Quanto igitur erat horrori, quamque fœdum corpus illud, quod a planta pedis usque ad verticem ulceribus sanieque manabat! eratque vermium fluxio illa perpetua, ut idem Chrysostomus ait, a quibus devorabatur et absumebatur. De his quippe Job ipse loquitur, cum ait:[3] "Qui me comedunt non

[1] C. 30. [2] In Olympiad. [3] C. 30.

dormiunt; in multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxerunt me: comparatus sum luto." Erat enim tanta vermium multitudo e tabifico illo humore manantium, ut pellem suam vel carnem, quam vestimentum appellat, totam consumerent atque immutarent: hebraice enim est: "In multa vi mutatur vestimentum meum, ita ut non pelle carneque, ut antea, sed ulcere et sanie totus, quantus ego sum, contegar." Id quod verbis insequentibus magis etiam explicat. "Et quasi capitio tunicæ succinxerunt me:" hoc est, ut habetur hebraice., "Sicut os tunicæ, quæ collum cingit totumque deinde corpus operit, ita ego totus a collo ad pedes pessima tabe sanieque contegor et quodammodo succingor;" ideo "comparatus sum," inquit, "luto;" nimirum propter ulcerum furfures et porriginem. Id quod ante dixerat, c. 7. "Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris," id est furfuris et porriginis, quæ inter scalpendum decidebat. Ex quibus intelligi potest, quam fœdum esset spectaculum videre sanctum virum sic deformatum, ut oculis horrorem incuteret, et apud omnes redderetur abominabilis. Dicit enim ipse de se: "Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur." Quid, quod ita eum morbus pestilens deformaverat, ut eum tres ejus amici, qui consolandi gratia convenerant, non agnoverint? Idcirco enim non agnoverunt, ut ait Olympiodorus, quia antiquas corporis notas tetra lues obliterarat. Et quidem de se ille dicit: "Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos:" et cap. 30. "Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate," id est, præ ulcerum incendio. Quale igitur corpus illud erat ad hanc maciem coloremque redactum? Augebat horrorem morbi nauseamque gravitas odoris, quæ, ut Chrysostomus ait, erat ipsa peste molestior, ut non mirum si tum fugerent universi. De quo fœtore plura etiam infra.

3°. Spectari vis morbi potest ex ejus longitudine ac diuturnitate: nam diuturnum fuisse saltem ad multos menses plerique consentiunt, et significant Origenes et Chrysostomus;[1] sed non desunt, qui multos annos hanc plagam tulisse Job censeant. In his Olympiodorus, catenæ græcæ ut creditur auctor, qui sane probabilibus nititur conjecturis: assumit autem ad probandum id tanquam certum, Jobi amicos non statim ei accurrisse, cum in eam calamitatem et morbum incidit, sed longo intervallo post. Is igitur ita scribit: "Si quærat quispiam, quamobrem longo intervallo post amici venerunt, intelligat primum quidem eos diversarum provinciarum incolas fuisse ac multo post nuncium fortasse accepisse. Calamitas enim iis præter fidem omnemque opinionem esse judicabatur, ut Job omni ope destitutus jaceret in stercore. Ergo priusquam proficiscantur, expectant, dum res, quæ ad eorum aures affluxerat, multorum sermonibus confirmetur. Neque antea certos homines mittendos, neque sibi discedendum statuunt ad facti veritatem explorandam. Interim conterebatur tempus. Adde quod postquam de re ipsa dubitandi nullus est locus relictus, iidemque reges essent, et de profectione cogitarent, fuerunt illis in primis res constituendæ domesticæ, regendisque iis, qui erant in imperio alii præficiendi, qui juris ipsorum vicarii essent. Quæ quidem omnia illis ipsis moram injecerunt. Quod nisi tum caritatem tum justitiam magnopere coluissent, nunquam provinciis suis regnisque relictis ad Job visendi causa properassent; sed per alios potius suo muneri ipsi satisfecissent. Cogitare illud item possumus divino factum esse consilio, ut diutius traheretur profectio, quandoquidem in amicorum disceptatione ex divino decreto certamen omne conquievit, Deo justum in integrum restituente et coronante. Ad Dei quoque decretum spectabat illa procrastinatio, ut morbi calamitas et fama latius permanaret: virtusque certantis justi præconiis celebraretur." Quibus

[1] Hom. 9. ad pop. Antioch.

quidem rationibus conjectat Olympiodorus, multos Job annos morbi plagam pertulisse. Idemque ratiocinatione quadam efficit septem illos fuisse annos : nam in postremo capite sacræ Literæ juxta Septuaginta sic habent : "Vixit autem Job post plagam centum septuaginta annos ; omnes autem anni, quos vixit, ducenti et quadraginta octo." Ex Athanasio autem scimus Job, cum primum a Satana percussus est, septuagenarium jam fuisse. Quibus positis ita ratiocinatur. Videtur magnus Job septem ipsos annos plagæ acerbitatem tulisse : quorum idcirco est numerus prætermissus, quia ex ea annorum summa, quos vixit justus, merito excerpendi videbantur : cum ærumnosa vita mors sit potius existimanda quam vita. Etenim si post detractam calamitatem Job duplicata omnia fuerunt, quin anni quoque duplicati sint, dubitari non debet. Vixit igitur post depulsam ærumnam centum septuaginta annos ; summa autem annorum universa ducenti quinquaginta quinque. E qua quidem summa detracti sunt septem, ut arcanam temporis rationem, quo est mala perpessus, intelligeremus. Quare Olympiodori sententia septem Job annos acerbitatem plagæ dicendus est pertulisse : tanta ejus morbi diuturnitas fuit.

4°. Perpendi potest gravitas morbi ex perpetuitate atque assiduitate doloris ; cum nulla est intercapedo molestiæ, nulla dantur intervalla quietis. Ut Job quidem de se ipse dicit, c. 7 : "Noctes laboriosas enumeravi mihi ; si dormiero, dicam, quando consurgam ? et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras," id est, assidue et continenter. Et idcirco vicissitudinem lucis ac tenebrarum optat ; ut solent qui graviter ægrotant, si forte sit aliqua levatio doloris. Et idem mox : "Si dixero, consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties:" quasi dicat ; si ad quietem lectumque me conferam, nonnihil sperans de sensu doloris per quietem me ablaturum, ecce tibi formidolosa continuo

somnia, qualia graviter ægrotantibus accidere solent; ita ut nec vigilans nec dormiens levationem aliquam invenire queam. Et cap. 30: "Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie." Vehementi enim oppugnatione defatigatus erat, ut ait Chrysostomus, nec ulla erat ei respirandi facultas. Perpetua igitur erat et continens vis doloris, assiduus cruciatus, ut non sine causa mortem sibi frequenter optet, ut cap. 7. "Quamobrem," inquit, "elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea;" ut quæ nullam partem quietis habere poterant nec diurnæ neque nocturnæ. Ex his igitur quatuor perpendi potest gravitas morbi, quo justus hic affligebatur: sed nulla reperietur oratio, ut ait Chrysostomus, quæ illorum ulcerum atrocitatem vulnerumque acerbitatem consequi possit. Etenim ad plagæ magnitudinem, ut idem ait, declarandam satis sit, auctorem, qui illam inflixit, ejusque effrœnatam libidinem perspexisse.

II. Sed de vi ac natura morbi satis. Dicamus deinceps, ut propositum erat, de iis quæ morbo levationi esse solent: quæ, ut diximus in Job desiderata sunt omnia. Ea autem fere sunt quatuor: 1^m^. domicilium et salubre conclave: 2^m^. cultus vestitusque ratio: 3^m^. victus et alimenta: 4^m^. solatia ægritudinis ac tristitiæ. Quæ, inquam, viro justo abfuerunt omnia. Caruit enim conclavi, quia ne pusillum quidem ei tectum dabatur ad solatium, ut Chrysostomus ait, sed pernoctabat sub dio. Depravatio enim illa et fœditas turpificati corporis, ut Polychronius episcopus scribit, civitate ejectum foris collocarat. Nam qui contagione lepræ corrupti erant, e cæterorum convictu extrudebantur. Apollinarius affert etiam aliam causam, cur extra domum suam, imo extra urbem sub dio ageret sanctus Job: quia, cum invisum, inquit, se cunctis crederet, solitudinem delegit sedens in sterquilinio; quod in conspectu urbis erat. Chrysostomus adhuc aliam et meliorem affert: Cur sub dio? inquit; ne odoris gravitate necaretur. Quod profecto accidisset, si in aliquod cubiculum inclusus

fuisset. Idemque statim subjicit aliam rationem : quia a tentante adversario nec fuerat illi domus relicta. Sunt qui moralem etiam causam adscribant, ut is, quem primum nominavi, Polychronius. Ut majore, inquit, perpessione doloris Deum sibi placatum efficeret. Quare quinque a SS. Patribus rationes, cur tecto cubiculoque careret, afferuntur. Secessisse autem illum extra civitatem, etsi Latinorum Scriptura non exprimit, in quibusdam tamen Græcis codicibus, et a Septuaginta his ipsis verbis exprimitur : ἔξω τῆς πόλεως extra urbem. Sedebat, inquit, in sterquilinio extra urbem : ut jure queratur struthionum se socium esse. " Frater," inquit, "fui draconum, et socius struthionum," c. 30. Eademque de causa nigrum se contraxisse colorem, cum in sole ut sub dio semper ageret : " Cutis," inquit, " mea denigrata est super me; et ossa mea aruerunt præ caumate." Quanquam etiam propter vim tabifici morbi denigrata cutis ejus erat, immoderatumque ulceris incendium (id enim est cauma) quo sua ossa aruisse dicit.

DE CULTU CORPORIS.

Hactenus de habitatione et loco ubi agebat et pernoctabat ægrotus. Cultus vero corporis qualis tandem fuit? Is tribus potissimum rebus contineri poterat : 1^m^ tunica aliqua interiore, quam in ipso quoque lectulo gestant ægroti : 2^m^ fasciis, quibus vulnera et plagæ alligarentur, medicamentisque delibuta membra devinciret : 3^m^ lecto ipso cubiculari, ubi imbecillimus conquiesceret. Jam quæ tunica aut qui amictus esse poterat viro sancto, qui propter plagas totius corporis amiciri non poterat? " Induta est," inquit ipse, " caro mea putredine ; " nullum autem ei erat, præter putredinem indumentum. Qua de re Chrysostomus: " Quid Job," inquit, " factum est unquam egentius? qui et illis, qui projiciuntur in balneum, et qui in camini cineribus dormiunt, ac cunctis denique hominibus spoliatior erat? hi enim habuerint fortasse vestem laceratam ; hic autem nudus residebat, et quam a natura vestem acce-

perat, quæ corporis esset operimentum, hanc diabolus putida et intoleranda lue usquequaque concerpsit." Quare cum Job totus, quantus erat, ulcus esset, quali tandem veste amiciri poterat, quæ non pariter cum pelle putresceret? Tanta enim sanies erat, ut liquefaceret glebas terræ; ut dicit ipse, c. 7. juxta editionem Septuaginta. Illud enim: "Et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est," verterunt illi; "Liquefacio glebas terræ de sanie radens."

Eademque de causa alligari vulnera ejus, quæ perpetua sanie fluebant, nequaquam poterant: unum enim erat per totum corpus pertinens vulnus, unum et idem ulcus. Quibus igitur fasciis alligaretur, quæ perpetuo putrefactæ marcore essent identidem commutandæ? quæ non unum aut alterum membrum, sed simul omnia, et universum corpus devincirent? quæ autem medicamenta, nisi testa, idest terra cocta, atque igne durata, qua saniem ipsam radebat?

Lectulus porro qualis fuit? certe non aliud, nisi sterquilinium. Sic enim ait Scriptura: "Saniem radebat sedens in sterquilinio." De qua sessione Chrysostomus: "Nova nec audita sessio illa fuit: nemo enim est adhuc inventus, qui inopia coactus in stercore domicilium perinde habuerit semper sub dio, ut ille habuit." Idemque supra in hæc ipsa Scripturæ verba sic ait: "Sed cur in sterquilinio sedebat? ut, quæ e corpore decidebant, arenæ contegerentur acervo." Et hom. 9. ad populum Antiochenum: "Hunc igitur athletam vestris animis informate, illudque sordium domicilium ante oculos ponite, atque eum in mediis stercoribus residentem intuemini." Talis igitur erat cultus corporis, talis ægroti vestitus. Victum videamus.

DE VICTU.

Is tribus item rebus circumscribi potest: fame, mensa, ministris. Fames illa quidem erat ingens: sed quo hæc major et intolerabilior, eo tormentum acerbius, non posse

illam exsaturare. Cujus rationem affert Chrysostomus: "Corpus," inquit, "paulatim discerpebatur, tantaque lue tabescens, cibos efficiebat insuaves; mira nec opinabili fame cruciabatur, cum nec ejus, qui ministrabatur, cibi potiundi daretur facultas." Idcirco autem non poterat parata mensa potiri, ut de mensa simul et fame dicam, quia gravis qui e corporis ulceribus manabat odor, cibi cupiditatem omnem extinguebat, ac nausea mensam reddebat infestam. Hoc est, quod dicit ipse juxta editionem Septuaginta: "Fœtorem video cibos meos, sicut odorem leonis;" ubi editio Vulgata sic habet: "Præ angustia cibi mei sunt." Sed B. Augustinus in Job annot. ita legit: "Fœditas escas meas video, sicut est odor leonis." Porro leo, ut Chrysostomus ait, mirandum in modum tetri odoris est. "Cum enim," inquit, "sit natura insatiabilis, alia quadam ratione eam fecit Deus cæteris bestiis flagitiosiorem. Ferunt etiam hujus ipsius bestiæ cibi reliquias a cæteris animantibus respui omnino: id ob gravem in eos inspiratum odorem, qui ex illius corpore exhalatur." Hæc Chrysostomus; qui et illa quoque subjicit, quæ ad mensam famemque pertinent: "Quis igitur inusitatam illam atque inexplicabilem famem unquam oratione prosequatur? eandem voluntariam et coactam? Nam quo eam appellem nomine non invenio, nec vocabolum occurrit, quod in genus calamitatis paradoxum queam accommodare. Et a mensa quidem apposita abstinebat, et, qui sub oculorum sensum subjecti erant, cibos non attingebat; propterea quod gravis, qui e corporis ulceribus manabat odor, illi occursans, cibi cupiditatem omnem extinguebat, ac nausea mensam reddebat infestam. Quod ipsum significare cum vellet, dixit: Fœtorem video cibos meos. Atqui famis necessitas manus in mensam porrigere plane cogebat: fœtor autem intolerabilis, qui mittebatur e corpore, vim famis facile superabat. Ergo ob id ipsum, ut dixi, famem illam voluntariam, coactamve appellem, haud est mihi satis constitutum. Nam quì voluntaria videri possit, cum cibos

paratos cuperet degustare ? quì etiam coacta, quando cibaria aderant, nec quisquam prohibebat ?" Ex his igitur intelligimus et famem et mensam ei fuisse tormentum, non levationem.

Sunt qui interpretantur saniem ei fuisse pro mensa atque cibis ; et propterea ita queri : "Numquid potest comedi insulsum quod non est sale conditum, aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem ?" quasi dicat : Ego etiam clamo, quia cibo egeo ; sicut cum rudet onager cibo carens ; quoniam licet apponatur mihi, tamen jucundus non est, imo mortiferus, quique mortem gustanti afferat. Et mox : "Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt :" quasi dicat, non solum gusto rem insulsam atque mortiferam, sed etiam angustia compulsus, nullo in tanta angustia cibo alio vescor præter eum, quem antea vel ipse contactus horrebat. Saniem autem cibum suum vocare interpretes quidam existimant, quam ne manu quidem audemus præ horrore contingere : ac propterea jure illud ab eo dici poterat, "Antequam comedam suspiro," c. 3., ipsa enim cogitatio capiendi cibi permolesta illi erat et crucis instar. Hujus igitur generis et fames et mensa viro sancto proposita fuit, cum tali versabatur in morbo.

Ministros vero quales fuisse putamus sive ad epulas, sive ad alia, quæ necessaria sunt ægris, porrigenda paratos? certe nullos ; hoc enim ipse deplorat, cap. 19 : "Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me : et quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi et non respondit : ore proprio deprecabar illum ; halitum meum exhorruit uxor mea." Quales igitur ægrotantem habuisse ministros credimus, qui ne conjugem quidem suam habere potuit ferentem se ? Quomodo ei ministrabat uxor ejus, quæ ejus halitum exhorrebat ? Jure igitur et illud dicat : "Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet : vociferabor, et non est qui judicet." Acerbissima quippe erat illi vita, quam nulla aut perexigua victus opportunitas sustentabat.

DE ÆGRITUDINE AC TRISTITIA S. JOB.

Nulla enim fuerunt vel externa vel intestina consolationum fomenta, quibus tanta vis morbi mitigari posset. Non externa: quia hæc aut ex rerum copia et abundantia, aut ex necessariorum propinquorumque subsidio, aut ex salutantium et intervisentium petuntur officiis. Rerum copia et facultatum, quibus levare aliquantulum miseriam suam possit ægrotus, consolationis haud dubie plurimum affert: at hæc omnis erepta erat viro sancto. Scimus enim Satanam omnem ejus perdidisse substantiam, momentoque bonis eum omnibus spoliasse. Qua ex re tristitiæ mœrorisque vir dupliciter angebatur: partim quidem, quia cum maxime egebat, tum potissimum bonis omnibus spoliatus est: partim, quia memoria præteritarum divitiarum et superioris gloriæ eum vehementer angebat. Res est enim miserrima homini calamitoso fuisse felicem. Idcirco ita queritur, c. 16. "Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum;" et cap. 19. "Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo;" et c. 29: "Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris;" et mox: "Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei." Ubi perpendes gregum et armentorum copiam, ex quibus butyrum colligebat: itemque olei abundantiam. Magna igitur ei erat ægritudinis et tristitiæ causa superioris recordatio fortunæ, prosperæque ac florentis cum afflicta atque jacente miserabilis commutatio. Non ergo ab opibus, quæ nullæ jam erant, solatia petebantur. At ne a necessariis quidem atque propinquis: quoniam ipse dicit: "Ecce, non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me;" quod planius etiam cap. 19. "Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me: dereliquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, obliti sunt mei." Imo conjux

ipsa, ut supra diximus, non modo ulla viri miseratione tangebatur, sed ejus halitum exhorrebat. Quid? quod etiam convitiis proscindebat, simplicitatemque illi suam exprobabat, et, quod deterrimum est, ad odium contra Deum exstimulabat. "Benedic," inquit, "Deum, et morere." De qua Gregorius Theol.: "Cum esset," inquit, "Job insanabili invisaque plaga cruentatus, habebat conjugem, quæ ad solandam calamitatem tetriora quædam adhibebat; exulcerato enim corpore, animum quoque exulcerare magnopere nitebatur." Et Chrysostomus: "Quæ conjux," inquit, "erat, diabolo efficitur telum, dumque diabolo linguam commodat suam, in virum sagittas contorquet." Cujus stultæ fœminæ longiores querelas apud Septuaginta videre licet, c. 2. in catena græca. Quæ quidem omnia vehementer ægritudinem mœroremque patientis amplificabant. De intimis quidem ille ita conqueritur: "Abominati sunt me quondam consiliarii mei; et quem maxime diligebam, aversatus est me," cap. 19.

Quid de solantium dicemus officiis? numquid ab eis solatii aliquid hauriebat? numquid eorum misericordiam non desideravit? Certe tres amici ejus reges insultabant ei, ut dicitur Tobiæ 2., licet condixisse dicantur, "Ut pariter venientes visitarent eum et consolarentur:" quid enim ipse dicit, cap. 16? "Consolatores onerosi omnes vos estis;" et c. 19, "Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus: en, decies confunditis me, et non erubescitis opprimentes me." Et; "Nempe etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea: at vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis." Et infra, valde misericordiam eorum desiderat: "Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?" Carnibus autem saturabantur, quia cum dolores ejus mitigare solando debuissent, maluerunt augere convitiis: quod detestandum crudelitatis est genus. De iisdem amicis ille dicit, c. 6. "Venerunt quoque usque ad me, et

pudore cooperti sunt. Nunc venistis: et modo videntes plagam meam timetis."

Nihil igitur ex solatiis erat externis, quod ejus ægritudinem mitigaret. Ac ne ex interioribus quidem, quæ tria esse poterant. Primum: conscientia recte factorum, et vita anteacta, quæ quam laudabilis fuerit ipsemet locupletissimus testis est, c. 31. Sed hinc potius ægritudinis vis augetur, cum injuria se quispiam videt affligi, ut Chrysostomus ait: contra vero vis doloris obtunditur, cum is qui pœnas luit, juste se mulctari cognoscit. Verum hæc etiam, ut Chrysostomus inquit, illi erepta erat consolatio. Is enim, cujus vita qualibet virtute cumulata enitebat, sustinuit ea, quæ facinorosissimis debentur hominibus. Idcirco cap. 16. cum multa, quibus premeretur, mala commemorasset; "Hæc," inquit, "passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces." Prima igitur consolatio interior, qua qui plectitur se sustentat, dum jure plecti se sentit, abfuit viro sancto; cum extra omnem culpam esset tanti supplicii dignam: ac propterea optat, ut sua appendantur peccata, quibus iram meruisse videat. "Nam quasi arena maris," inquit, "hæ gravior appareret; unde verba mea dolore sunt plena."[1]

Altera consolatio interior solet esse spes recuperandæ valetudinis; at hanc Job tanto oppressus morbo funditus desperarat. "Desperavi," inquit, "nequaquam ultra jam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei,"[2] et alibi, "Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum,"[3] et "Destruxit me undique (scilicet Deus), et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam."[4] Hinc illæ querelæ ac lacrimæ partim vi doloris expressæ, partim desperatione salutis: "Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium." Quid enim ei gaudii esse poterat, qui jam salutem desperarat et vitam?

[1] C. 6. [2] C. 7. [3] C. 17. [4] C. 19.

Tertium consolationis interioris genus solet esse divinum et cœleste, cum in ægro corpore mens humana divinis quibusdam voluptatibus pascitur: sed hæ quoque ægrotanti Job deerant. Quid enim de Deo dicit, c. 9? "Et replet," inquit, "me amaritudinibus;" et c. 27, "Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam;" et c. 6, juxta editionem Septuaginta, "An non in Deo confidebam? adjutorium autem mihi abest: deseruit me misericordia: visitatio autem Domini despexit me." Ubi Chrysostomus:[1] "Et corporis quidem," inquit, "calamitas hujusmodi: quod autem animum ægritudine lacerat maxime illud est, quod ex his malis facere conjecturam licet, me a Deo, qui mihi præcipue cordi erat, in quo spes meas omnes collocatas habebam, prorsus esse derelictum, ejusdemque visitatione ac miserationibus plane nudatum. Atque ea re justus angebatur vehementissime: id enim secum ipse expendat unusquisque, quantus ejus hominis sit mœror, qui cum divino sit amore sauciatus, a Deo, quem unum optat, desertum se tamen esse suspicetur. Hinc pristinas illas Dei visitationes optat, cum ait:[2] Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me? quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris: sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo? Quando erat Omnipotens mecum," etc. Ergo id temporis cum eversa sunt omnia, sine Deo se putabat esse, et a Deo relictum et destitutum. Ideo hostem et quasi hostem suum alibi Deum appellat, ut c. 16, de eoque dicit:[3] "Collegit furorem suum in me;" de eo etiam: "Et venit super me indignatio;" de eo: "Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum;" de eo denique: "Quare posuisti me contrarium tibi?" Nulla igitur a Deo videbatur esse consolatio, quem sibi arbi-

[1] C. 6. [2] C. 29. C. 3.

trabatur esse contrarium; nulla voluptas interior; nulla tristitiæ mitigatio.

Quare cum tanta fuerit atrocitas morbi, ut si spectetur acerbitas acerbissimus, si turpitudo fœdissimus, si diuturnitas longissimus, si perpetuitas maxime continens et assiduus fuerit; ex altera vero parte nullæ res essent, quæ tantam vim morbi lenire aut aliquo modo levare possent, non loci salubritas, non opportunitas domicilii, non fomenta vestium, cultusque lectorum, non mensæ ciborumque jucunditas, non ministrorum copia, nulla denique ægritudinis tristitiæque solatia: cum talis, inquam, et tantus fuerit illi morbus, tantum tamen animi robur, tantam fortitudinem, tantam constantiam perpetuo tenuit, ut patientiæ virtutisque miraculo Satanæ quidem fregerit audaciam, ingentique eum rubore perfuderit; hominibus vero documento fuerit universis, quemadmodum in morborum afflictione se gerant. Quod enim lucrum Satanas fecit, cum ejus corpus conscidit, latera undique perfodit, et de solio in sterquilinium abjecit; nisi ut ex ea laterum effossione, ut ait Chrysostomus, nobis esset in interiora viri prospectus, illiusque opes universas cerneremus? Cernimus enim præclarissimas in ejus ægrotatione virtutes: sed præcipue tres, patientiam, ut diximus, singularem, admirabilem humilitatem animique modestiam, eximiam in Deum pietatem.

Patientiam quidem, quia cum illuc omnes conatus et tentamenta diaboli referrentur, ut impiis Deo Job vocibus conviciaretur; nihilominus, Scriptura teste, labiis suis nunquam peccavit, neque stultum quid contra Deum locutus est. Imo, Deo ipso teste, locutus est recta coram eo: quod quidem eo est admirabilius, quod ne conjugis quidem imbecillitate, quam, ad quatiendam illam pietatis turrim, verborum contumelia Satan armaverat, patientiam deseruit, nec verborum jaculis, nec liberorum recordatione, nec suæ ærumnæ commemoratione ad maledictum ullum impulsus est: cum tamen ad idipsum, ut ait Chrysostomus,

eam Satanas reservasset, non cum liberis extinxisset. Auget 2° hanc laudem, quod non modo nihil in Deum impie, verum nec in ipsam quidem conjugem asperius aliquid dixit; sed moderate eam duntaxat, ut observant Basilius et Chrysostomus, objurgavit: non enim dixit, stulta es atque amens, sed, Quasi una de stultis mulieribus locuta es; quasi dicat: nihil te, nihil institutione et disciplina mea dignum attulisti. Quam autem artificiose et callide ea Satanas usus sit ad fallendum debellandumque virum sanctum, pluribus ostendunt Græci Patres in Olympiodoro. Sed hac illa devicta de hoste pariter triumphavit, ut amplius hiscere non sit ausus. Cernitur 3° patientiæ robur in eo, quod tolerantiæ exercendæ causa suos ipse cruciatus faciebat asperiores, dum testa saniem raderet. Id quod apud Olympiodorum Polychronius animadvertit. "Job," inquit, "tantum de adversario laboravit, ut sua sponte asperrimam paupertatem amplexus sit, ac testa ulcerum saniem detergens, tolerantiam exercuerit: in quo et cruciamentorum suorum morsus acriores efficiebat, et cum leniendi morbi nullam rationem duceret, invidum hostem desperatione frangebat. Quare, cum in eum undique sagittæ mitterentur, ut Chrysostomus ait, tutior ac firmior consistebat: cumque jacula innumerabilia excepisset, nihil de animi virtute remisit: imo diaboli thecam refertam jaculis omnem exhausit."

Humilitatem vero animi, modestiam singularem vir sapiens in ea corporis afflictatione præsetulit. Quia, quamvis suam non ignoraret innocentiam, et existimare posset non suorum peccatorum causa se a Deo plecti, id quod tota cum tribus amicis disputatione depellendæ contumeliæ gratia significat; tamen culpam conatur agnoscere ubi nulla erat culpa, et occulta quædam adolescentiæ peccata confingit, quorum æquissimo Dei judicio, præsentes pœnas penderet. Est autem hominis de se humiliter sentientis existimare flagella, quæ tolerat, suorum causa peccatorum sibi esse a Deo illata. Hoc igitur Job

faciebat, qui nullius sibi culpæ conscius, verebatur tamen, ne quas olim maculas suscepisset, quarum Deus tum pœnas sumeret. Ideo, c. 10; "Si peccavi," inquit, "et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?" eodemque spectant illa, quæ dicit cap. 7. "Usquequo non parcis mihi?" quasi dicat: Sæpe veniam peccatorum petii, sæpe ut mihi parceres obsecravi; quousque igitur non parcis mihi? nempe de propitiato peccato nolebat esse sine metu, ideo antiquissima delicta commemorat, tanquam causam præsentis supplicii. "Quantas," inquit, "habeo iniquitates et peccata? scelera mea atque delicta ostende mihi." Ad occulta videlicet delicta confugit, quæ sibi a Deo velit ostendi, cum manifesta non cernat. Et cap. 14, "Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis;" scilicet tanquam abditis mihi ignotis. Et mox: "Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam;" quasi dicat, omnium peccatorum meorum memoriam, quæ mihi forsitan exciderant minusque nota sunt, tu diligentissime tanquam in sacculo conservasti; ideoque ad ea curanda hujusmodi plagæ supplicium irrogasti. Et alibi: "Quid faciam tibi, o custos hominum? cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam?" Quibus enim pœnis tibi satisfaciam, omnino non reperio: tua tantum misericordia opus est, quæ peccatum meum tollat, et, quam non satis agnosco, iniquitatem auferat. Et cap. 13. "Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ." Quid igitur hoc viro molestius? quid humilius? qui et innocentiam suam intelligat, et tamen culpas et peccata non abnuat. Habemus patientiæ, habemus et documenta modestiæ atque humilitatis.

Restat pietas erga Deum; quæ ipsa quoque fuit insignis, tum quia ad Dei providentiam referebat omnia quæcumque casu vulgo putantur invecta; tum quia spes suas locabat in Deo; tum denique quia omnis ejus sermo aut de Deo erat, aut certe cum Deo.

Ad Deum, inquam, quæcumque sibi acciderant, referebat. Nam, cum conjugem increpabat, ajebat: "Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?" flagellum quippe suum Deo adscribebat. Ut etiam, cap. 6. "Sagittæ," inquit, "Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum;" et cap. 10. "Multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me;" et cap. 27. "Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam:" et alibi sæpe in Dei providentiam morbum suum, et ea quæ temere putantur invecta, referebat.

Secundo: pietas etiam fuit in mediis angoribus, et in ipsa desperatione salutis, sperare in Domini bonitate et æquitate. "Etiamsi," inquit, "occiderit me, in ipso sperabo, et ipse erit salvator meus." Et quidem ab uno Deo, non ab hominibus poposcit opem: quid enim dicit amicis? "Nunquid dixi, afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi, vel liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?" hanc quippe spem in Deo uno videlicet collocarat. Spes autem ejus non ea modo, quæ cum tempore abeunt; sed ea maxime, quæ sunt æterna, sperabat. "Cunctis," inquit, "diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi;" (scilicet cum de sepulchro tua me vox excitabit) "operi manuum tuarum porriges dexteram." Erat igitur pietatis tantas spes in Deo reponere.

Sed eamdem pietatem ostendit, cum frequentissime aut de Deo aut cum Deo familiariter loquebatur. De Deo quidem, ut cum de ejus potentia et majestate, de ejus sapientia et fortitudine, de ejus bonitate et sanctitate cum amicis alternis quasi disputationibus disserebat: ut c. 9. "Sapiens corde est, et fortis robore; quis restitit ei, et pacem habuit? Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo.

Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris." Et cap. 12. "Apud ipsum est sapientia et fortitudo: ipse habet consilium et intelligentiam;" et quæ sequuntur. Et c. 28. "Ipse fines mundi intuetur, et omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit. Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura; quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus." Hæc et alia sexcenta pius ille vir etiam tum, cum morbus adureret, loquebatur. Cum Deo autem sæpissime ratiocinabatur in tribulatione spiritus sui. "Non parcam," inquit, "ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ." Et nunc quidem Dei clementiam, ut mitius secum ageret, implorabat: "Memento," inquit, "quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona." Nunc veniam postulat peccatorum: "Usquequo non parcis mihi, nec dimittis, ut glutiam salivam meam?" Interdum cum eo fidenter amiceque conqueritur: "Quare posuisti me contrarium tibi?" et cap. 10. "Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret;" et ibidem: "Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me, et sic repente præcipitas me?" Interdum suæ causæ judicium expetit. "Indica mihi, cur me ita judices; et scias, quia nihil impium fecerim." Modo divina beneficia commemorat: "Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?" Modo etiam cum eo disputat: "Ad omnipotentem loquar, et disputare cum eo cupio." Ac denique modo hos modo illos cum Deo sermones confert. Ita fit, ut pro egregia ejus pietate, nonnisi aut de Deo aut cum Deo sermocinetur.

Has igitur virtutes sibi proponat, quisquis aut morborum flagellis aut aliis calamitatibus plectitur, imitandas.

OPUSCULUM DECIMUMQUARTUM.

IN REGULAS MODESTIÆ.

MODESTIÆ Regulas quanti fecerit Auctor noster et Parens Ignatius, ipsemet testis fuit, cum, ut in ejus vita legitur, affirmavit, se in iis condendis sæpe ad Deum preces, sæpe etiam fudisse lacrimas. Sciebat enim ex homine externo de interiore conjecturam fieri solere; et ad exemplum famamque probitatis interesse permagni, ita foris se componere, ut nihil in omni motu atque gestu jure possit animadverti, quod cujusquam offendat aspectum. Quod idcirco præfari volui, ne quis forte miretur, si de modestia tanquam de re non gravissima disputationem instituisse videar: easque leges quæ per se planæ sunt, susceperim explanandas. Traditæ quippe sunt ab ipso Auctore et Fundatore nostro; ut hoc nobis satis esse videatur ad testandum, rem, de qua agimus, magni esse momenti, magnæque utilitatis, et dignam denique quæ a nobis accurate tractetur: veterum præsertim S. Patrum auctoritate nixis, qui in his modestiæ præceptis vel ad minima quæque descendunt, ut legenti planum fiet. Sed antequam ad leges ipsas explanandas aggrediamur, tria nobis videnda sunt. Primum: Quid sit Modestia. 2^m^ Cur scribantur de Modestia Regulæ. 3^m^ De quibus rebus hæ ipsæ Regulæ singillatim agant, et ad quem ordinem omnia quæ præcipiunt revocari possint.

QUID SIT MODESTIA.

Modestiæ nomen a modo dictum esse nemo non videt; quod in omnibus tenendus sit modus. Propterea Anselmus

sæpe, sed præcipue in eum locum Pauli ad Phil. 4. "Modestia vestra nota sit omnibus," etc. "Modestia," inquit, "quasi modi statio dicitur, quando modus servatur in omnibus." Et Augustinus: "Modestia," inquit, "dicta est a modo, ut a temperie temperantia: ubi autem modus est, atque temperies; nec plus est quicquam nec minus, modus autem idem est ac mensura."[1] Cum igitur omnia nostra dicta, facta, cogitata, mensura quadam modoque continentur, dicimus habere ac tueri modestiam.

Definitio ejus integra, ut nunc modestiæ nomen accepimus, ea videtur quam tradit S. Thomas.[2] "Est," inquit, "modestia, virtus, per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, ut non offendat cujusquam aspectum." Dicitur esse virtus: ne quis putet rem minimi esse momenti; sed est virtus, ut multæ aliæ, spectans ad interiorem animi decorem, ut idemmet D. Thom. docet 2. 2. q. 168. Nam licet ut nunc modestiam accipimus, in exterioribus corporis motibus sita sit: tamen quia motus exteriores signa sunt interioris compositionis, et exteriorum motuum moderatio requirit moderationem internorum, propterea virtutis rationem induit. Cum autem sit virtus, ad unam aliquam virtutem principem ex quatuor cardinalibus referenda est. Refertur autem, ut ex eodem Doctore planum fit, ad temperantiam, tanquam pars ejus; quod ipsum docuerat antea Cicero l. 2. de Inventione.[3] Nam temperantia modum adhibet iis, quæ moderari difficillimum est, ut sunt cupiditates illæ, quæ in tactionum voluptate versantur. Modestia autem, tanquam pars temperantiæ minus præcipua, modum adhibet iis, quæ moderari haud ita magni negotii est ut sunt exteriores corporis motus, aut etiam mediocres quædam animi perturbationes, ac motus: nam vehementes, ut significatum est, moderatur et regit parens ipsa temperantia. Quare modestiam antiqui reliquerunt circa minora, temperantiam circa majora, ut idem S. Thom. dicit. Dicitur præterea in definitione:

[1] Lib. de beat. vit. to. 1. [2] In Epist. ad Titum c. 3. [3] Q. 160. a. 1.

"Per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet." Non quod etiam ad moderandos animi motus modestia ipsa non spectet: nam contrarium Doctor ipse docet a. 2. q. 160, et q. 161. ubi modestiæ partes dividit; quarum unam humilitatem facit, quæ ad moderandos animos tota spectat. Anselmus quoque, in Epist. ad Phil. 4, modestiam versari docet tribus in rebus: in animo, in operatione, in verbis. Sed idcirco dicitur exteriora omnia moderari, quia partem illam S. Tho. definiebat modestiæ, quæ moderandis exterioribus continetur, quæque nota omnibus cum sit, merito proprio modestiæ nomine nuncupatur; juxta illud Phil. 4. "Modestia vestra nota sit omnibus hominibus." Nam interiores animi motus nisi ex externis noti esse non possunt. Nec vero nos aliter accipimus hic modestiam, ut diximus, nisi ut in exterioribus occupatur. Partes autem modestiæ quæ inter nos motus animi moderantur ac frænant, jam eas vulgo aliis nominibus appellamus, ut humilitatis, etc.

Dicitur præterea, "ut non offendat cujusquam aspectum." Hoc ex Augustino sumptum est Reg. 3. to. 1. qui sic præcipit in sua regula: "In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem." Hic igitur modestiæ finis est, ut nullius offendatur aspectus; et hoc est quod regula nostra significat, cum præcipit tales esse debere motus omnes gestusque corporis, ut apud omnes ædificationem pariant: quod idem est ac si diceret, ut nemo ex eorum aspectu jure possit offendi. Idem dixit e contrario. Dicet aliquis: Quomodo dicimus hac postrema definitionis particula modestiæ finem significari, cum in Prov. c. 21. dicatur, Finis modestiæ timor Domini? Nimirum quia timor Domini cogit nos omnem proximi offensionem vitare. Deinde, dicitur esse timor Domini finis modestiæ, quia eadem modestia et proximorum oculis servit interdum et divinis; et dum proximorum offensionem vitat, vitat etiam eadem opera et divinam; et contra. V. g. Dum oculos modeste contineo, ne huc illucque protervi vagentur,

eadem opera et offensionem Dei vito, vitandis scilicet peccatorum occasionibus, et proximorum ædificationi servio.

Tertio, dicitur esse timor Domini finis modestiæ, quia qui vere Deum veretur ac timet, compositos habet non solum animi motus, verum etiam corporis. Patet hoc experimento non levi; quod et in ardenti attentaque oratione modestissime nos gerimus: itemque cum ab attenta oratione recedimus, ita ut nihil magis nobis ipsis compositum ornatumque videatur. Propterea præcipit Bonaventura de Infor. novit. c. 19. "Ut eam modestiam semper præferamus, ac si a devota discesserimus oratione."

CUR SCRIBANTUR DE MODESTIA REGULÆ.

QUOAD SECUNDUM.—Potest quispiam merito dubitare, cur si interiore homine conformato atque composito oritur perfecta exterioris hominis compositio, necesse sit ad eas regulas, quæ componendis animis adhibentur, alias quoque adjicere componendis corporibus, hominique exteriori? Verum præter exempla Sanctorum, qui suis instituendis familiis atque cœnobiis in iis quæ ad modestiam, et cerimonias pertinent, vel ad minuta descendunt, multæ cur a nobis scribantur, possunt afferri rationes: sed præcipue quinque.

Prima est: Quia licet ex interna hominis compositione compositio oriatur exterior, tamen non continuo illa comparatur; nec simul ac aliquis ad religionem accessit, moderatas et pacatas obtinet animi perturbationes. "Difficile est enim," ut ait Tullius ad Q. fratrem, "mutare naturam, et quod est penitus insitum moribus, id subito evellere." Jam si expectandum sit dum homo componatur internus, quando tandem exterioris hominis vitia, quæ in oculos incidunt proximorum, aut tolli incipient, aut aliqua ex parte diminui? Deinde, quamvis subito mutaretur animus, et magna omnium intimorum motuum moderatio consequeretur, non tamen continuo oritur in corporis motibus

moderatio ; quia mores exterioris hominis ex sæculo deportati, diu hærent, et eo diutius quod, dum vitiosi admodum non putantur, quodammodo negliguntur. Huc accedit, quod non omnis moderatio corporis ex animi moderatione semper oritur ; sed ad tollendos quosdam motus inconditos corporis alia quædam ars extrinsecus est adhibenda, et alia quædam requirenda præsidia, quæ certis regulis præceptisque contineantur. Venit nunc in mentem Isaac servi Dei, qui cum pacatissimos haberet animi motus, et, ut Beatus Gregorius ait, virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus, tamen modum sæpe in risu non habebat, sed vel invitus gestientis lætitiæ fræna laxabat ; facile ut appareat eos etiam, qui animum suum composuerunt, præceptorum adjumenta requirere ad moderandum componendumque corpus.

Secunda ratio, et præcipua. Idcirco de modestia leges ac regulæ præscribuntur, ut sit in omnibus una eademque ratio, et quasi forma modestiæ, quam quidem efficere intima cujusque affectio compositioque non potest. Quæ varia in multis sæpe cum sit, varietatem quoque dissimilitudinemque modestiæ exterioris efficeret. Ita tolleretur similitudo illa quam fraterna societas exigit. Hæc nimirum causa est, cur in moderandis corporis motibus alia in aliis religiosorum familiis ratio ac forma servatur. Ut cerni licet in inclinandis submittendisque cervicibus, in curvandis corporibus, in abdendis intra tunicam manibus, et id genus aliis, quæ certe Societas nostra non habet ; sicut etiam bibere ambabus manibus, ut indicat Bonaventura et Cajet. in 2. 2. q. 185. a. 8.[1] Verissimum autem est quod dicimus, pro cujusque affectione animi etiam pia, dissimilem gigni in corporibus habitum, variarique modestiam. Nam B. Antonium legimus oris habitu fuisse jucundo atque hilarem, qualem regulæ nostræ in præscribenda modestiæ forma præcipiunt. Beatum vero

[1] Bonav. in specul. disc.

Ephrem severos ac tristes gessisse vultus, ut qui lacrymas continenter fundebat: quam quidem tristitiam oris regulæ nostræ non amant. Et tamen uterque sanctitate præstabat, uterque animum jam compositum pacatumque gerebat. Item Xaverium nostrum accepimus ea fuisse affectione animi ut oculos sæpe gereret defixos in cœlum. Ignatium contra potius habuisse demissos, ut intelligatur pro animi affectione et compositione componi corporis motus atque habitum. Quod cum ita sit, præter interioris hominis compositionem, ad componendos motus gestusque corporis necessarium est regularum præsidium, quæ unam eandemque omnibus, quoad fieri potest, modestiæ formam rationemque præscribant, ne quis in moderando corpore aut ad monasticam formam, aut ad aulicam elegantiam civilemque deflectat.

Tertia ratio. Ideo præscribendæ fuerunt regulæ de moderandis corporis motibus, ut si forte intima pietas absit, quæ informet hominem exteriorem, intelligatur dandam certe operam esse, ut exteriore corporis habitu ita nos geramus, ut nullius offendamus aspectum; nam exteriorum motuum compositio vel dissolutio bonam vel malam affectionem animi repræsentat. "Amictus corporis et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo;"[1] et ibidem: "Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus." Quanquam autem compositio exterior, interiore sublata, diuturna esse non potest, tamen consuetudinis magna vis est, ut si assuescamus modesti atque compositi ante oculos hominum apparere, hæc ipsa exterior diligentia satis futura videatur ad componendos frænandosque corporis motus. Ut igitur planum nobis fieret, quanta habenda sit ratio exempli, publicæque ædificationis, constituendæ leges quædam regulæque fuerunt tenendæ modestiæ. Quæ adeo necessaria est, ut etiamsi absit interior pietas ac compositio quæ illam gignit ac fovet, ea tamen extrinsecus sit curanda. Quod præ-

[1] Eccl. 19.

clare Bonaventura de Infor. nov. c. 5. significat: "Si non habes," inquit, "devotionem interius, saltem conserva disciplinam, et morum gravitatem humiliter exterius, propter reverentiam Dei, et aliorum exemplum." Et jure: tacita enim quædam concio est exterior homo bene compositus: quod egregie declaravit suo facto Beatus Franciscus, qui cum comitem sibi, quasi ad concionandum ire vellet, adjunxisset, foras egressus, composito ad modestiam vultu totoque corpore, urbem circuisse dicitur miro silentio, nulla habita concione: domum reversus, cum rogaretur a comite ecquando concionem habiturus esset? "An non intelligis," inquit, "ex ipsa nostra prodeundi ratione quam concionem habuerimus?" tanti exteriorem speciem modestiamque vir sanctissimus faciebat. Et, ut omittam Patrem nostrum Ignatium, de quo Maffeius l. 3. c. 16. plura in hoc genere scribit; de Malachia etiam episcopo ita prodidit memoriæ Bernardus: "Ut taceam interiorem hominem, ipsum exteriorem ita uno semper modo ipsoque modestissimo ac decentissimo gessit, ut nihil prorsus appareret in eo, quod posset offendere intuentes;" et mox: "Quis unquam etiamsi curiosius observarit, deprehendit otiosum non dico verbum, sed nutum? quis manum pedemve moventem frustra? imo quid non ædificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu?" De ipso Beato Bernardo in ejus vita sic legimus: "Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiose profusus homo quoque exterior videretur."

Sed cum magna religiosis omnibus habenda est ratio exempli, publicæque ædificationis, tum iis qui juvandis animis se dederunt. Falluntur enim, si verbo tantum existimant se posse cæteris adjumento esse; exemplum oportet præbeant, speciemque virtutis, virtutem persuadere si velint. Quia plus est ad persuadendum in exemplo quam in sermone momenti. Exemplum autem præberi non potest, nisi extrinsecus pateat: non enim quæ intus

sunt, hominibus nota sunt; necessaria est igitur exterior species atque modestia. Quin etiam ausim dicere tolerabiliorem esse nonnunquam simulatam fictamque ad tempus compositionem, quam simplicem veritatem, qua quis animi sui affectionem, sive bona sive mala sit, non occultat: nulla enim me lex cogit veritatis causa qualis sim indicare cum offensione atque incommodo animorum. Nec dicenda hypocrisis est si, ut proximorum ædificationi, non ut gloriæ serviam, ea de me occultem atque dissimulem quæ offensioni cæteris esse possunt; ut facile potest colligi ex iis quæ docet S. Tho. 2. 2. q. 111. 2. 3. Deinde, quia non solum ad ferendam animis opem vocati sumus, habenda nobis est ædificationis ratio: sed etiam quia cum de familia Domini simus, quicquid facimus inter homines, hoc aliquo modo redundat vel in laudem Domini, vel in contemptum, ut ait Bonaventura: cujus hæc fere sunt verba, de Infor. nov. c. 38.

Quarta ratio. Ideo conscribendæ fuerunt certæ regulæ certæque leges de modestia, ut quanti sit nostris hominibus facienda bene morigerata ac civilis institutio, quæ in hanc virtutem includuntur, ostenderent: simulque politiorum morum elegantiam spiritui pietatique non adversari, imo pietati nostræ maxime esse consentaneam. Sunt autem nonnulli qui solidioribus freti virtutibus, de exteriorum morum elegantia minime laborant, propterea quod perfectæ sanctitatis summa non in his sita est; rusticique videri malunt, quam politi atque elegantes. Qua in re haud dubie vehementer errant. Nam si in silvis degerent, suique tantum curam agerent, parcendum forsitan illis esset, si moribus agrestibus uti vellent; nunc autem cum in mediis versentur hominibus, hominumque piscatores sint, cur iis utantur moribus, qui homines ipsos a sua societate congressuque deterreant? abhorrent enim homines ab iis moribus, qui liberali ingenuoque homine digni non sunt. Ergo sicut studemus litteris atque doctrinis, quibus homines capiuntur atque juvantur, ita studendum nobis est

excultioribus ac splendidioribus moribus, qui eos nobis conciliant, atque adjungunt. Si quid autem in his moribus forte est quod minus cum religione consentiat, id facile est evitare ; sed pauca omnino sunt in politica civilique elegantia, quæ demas : ita a ratione manant omnia. Sed si quæ sunt quæ cum religiosorum more minus congruant, ea, ut dixi, nullo negotio amputari possunt ; et quæ politica sunt, ea, si pietate ac religione condiantur, desinunt esse politica, velut induta religionis ornatu.

Secundo : politi mores idcirco nobis adamandi sunt, quia educationem optimam arguunt, educatio vero genus et nobilitatem ; qua item plurimum permoventur homines : præsertim cum adsunt cætera, quæ religiosum ex Societate commendant.

Quinta ratio. Ideo traduntur separatim de modestia præcepta ac regulæ ; quia, licet interior animi compositio exteriorem, ut dixi, hominem informet : tamen ab exteriore etiam compositione adjuvatur interior, imo ab ea sæpe inchoatur et oritur. Quia, ex Beato Thom. p. 2, actus exterior interiorem perficit atque auget, et 2. 2. q. 161. a. 6. ad 2, dicit duo nos ad humilitatem deducere, primum et præcipue gratiæ donum, quo interiora exteriora præcedunt : secundum, humanum studium, quo prius quis exteriora cohibet, tum ad interiora pertingit. Dixi autem : "Ab ea sæpe oritur ;" quia ex 1. Corinth. 15. prius est quod animale, deinde quod spirituale. Et sicut Deus corpus Adam primo formavit, postea spiraculum vitæ in faciem ejus inspiravit ; itemque in alvo materno prius corpus fingitur ac coagmentatur, deinde animus in illud infunditur : sic qui ad religiosam vitam recens accessit, ei prius studendum est compositioni, et disciplinæ corporis externæ, quam interiori animæ institutioni. Et hæc fuit Sanctorum Patrum, et qui cæteros instituendos susceperunt, consuetudo atque sententia. Secundo, quia modestia ac compositio motuum exteriorum atque sensuum plurimum valet ad custodiam mentium ; frequenter enim ex sensuum dissolutione malæ

cogitationes ad animam intrant, quod propheticum illud declarat: "Intravit mors per fenestras meas, ingressa est domum nostram.[1] Et hæc est causa cur P. Ignatius monet nos in appellandis parentibus abstinere nos verbis quæ carnis declarant affectum, ut loquendi modus sentiendi modum juvet. Quod in cæteris etiam patet. Tertio, quia cura illa perennis, quam quisque adhibet in frænandis componendisque corporis motibus, plurimum etiam valet ad componendos animi motus; ut ex se planum est.

Quarto. Ex exteriore membrorum quiete oritur interdum quies interior, sicut ex hac vicissim illa; videtur enim habere motus exterior vim quamdam excitandi interiorem: ergo et quies exterior gignendi aut certe inchoandi interiorem: ut etiam vox elatior aut etiam clamor excitat vocantis aut clamantis animum. Ideoque inter cæteras causas hæc est una, cur vocalis adhibeatur oratio ad precandum Deum: non quod voce, ut nos audiat, egeat Deus, quia intima nostra perspicit: sed quia vox ipsa nos excitat, et inflammat tanto acrius, ut currentem jam equum frequens calcar. Quemadmodum enim actus exterior alterius hominis vim habet excitandi animi mei; nam et verba, et nutus, et motus alii, ut in oratore cernimus, animorum motus in auditore valde concitant: sic meus ipse actus exterior eandem habere vim debet ad excitandum animum in me ipso: neque enim dissimilis videtur ratio.

AD QUEM ORDINEM EA QUÆ TRADUNT REGULÆ REVOCENTUR.

Quoad Tertium, nimirum ad quem ordinem omnia quæ præcipiunt regulæ, revocari possint, Respondetur: Ad quinque capita. Nam cum quædam illæ universe præcipiant, quædam singillatim, primum caput erit de præceptis in universum, juxta primam et undecimam regulam. Secundum caput, ubi ad singularia præcepta

[1] Hierem. 9.

ventum erit, agetur de modestia et compositione motuum, gestorumque corporis, juxta secundam et septimam usque ad octavam, et juxta decimam. Tertium, erit de modestia in comitatu servanda, juxta duodecimam. Quartum, de modestia et compositione vestium, juxta regulam octavam. Quintum, de modo et ratione loquendi, juxta decimamtertiam. De his quinque quam brevissime est dicendum.

IN PRIMAM ET UNDECIMAM REGULAM.

DE MODESTIÆ PRÆCEPTIS IN UNIVERSUM.

Duæ sunt regulæ, quæ universe de modestia præcipiunt; prima et undecima. Quatuor autem præcipiunt: primum, ut in omnibus externis actionibus appareat modestia; secundum, ut appareat humilitas; tertium, ut hanc maturitas comitetur religiosa; quartum, ut omnes gestus motusque corporis ejusmodi sint, ut apud omnes ædificationem pariant. Hæc quatuor qui custodit, is vere modestus dicendus est.

1m. Inquam, "modestiam" requirunt. Modestiæ autem nomine hic accipitur compositio motuum ac gestuum, non ut est genus quoddam, quomodo accipitur in inscriptione. Nam, ut ex 2. 2. q. 161. planum fit, modestia et est genus, et species; ut autem est genus, continet quatuor species, humilitatem, de qua mox; studiositatem, quæ moderatur appetitum cognoscendi, et vitium curiositatis removet, ut docet idem 2. 2. q. 166. a. 2. et 160. 2.; modestiam quæ consistit in exterioribus motibus corporis, quæ compositio dici potest; et modestiam quæ in cultu corporis, atque exteriore apparatu posita est. Ergo hoc secundo loco modestiam eam significant regulæ, quæ in compositione quadam ac decore exteriorum actionum maxime cernitur. Si detur igitur opera, ut compositio quædam atque elegantia in externis eluceat actionibus, magna ex parte modestiæ laudem nobis vindicamus. Et hoc satis esset,

etiam si nihil aliud singillatim præciperetur. De hac motuum compositione, ac decore in reg. dixit Augustinus 3. reg. "In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum." Quanquam autem motus corporis est a natura, ut disciplina non videatur egere: tamen quoniam non omnia quæ a natura sunt, continuo perfecta atque absoluta sunt, sed progrediente tempore, aut hominis diligentia perficiuntur, ideo licet corporis motus a natura sit, tamen corrigendus cum habet aliquid vitii, et perficiendus. Sic Ambrosius 1. de Off. "Motum," inquit, "natura informat, si quid sane vitii est in natura, industria emendet." Huic compositioni adjumento esse potest Summi Conditoris exemplum, qui in condendo mundo nihil reliquit incompositum, nihil inconditum, nihil inordinatum; sed ut dicitur Sap. xi. "Omnia fecit in pondere, numero, et mensura."

2m. Requirunt humilitatem: nam, ut diximus, hanc modestiæ partem facit D. Thom. q. 161. Quia, ut modestia, quæ est species, moderatur corporis motus, ita humilitas moderatur et frænat animi motus, qui feruntur ad excellentiam. Quoniam autem hæc elucet etiam in actibus exterioribus, propterea hanc etiam leges nostræ requirunt. Apud ethnicos quidem humilitas modestiæ nomine significatur, quod modum et frænum animo ponat, ne efferatur. Quare Origenes 8. in Lucam, cum de humilitate loqueretur, "Si vis," inquit, "nomen hujus audire virtutis, quo modo a philosophis etiam appelletur, ausculta; eandem esse humilitatem, quam respicit Deus, quæ ab illis μετριότης dicitur, id est mensuratio, vel modus: nam modus et mensura idem est, a modo autem modestiæ nomen fluxit." Cicero quoque modestiæ nomine pro humilitate utitur 3. de Leg.: "Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse." Et in Sallust. "In prætura modeste se gessit, et abstinenter;" modeste, id est humiliter. Et Beatus Petrus, Ep. 1. c. i. 3: simul etiam hæc duo conjunxit: "Modesti,

humiles, non reddentes malum pro malo." Et supra dixerat: "Homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus." Quia humilitas nihil est aliud quam moderatio spiritus.

Humilitas igitur quæ religiosorum propria est, in exterioribus quoque eorum motibus elucere debet; propterea Bonaventura, Spec. disc. p. 3. c. 2: "Gestus," inquit, "religiosi debet esse humilis." Cujus etiam rei causam mox affert: "Quia turpis in humilitatis professore superbia, fœda prorsus in humili habitu gesticulatio fastuosa." Additur etiam ad modestiam humilitas, quia non debet compositio religiosi secularium quorumdam compositionem imitari, qui dum exteriorem componunt hominem, superbiam adornant, et gloriæ serviunt. Huic humilitati adjumento nobis erit pauperum et mendicorum exemplum, in quibus nulla superbia, nullus fastus plerumque cernitur. Bonaventura de Inf. nov. c. 8. "Videmus," inquit, "quam humiles gestus pauperes habent, quam simplex responsum, quam pavidum animum." Ergo et Christi pauperes idem habere debent.

3^m^. Quoniam hæc humilitas posset esse in aliquibus affectata, quæque potius ambitiosam quandam animi levitatem indicaret, quam consideratam submissionem, idcirco volunt regulæ hanc ipsam humilitatem cum religiosa maturitate conjungi, scilicet ne contemnatur, et in honore sit. Levis enim humilitas contemptui est. Quod ipsum præcipit Bonaventura, eo quem paulo ante significavi loco. "Gestus," inquit, "religiosi debet esse humilis, gravis et severus." Et mox: "Gravitatis modestia multam affert servata moribus honestatem, neglecta maculam et contemptum." Et Isidorus, l. 2. de Soliloquio: "Sit," inquit, "in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas." Idem Bonaventura mox ait, "Maturitatem esse temperamentum humilitatis, ne nimis abjecta, vel affectata reputetur," p. 102. Regula autem nostra maluit maturitatem religiosam, quam gravitatem aut severitatem appellare, ut excludat politicam gravitatem, quæ potius nauseam affert, quam ut ædificet.

Ubi autem vera maturitas sita sit, explicat pluribus verbis Albertus eo opusculo quod Animæ Paradisum inscripsit: "Argumentum veræ maturitatis habet, qui nec verbis otiosis, nec incessu dissoluto, nec alia occasione quemquam ad levitatem provocat, sed semper in se et in aliis dissolutionem detestatur." Et mox: "Argumentum levitatis habent, qui proni sunt ad risum, ad jocum, otiosi in verbis, dissoluti in moribus," etc. Idem Bonaventura de Proc. relig. c. 2., "maturitatem religiosorum in eo quoque sita esse," ait, "si non sint leves in ridendo, vel proni ad risum, nec curiosi vel verbosi, nec joculatores; et corpus totum ab inquieto motu atque insolentia custodiunt." Idem in Spec. disc. c. 7: "Non licet," inquit, "religiosum virum dissolutis labiis risum proferre."

Huic maturitati consequendæ auxilio esse potest, tum Christi Salvatoris exemplum, qui ea gravitate et maturitate fuit, ut nunquam risisse legatur, ut est apud Augustinum, t. 10. Ser. de Sanctis 35. et epistola Lentuli ad Senatum: tum vir sanctissimus Job, qui tantam dicitur habuisse maturitatem, ut si quid in eo visum esset gravitati contrarium, nemo ei crederet, ita erat omnibus admirationi. "Si quando," inquit, "ridebam ad eos, non credebant mihi, et lux vultus mei non cadebat in terram." c. 29. "Quia cujus mentem mœror divini timoris insederat," ut Gregorius ait, "recte hilaritati illius subditi non credebant, et quia cogebantur ridenti non credere, cujus cor in timore Conditoris noverant quam continuam mœstitiam tenebat." Antonium quoque narrat Athanasius nunquam hilaritate nimia resolutum in risum esse. De Beato autem Malachia Episcopo scribit Bernardus in Vita: "etiam cum esset puer magna maturitatis indicia præbuisse. Quippe cum magistrum scientiæ fama insignem discendi cupidus adiisset, vidissetque virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem, solo visu offensum, quod levitatem redoleret, resiluisse ab eo, ac deinceps illum ne videre quidem

magnopere laborasse." Et de eodem Malachia Bernardus: "Risus autem indicans charitatis, aut provocans; rarus tamen et ipse. Equidem interdum eductus, excussus nunquam, qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minueret, sed augeret." De nostri Ignatii maturitate nihil attinet dicere: testis est ejus vita, quam quotidie terimus. Sed ad hanc obtinendam, sicut ad omnem modestiam, valet plurimum tum sanctorum virorum exemplum, tum perennis timor divini conspectus, ut et jam diximus, et dicemus.

4^m. Exigunt denique tales gestus motusque corporis leges nostræ, ut apud omnes ædificationem pariant; quod est aliquid plus, quam id quod dixit Augustinus, ut nullius offendat aspectum. Potest enim motus aliquis externus nullius oculos offendere, et tamen non ædificare, et ad pietatem permovere. At regulæ nostræ tales exigunt motus, ut etiam ædificent, et ad pietatem permoveant. Ut de perfectis hominibus dicit Hieronymus ad Rusticum monachum. Quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Hoc est igitur proximos ædificare, virtutem eos ex nostris motibus edocere. Sunt autem omnino quinque genera motuum (si ea etiam quæ paulo supra attigimus enumeremus) quæ ædificandi vim habent. Primum genus est eorum motuum atque gestuum, qui sine arctiore quodam custodiæ fræno ac disciplina effici non possunt; ut est, oculos continere, ne vagentur impune, caput regere, ne huc illuc moveatur et agitetur, et id genus alia. Patet hoc in sacris, ubi si sacerdos libere vagari oculos sinat, caputque temere convertat, apud populum graviter offendit. Contra vero, si demissos habeat, modestosque gerat vultus, admirationi est universis. Ratio hujus est: quia hi motus indicant animum se frænantem, et disciplinæ subjectum, quod ad Temperantiæ virtutem refertur. Virtus autem admirationi et honori est omnibus. Propterea Bernardus cum Beatum Malachiam laudat ab oculorum continentia, hæc addidit: "Nempe quod non

mediocri laudi inter sapientes ducitur, oculus ejus in capite ejus nunquam avolans."

Secundum genus est eorum motuum, qui habent aliquid incommodi ac laboris ut decore fiant: ut si flexis orans genibus scabello non innitaris; si sedens non te totum in sella prosternas, et quodammodo te derelinquas; si stans pedem pedi non implices, eosque sæpe permutes, aut femur femori superponas: quæ vitia notat in suo Pædagogio[1] Clemens Alexandrinus. Item si jacens non membra dispergas ac jactes; si accumbens, cubitos non porrigas supra mensam: si oscitationes, pandiculationes, et id genus alia, quæ, ut Clemens ait, sunt instabilis animi fastidia,[2] omni ratione vites. Monet enim Bonaventura corpus et brachia comprimenda, ne ea cum pigritia tædioque protendas. Spec. discip. p. 3. c. 7. lege. Denique omnes illi motus ædificationi deserviunt, in quibus aliquid laboris atque incommodi corpus patitur, ut modestiæ decoro serviamus. Ratio hujus est: quia hujusmodi motus indicant hominem sui commodi negligentem; quisquis autem suum commodum negligit, is admirationi atque ædificationi est omnibus: contra vero, qui suis studet commodis, offensioni. 2°. Quia hujusmodi motus indicant hominem minime mollem; contrarii vero motus effœminatum, ac mollem, animumque suo corpori haud dominantem. Bonaventura de infor. novit. c. 20. "Sedens non pigre in latus reclines te, nec crura longe extendas. Exterior enim incompositio corporis est indicium indevotæ mentis." Et Beatus Isaias Abbas or. 3. "Si in cella tua," inquit, "vacas precationi, sta in timore Dei, ne te ipsum ad parietem inclines, ne ita statuas pedes tuos, ut in uno stes, et alterumtollas, ut stulti faciunt."[3] Similia tradit Clemens in Pædag.

Tertium genus est eorum motuum atque gestuum, in quibus studium honestatis elucet: nam qui habent aliquid immundi, aut sordidi, non modo nullam ædificationem

[1] L. 2. Pædag. c. 7. [2] L. 2. Pædag. c. 9. [3] B. Isaias Abbas.

gignunt, sed evertunt jam genitam. Ut si puris digitis, aut etiam cubito nares emungas; si inter vescendum frequenter ac violentius excrees, quod reprehendit in Pædagogio suo Clemens; aut epulas manu contrectes, inunctosque embammate digitos jucunde lambas; si in honestorum conventu barbam otiose vellices, aut caput scalpas, vel, quod nulla verecundia nonnulli faciunt, ex sinu, abditisque corporis partibus pulices necando extrahas. Qui quidem motus omnes gestusque ædificationem omnem evertunt, quia immundum minimeque honestum hominem nobis referunt. Contrarii vero motus, in quibus aliqua vis honestatis elucet, maxime accomodati sunt ad ædificandum proximum quemque. Ut merito sanctus quidam monachus cum comptam fratris videret cellam, idem de ejus animæ puritate judicium faceret, ut scribit Dorotheus ser. 16.

Quartum genus est eorum motuum in quibus apparet religiosa simplicitas, fucus autem omnis abest, omnisque simulata vel humilitas, vel honestas. Ficti enim fucatique motus non modo vim ædificandi non habent, sed potius stomachum et nauseam movent, ut fucata omnia: verbi gratia; nimis inclinare cervices reverentiæ causa, et, ut ait Hieronymus in ep. 2. to. 1: salutare submissius, suspirare crebrius, nimis tenui voce sermones infringere; neque enim putant homines verisimile, talem esse quempiam, qualem affectati fucatique motus significant. Atque hæc est causa cur aulica modestia et compositio minus interdum placet: quia quæsita non nata, accersita non sequuta videri potest. Quare Ambrosius l. 2. off. c. 18. "Est gressus," inquit, "probabilis, in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex."

Ratio hujus: quia motus atque gestus corporis exteriores cum sæpe sint interioris animi signa, si sint affectati, plus pollicentur quam quis vere in animo gerat; ideo veri-

tati adversantur, qua quis talem se præbet in dictis ac factis qualis est intus. Tamen id non prohibet, quo minus corrigendum sit naturæ vitium, licet studium affectationis abesse debeat: nam idem Ambrosius qui removet affectationem, laudat diligentiam et correctionem: l. 1. off. c. 8. "Ars," inquit, "desit, non desit correctio."

Sextum denique genus eorum est motuum, in quibus cernitur, ut dixi, gravitas cum humilitate conjuncta. Quoniam tanti est apud homines gravitas, præsertim si sit humilitate condita, ut vel leves homines coram viris gravibus se componant, omnemque levitatem missam faciant. Quod in Job perspici potest, in quo tanta inerat vitæ gravitas, ut vel liberiores solutique homines ab ejus conspectu se subducerent.[1] "Videbant," inquit, "me juvenes, et abscondebant," c. 29. Hanc gravitatem morum tanti facit Deus, ut Beata Virgo monuisse legatur Musam puellam brevi morituram, nihil ut leve et puerile gereret, et ut a risu jocisque abstineret. Lege d. 1. c. § 4. spec. ex 4. l. dial. B. Greg. Gravitas enim morum ædificationem parit, levitas destruit; ut si sæpe movearis, habitumque et figuram mutes; id enim est signum levitatis, teste Alexandrino Clemente. Item, si sis promptus ad risum, si sæpe vultus atque ora mutes, si crebris utaris inter loquendum digitorum argutiis. Levitatem etiam arguunt gestus quidam manuum, quos damnat Bonaventura, Spec. Dis. c. 7. Si præter necessitatem alterum ad cingulum vel manum trahas; si flores, poma, baculum otiose gestes; si cingulum inter digitos volvendo rotes, et id genus alia, quæ facile apud eum, quem dixi Doctorem reperias, et nos infra, cum ad singularia præcepta venerimus, attingemus.

Ad hanc motuum ædificationem tria valere possunt. Primum: studium mortificationis intimæ. Nam, ut diximus, internorum motuum sedatio ac mortificatio affert pacem et quietem in moribus exterioribus. Bonaventura: "Mor-

[1] Job. c. 29.

tificata secundum Apostolum super terram membra gestus debent mortificatos habere." Nam ex mortificatione interiore magis agnoscitur religiosus, ob modestiam quæ ex ea consequitur, quam ex ipso religionis ornatu, atque vestitu; ut in fratre nostro Fernando planum factum est, cum in navi illa quæ Brasiliam solvens in hæreticos incidit, vehebatur. Qui quidem talari tunica exutus ab hostibus, et tanquam secularis relictus, ex vultu tamen oculisque ad modestiam compositis, ab iis qui eum non noverant agnitus est, habitusque pro nostris, ut in epistolis Indicis scriptum est.[1]

Secundum: si quis assuescat cum solus agit, ita motus suos componere ac si semper esset ante oculos hominum. Alioquin nisi hujus modestiæ habitus domi nostræ prius comparetur, cum in hominum conspectum prodibimus, ne tum quidem etiam cupientes, modestiæ debitæ meminerimus. Bonaventura de Infor. nov. c. xvi. "Nunquam ita securus sis et absconsus, quin ita disciplinate et caste te habeas in visu, gestu, tactu et in omnibus aliis, ac si ab aliquo videreris." Et Isaias Abbas: "Te ipsum quoque dum solus es, dum induis, aut exuis, reverere."

Dorotheus, Ser. 20. "Cum te quieti tradis, modeste, sobrie religioseque te geras."

Et de Beato Antonio narrat Athanasius, cum transeundum esset illi flumen Lycum, rogasse Theodorum comitem, ut a suo separaretur aspectu, ne nuditatem corporis invicem uterque conspiceret. Cum autem ille recessisset, nihilominus cum se nudare vellet, erubuisse. Quas inter cogitationes, inventum esse divinitus ad alteram ripam siccis pedibus, siccaque veste.

Idem dicitur evenisse Beato Ammonio, quem ipse admirabatur Antonius, cum Nilum transire vellet, et suam ipsam erubesceret nuditatem d. 2. c. Idem de Beato Joanne Silentiario Episcopo scribit Simeon Metaphrastes,

[1] Ep. Franci. Henrici postrema.

qui non solum cavebat, ne videretur ab alio, sed ne seipsum quidem videbat nudum.

Tertium: Reverentia perennis ac continens tum Dei Optimi Maximi tum Angelorum: nam propterea diximus dici in Scriptura, timorem Domini finem esse modestiæ, quia qui Deum timet, ac reveretur, coercet etiam motus exteriores, ut patet in Job supra. Quare ad id etiam nos hortatur Bonaventura: "Sancti Angeli," inquit, "qui nobiscum sunt, semper vident omnia opera nostra quæ facimus, quorum aspectus debemus utique vereri, et præsentiam revereri: videt nos etiam ipse Deus, et judex noster;" propterea idem vult ea nos semper uti modestia, ac si a devota oratione recederemus.

Et Dorotheus, Ser. 20. "Cum te quieti tradis, modeste, sobrie, religioseque te geras, ne custodem Angelum, qui circa te vigilat, offendas, ac recedere cogas." Et infra: "Venerare Angelum tuum in omnibus actionibus tuis."

Et Isaac Syrus, c. 45. "Cum sobrietate ad necessaria tua egredere, sicut verecundans custodiente te Angelo, et timorem Dei perfice." Bernardus, de Vit. sol. p. 203. "Propter quod," inquit, "etiam jubet Apostolus velari mulieres propter Angelos, qui cum procul dubio tam die quam nocte nobiscum sint in cellis nostris, nos custodientes et nostris studiis congaudentes et cooperantes, placet eis ut etiam nullo homine vidente omnia nostra honeste fiant." Idem, Ser. xii. in psal., Qui habitat. "Caute," inquit, "ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas quem non vides? quid si videres? quid si tangeres? quid si olfaceres?" etc. Jam illud de Beata Maria notum est, quæ dum Beati Dominici alumnos dormientes per quietem invisit, omnibus benedixisse dicitur, præter quam iis, quos minus decore modesteque cubantes aspexerat. Tam est amica modestiæ in Dei famulis Dei Mater.

DE MODESTIA MOTUUM GESTUUMQUE CORPORIS.

Sed jam de præceptis singularibus, quoniam de universis diximus, disseramus. Primum autem præceptum ad capitis regendi rationem pertinet juxta 2^am^. Regulam.

IN SECUNDAM REGULAM.

"CAPUT huc illuc leviter non moveatur." Quatuor hac regula in gubernando capite præcipiuntur. Primum, ne leviter moveatur: quia, cum sit primum et præcipuum corporis membrum, magis apparet in eo id quod dedecet, quam in cæteris membris. Neque quisquam vir gravis caput facile movet, sive quid a tergo geratur, sive quid loqui cœperit. Sunt enim qui ad omnem popularem strepitum, aut etiam ad omnis auræ flatum caput vertunt, in quo suam indicant levitatem. Quare Clemens Alexandrinus, l. 2., Pædag. c. 7. "Sit autem," inquit, "gravis quoque aspectus, collique conversio, ac motus honestus et decorus." Sunt etiam qui inter loquendum caput identidem agitent, de quo Bonaventura, Spec. dis. p. c. 2. "Si os," inquit, "loquitur, caput non agitetur. Ratio est: quia est indecorum, si unum membrum alterius usurpet officium, ejusque ministerium sui admixtione confundat."

Secundum quod præcipitur, est, ut geratur erectum: tum quia inclinatio capitis animum dejectum indicat; tum quia id contra naturam est, quæ os homini sublime dedit ad supera contemplanda, non autem eum abjecit ad pastum, ut cæteras animantes; tum quia nimia inclinatio hypocrisim arguit, ut significat Bernardus, Formula hon. vit.; tum denique quia eadem minus speciosa est, minusque decora. Quo etiam accedit valetudinis ratio, cui noxia est capitis perpetua demissio, propterea quod humores facile in oculos aut in pectus defluunt: contra vero, si

geratur erectum, in scapulas potius abeunt, et in eas partes corporis, ubi periculi minus est.

Tertium præcipitur, ut quamvis rectum gerendum sit caput, non tamen rectum et sublime simpliciter, sed moderata potius cum inflexione. Sunt enim aliqui qui cervices et caput erigunt præter decorem, et prominenti pectore non sine nota fastus incedunt. Id igitur vitium in regendo capite maxime cavendum religiosis est, quia superbum animum arguunt. Prosp. "Erecta cervix, et truces oculi nudam superbiam clamant." Bonaventura, in Spec. dis. c. 6. "Honestus," inquit, "modus requirit, ut nec erecta cervice, nec prominenti pectore scilicet ambulent." Et de Infor. nov. c. 19. "Nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum."

Quartum præcipitur, ut inflexio moderata capitis non quidem super humeros, sed in partem potius anteriorem fiat. Hujus est ratio quia hujusmodi capitis, et cervicum inflexio in alterum humerum arguere videtur hypocrisim, vel remissionem animi, qui se ipsum deserit. Imitatur enim hic gestus eorum motum qui precibus vacant, in quibus vel non sentientes cervices torquent; juxta illud Isaiæ. 58. "Nunquid contorquere quasi circulum caput suum?" Propterea Bonaventura cum dixisset, "Nec erecta cervice ambulent, nec prominenti pectore;" statim subjicit: "seu etiam inclinato super humerum capite; quæ omnia," inquit, "vel levitatem, vel superbiam, vel remissionem, vel hypocrisim sapiunt."

His autem præcipue temporibus gubernandum est caput, ne decorum violes; 1m. cum incedis: facilis enim est in incessu ingressuque capitis motus propter societatem, et conjunctionem totius corporis quod movetur. 2m. cum loqui cœperis; sunt enim multi qui cum loqui incipiunt, agitant caput, præsertim inter pronunciandum agendumque publice, vel cum habetur oratio vel concio. De quo Bonaventura, supra: "Si os loquitur, caput non agitetur." 3m. cum quopiam spectas, aut intendis animum;

necessitas enim cogit caput vertere, cum ea quæ vel a latere, vel a tergo geruntur, inspectas: ac propterea ne levis sit motus capitis, continendus est prius oculus, ne temere, ac sine causa vagetur. 4m. cum alterum loquentem audis; sunt enim qui inter audiendum totis capitibus crebro annuunt; quod assentationis suspicione non caret.

IN TERTIAM ET QUARTAM REGULAM.

"OCULOS demissos ut plurimum teneant." Nam hoc religiosorum maxime proprium est, et hoc curant omnes. Quod facile intelligitur ex Regulis B. Benedicti, et ex iis quæ scribit Bonaventura in Spec disc. Quatuor hac sequentique regula præcipiuntur. Primum: ut demittantur oculi; quod, ut dixi, id religiosorum insigne sit, et in eo maxime omnis vis modestiæ eluceat.

Secundum: ut non immoderate tollantur, quia id arrogantiæ culpa non vacat. Bonaventura, 21: "Dilatatio cordis est exaltatio oculorum." Deinde quia fatui est sine modo oculos tollere. Prov. 21: "Oculi stultorum in finibus terræ."

Tertium: ut non in hanc, vel illam partem circumflectantur; quia curiosi est, et seipsum negligentis, ut dicemus postea, et levis dissolutique animi signum.

Quartum: ut non defigantur in alterius ora cum quempiam (præsertim auctoritate præditum virum) alloquimur. Quod etiam damnat Bonaventura in Spec. dis.:[1] "Videre," inquit, "cum oculorum defixione." Idem alibi planius. Ratio hujus est; quia qui in alterius ora suum defigit aspectum, impudentiam apertissimam declarat: nam qui alterum veneratur ac colit, potius sub oculos ejus spectat dum eum alloquitur, quam ut oculos in oculos figat. Deinde, quia talis obtutus probabili periculo non vacat, præsertim si cum fœminis, et formosis agendum sit. Propterea Ephrem in Consil. de Vita Spir.: "Ad novitium

[1] Par. 3. c. 2.

si contingat," inquit, "alloqui cum adolescentibus ætate, et aspectus venustate florentibus, custodi oculos tuos, ne concupiscentia mentem tuam conturbet." Et Augustinus,[1] "Oculi vestri," inquit, "et si jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nullam." Et Epist. 109. ad Monachos: "Oculi nostri etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem," to. 2.

DE DEJICIENDIS IN TERRAM OCULIS.

Duo hic disputanda videntur: Primum, cur religiosos deceat oculos habere demissos. Secundum, quibus præcipue locis continendi sint oculi ne vagentur.

QUOAD PRIMUM: Sex potissimum de causis demittendi sunt oculi. Primo, causa modestiæ, ut dictum est: quia maxime vis modestiæ in oculis cernitur, et ut quisque novit maxime continere oculos ne vagentur, ita modestissimus judicatur. Contra vero, licet in cæteris motibus corporis modum teneat, oculos tamen moderari non novit, continuo hac carere laude existimatur: tanta vis est in oculis. Ratio hujus est; quia cum oculus obtineat ex omnibus sensibus principatum, immo pulchritudine omnes partes corporis longe superet; sicut si quid habeat vitii, maxime in eo cernitur, ita si qua sit in eo virtus, luculenter apparet: nam et virtus et vitium in nobilissimis partibus multo magis, quam in obscuris animadvertitur. Propterea Christus, Matth. 6: "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit:" quia denominatio totius corporis pendet ab oculo, ut nobilissimo totius corporis membro; propterea dicitur homo totus, cæcus, non habens oculos cæcos. Sic in re nostra ab oculorum modestia cæcus homo modestissimus appellatur.

Secundo, custodiæ causa. Quia nullus sensus ita noxius est animæ et periculosus, nisi custodiatur, ut visus.

[1] In Reg. 3. to. 1.

Ut non sine causa roget David :[1] "Averte oculos meos, ne videant vanitatem." Et Hierem. Thren. 3. dicitur oculus depredari animam, quoniam eam omni bono ac virtute spoliat. Et, ut Gregorius ait :[2] "Homo concupiscendo visibilia, invisibiles virtutes amisit." Et Ephrem, Paræn. 37, "In oculo vago et distracto adulterium consistit."

Duobus autem modis potest intelligi quantum in oculis sit periculi; primum a priori, deinde a posteriori. A priori quidem ex comparatione ad cæteros sensus, septem circiter modis juxta septem differentias, quæ inter oculorum periculum, et cæterorum sensuum esse possunt.

1°. Per species enim rerum sensibilium, quas recipiunt, et admittunt oculi, imprimuntur menti phantasmata vehementia atque efficacia ad perturbandam et commovendam intelligentiam. Sunt enim oculi tanquam fenestræ mentis, ut ait Augustinus, et Gregorius 21. Mor. per quas rerum omnium corporearum imagines ad animam transeunt. Alii vero sensus non omnes sic irrumpunt in mentem ; nam quæ audiuntur non proxime et immediate per se phantasmata gignunt, nisi quatenus sunt oculorum jam sensu percepta, neque objecta aliorum sensuum sæpe animum permoverent, nisi proposita ei per oculos essent : *v.g.*, pulchritudo corporis, quam voluptas consequitur, ciborumque jucunditas, quæ visa statim appetuntur, non visa minus excitant appetitum. Et patet experimento : quia acrius movent quæ videntur, quam quæ audiuntur. Percurre singillatim sensus omnes : nam in plerisque si minus in omnibus sensibus, oculorum sensus magis est cæteris periculosus. Tactus quidem a Beato Basilio[3] omnium perniciosissimus judicatur : quatenus toto corpore fusus est. Sed tamen oculus, ut habet adjunctum quodammodo tactum (sua enim visione contingit omnia, ut patet ex eodem Basilio), propterea ipse potius videtur omnium maxime noxius, nisi contineatur.

2°. Oculi excitant alios sensus ad sua objecta con-

[1] Psal. 118. [2] 21. Moral. c. 2. [3] Lib. de Vero Virgin.

cupiscenda: propterea enim primi parentes comederunt cibum vetitum, quia viderunt pomum pulchrum ad vescendum; et David concupivit Uriæ uxorem, quia vidit.

3°. Objectum visus latius patet, et crebrius occurrit, quam cæterorum sensuum; quia quoties ingredimur, et ubicumque versamur, objicitur oculis id quod spectent, et cujus spectaculo capiantur. Non autem quoties ingredimur, et ubicumque versamur, semper aliquid, quod auribus objiciatur, occurrit, aut quod ore gustetur, aut quod percipiatur olfactu, aut quod jucunde tractetur.

4°. Oculi non erubescunt in suum objectum ferri, eoque delectari, quia cum videndi necessitate conjungitur delectatio, necessitas autem videndi sempiterna est. At alii sensus, quoniam hanc perpetuam necessitatem non habent in sua objecta tendendi, ne delectationis quidem periculum in iis perpetuum esse potest. Oculi casu videntur ferri in id quod spectant, excusationemque justam habent, si in ea quæ minus honesta sunt, incidant. At fabellis aures accommodare, mollibus autem manus, id non casu aliquo fortuitoque fit, sed studio ac de industria.

5°. Oculi nocent non solum in præsens, sed etiam in futurum; quia rerum quas admittunt domum, recordantur etiam post decennium. Et quicquid est in animo formarum ac spectrorum, quæ post diuturnum tempus nec opinantibus, aut cupientibus obversantur, totum fere ex oculis, aut per oculos acceptum est. Gregorius,[1] lib. 21. Mor.: "Species," inquit, "formæ semel cordi illigata manet, et vix magni luctaminis manu solvitur." Et planius etiam Ephrem, Paræn. 37. "Cæteræ," inquit, "affectiones atque perturbationes animi recentem habent tentationis ardorem. Bellum autem oculorum et præsens, et absens dolore affligit animam prava concupiscentia, inflammans mentem in id quod ex cæteris sensibus planissimum efficit."

6°. Quia oculi ipsi momento vanitatem hauriunt: neque enim aliquid in rerum corporearum motibus (ut ait

[1] C. 2. In 13. Job.

Augustinus) potest celerius inveniri: ut merito resurrectionis nostræ celeritatem cum exprimere vellet Apostolus, in ictu oculi fieri dixerit. (Lib. 4. Gen. ad lit. in fine). Alii vero sensus, ut sunt magis concreti, ac crassi, non tam celeriter ea quæ sibi objiciuntur, attingunt.

7°. Oculi eminus etiam, non solum cominus venenum hauriunt, cæteri vero sensus magis cominus: nisi forte aures putantur longius accipere sonitum, quam oculi spectra rerum: sed tamen illæ longinquius vocis sonitum potius, quam sententiam, qua permoveantur, accipiunt, oculi etiam longius, quo capiuntur, inspiciunt. Augustinus in Psal. 50: "De longe vidit David illam, in qua captus est; mulier longe, libido prope." Et Basilius de Ver. Virg.: "Aspectus," inquit, "jactis luminum radiis veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcumque voluerit, eminus tangit, et quæ corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum jactibus passive complectens, per eas quas impressit animæ formas, corpus omne ad invectas imagines voluptatis æstibus jactat." A posteriori vero oculorum periculum intelligimus. Primo, quia natura duabus hisce fenestris palpebrarum portas dedit, quæ celerrime et clauderentur, et aperirentur. Non modo ut si quid noxium corporeæ pupillæ incideret, id momento repellerent; verum etiam ut multo magis rejicerent ea, quæ nocitura essent animo, et tanquam hostibus in animam irrumpentibus aditum intercluderent. Propterea Gregorius l. 21. Mor.: "Sancti igitur viri cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per quæ formæ species ad mentem ingreditur disciplinæ magisterio lumina restinguunt, ne pravæ cogitationi vitio lenocinata famuletur." Secundo: Quia viri sanctitate præstantes maximum suæ salutis adiere discrimen ex incauto aspectu. Nam David ex oculis notum est cecidisse, de cujus casu sic Augustinus in Psal. 50.: "Proponunt," inquit, "scilicet sancti viri casum David, et ad hoc illum vident magnum cecidisse, ut parvi nolint videre unde possint cadere;"

et mox: "De longe vidit David illam, in qua captus est," ut supra.

Notum est etiam Benedicti exemplum, qui ex conspecta semel in sæculo fœmina postea in solitudine graviter ejus visionis cogitatione pulsatus est. Gregorius in Dial. l. 2.[1] Beatus etiam Bernardus cum minus aliquando cautus in aspectu fuisset, libidinis exorientis æstum gelidis stagni aquis extinxit. Quare periculi declinandi causa declinandi sunt oculi; et, ut nuda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis omni ratione deprimendi, scilicet quasi quidam raptores ad culpam, ut Gregorius l. 21. Mor. c. 2. in c. 31. Job.

Tertio: Humilitatis, et pœnitentiæ causa demittendi sunt oculi. Quia excelsi oculi superbiam, et impœnitens cor, demissi humilitatem testantur, et pœnitentiam. Quod excelsi oculi superbiæ indices sint, explicat egregie Gregorius[2] in ea verba Job: Qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. "Prima," inquit, "superbiæ ostensio esse in oculis solet; hinc enim scriptum est: 'Oculos superborum humiliabis;' hinc de ipso superbientium capite dicitur: 'Omne sublime videt;' hinc de illa, quæ ei per infidelitatem adhæsit, scriptum est: 'Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta subrectæ;' et Psal. 130: 'Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei;' et Eccli. 32: 'Extollentiam oculorum ne dederis mihi.'" Contra vero demissio oculorum index est humilitatis. Nam Basilius inter signa ejus,[3] qui superbiam ponit, collocat dejectionem vultus, et oculorum.[4] "Oculi," inquit, "mœsti, et humum aspicientes." Beatus etiam Benedictus cum duodecim humilitatis gradus faciat, principem constituit gradum:[5] "Corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus." Et Beatus Isaias dicere solebat: "humilitatem oculos non habere, nec linguam;" Or. 8. Quod autem oculorum dejectio pœnitentiam,

[1] C. 2. [2] L. 16. mor. c. 35. [3] Ep. ad Greg. Naz.
[4] De vita solit. [5] In Reg.

sublatio impœnitentiam indicet, Manassis testatur exemplum.[1] "Non sum dignus intueri, et aspicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum."[2] Et Achab conversus ad pœnitentiam ambulavit demisso capite. Et publicanus in Evangelio stans a longe nolebat nec oculos ad cœlum levare. Lege etiam Climachum gr. 5.[3] de pœnitentia accurata, p. 90, 91. ubi narrat eos, qui pœnitentiam agebant, se vidisse, facies lucidas inclinantes in terram, indignos qui cœlum aspicerent, vociferantes.

Bernardus de duodecim grad. "Quid audes oculos levare, qui in cœlum peccasti? terram intuere, ut cognoscas te ipsum; ipsa te tibi repræsentabit: quia terra es, et in terram ibis." Et ratione patet. Quia peccati comes est pudor, pudoris autem oculorum demissio: quos enim pudet, ii oculos caputque demittunt. Et de Aman dicitur, Esth. 6. "Qui præ pudore, ac confusione festinavit in domum ire operto capite." Isidorus quoque in Synod: "Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce; incede abjecto vultu, humiliato ore, deposita facie."

Et Isaias Abb. Or. x. "Qui studet," inquit, "se a vitiis, et perturbationibus expurgare, erubescit in cœlum oculos tollere in conspectu Dei."

Quarta causa cur demittendi sunt oculi religioso, quia oculorum libertas, et circumductio signum est cum curiosi animi, quod est vitium contra studiositatem, cujus esse diximus ex Q. 2. moderari appetitum cupiditatemque cognoscendi; tum impudentis, hominisque domi suæ scilicet non inhabitantis, sed qui ea quæ geruntur intus, foris occupatus non animadvertit. Dedecet autem cum omnem hominem probum, tum maxime religiosum, ad quem nihil pertinent ea quæ foris sunt, curiositas: sed se ipse debet religiosus aspicere, seseque attendere. Quare recte Bernardus:[4] "Ut temetipsum," inquit, "semper aspicias, semper ab omnibus oculos averte."[5] Et jure: nam cœci

[1] 2. Par. 36. [2] 3. Reg. 21. [3] Luc. 18.
[4] In Ep. ad Fratres. [5] De monte Dei, p. 202.

simus in contemplandis nostris malis, atque peccatis necesse est, si in aliena facta atque dicta oculus noster impingat.

In fabulis est, Lamiam dormire cœcam oculis in quodam vasculo conditis, foras autem egressam oculos ipsos inserere, atque videre. "Ita quisque nostrum:"[1] Plutarchus ait, "floris quasi oculos aptat in peccata et mala impingens sæpenumero ob ignorationem visum iis, et lumen non adhibent." Impudentis autem signum est, quia impune quo volunt, intrant etiam in eorum abditas res, qui minime eas videri vellent; quare æque sunt impudentes atque ii, qui non pulsatis foribus ingrediuntur in alienam domum: parvi enim refert utrum pedibus an oculis ingrediare. Lege Plutarchum de antiquis, qui appendebant malleos januis, postea janitores apposuerunt, ne quis repente intrans perturbati aliquid in familia videret.

Isaias Abb. Or. 3. "Faciem humi præ verecundia demissam teneat scilicet juventus."

Quinta causa, quia dejecti in terram vultus indices sunt timentis ac reverentis Deum. Patet in Job, qui cum de se ipse dixisset: "Pepigi fœdus cum oculis meis;" et, "Si secutus est oculus meus cor meum," postea tanta oculorum custodia unde oriretur ostendit. "Semper enim," inquit, "quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui." Ex timore scilicet Dei et reverentia oriebatur. Quod siqui ante Regiam Majestatem sunt, præ timore et reverentia vix regia ora conspiciunt, tantæ majestatis splendore perstricti: quid nos facere oportet, qui in conspectu Dei semper ingredimur? quique Divinam Majestatem sæpe læsimus, et ante ejus tribunal brevi sistendi sumus? Hieronymus, "Si mente," inquit, "cernerent homines quale judicium imminet mundo, sensus humanus non vanitate dispergeretur." Et patet hoc exemplo eorum, qui gradiuntur

[1] Opus de Curios.

ad mortem, quam timidi, quamque modestis et demissis oculis gradiantur; facit enim hoc timor instans.

Augustinus in Reg. 3. cum de non fingendis oculis in fœminam loqueretur, "Nec putare debet," inquit, "qui in fœminam figit oculum, et illius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non videri cum fecerit: videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, et a nemine hominum videatur; quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest?" Idem ibi: "Illius et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum."

Sexta causa, quia suadent id tum consilia, tum exempla Sanctorum. B. Benedictus hoc expresse in suis regulis præcipit, ut oculi cum cervice demissi gerantur.

Basilius l. de ver. virg.: "Non igitur oculorum," inquit, "acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandendæ sunt, ne omnem quoque figurarum, atque formarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum postea turbetur imagines;" et quæ sequuntur. Isaias Abb. or. 27.: "Oculos manuum tuarum operibus solum intende, et non rebus aliis, nisi probabilis necessitas id postulabit. Fœminas vero aut viros formosos, nisi magna urgente necessitate respicias cave." Nilus Instit. ad monach. junior. "Ne sit," inquit, "promptus ad risum, pudore se ornet, vultu terram aspiciat, cœlum animo."

Ephrem de hac re totam parænesim scribit, to. 2. paræn. 37. Ubi eandem sententiam habet ac Nilus, debere nos aspectum habere deorsum, sursum vero animam ad Deum.

Idemque de Patient. et Compunct. "Ne proprium quidem," inquit, "corpus fas est, eum qui in virtute exercetur, contueri."

Diadochus de Perf. Spir. c. 56.: "Degamus nos in hac vita fallaci tanquam oculis capti intuentes; profecto enim ad spirituale studium virtutis pertinet, adimere semper alas desiderio earum rerum, quas videmus." Quod Job ille

experientissimus docet cum ait: "Si secutus est cor meum oculus meus," quæ res summæ continentiæ est index. Dorotheus, Ser. 24. "Hæc est," inquit, "modestia, et grata Deo compositio, primum non circumferre huc et illuc oculos, sed quæ ante te sunt solum intueri."

Bernardus de 12. grad. cum de oculis demittendis præciperet, "Duabus de causis," inquit, "inculpabiliter oculos levas, ut petas auxilium a Deo, vel ut impendas proximo."

Ab hoc videtur sumpsisse Bonaventura in Spec. Dis. p. 3. c. 7. "Levat quidem Propheta oculos ut petat auxilium, Dominus ut impendat. Tu quoque," inquit, "si locum, causam et tempus consideras, tua vel fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed plurimum laudo. Hoc enim excusat miseria, illud misericordia. Sin alias, non prophetæ, non Domini, sed Dinæ vel Evæ, imo potius Satanæ imitatorem te dixerim."

Anselmus l. de Similitud. inter tria quæ juvenum insignia dicit esse, numerat corporis continentiam, "ut non leviter," inquit, "oculos huc illucque reducat, manus pedesve non moveat; sed omnia corporis sui membra decenter contineat."

Exempla vero Sanctorum quæ suadent oculos, vultusque demittere, sexcenta esse possunt, sed satis est pauca quædam de præcipuis attingere.

Job quidem solitum esse oculos custodire, et declinare in terram patet ex c. 31. "Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine." Ut enim cogitationes cordis caste servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Hæc Gregorius ibi. David quoque Psal. 118. "Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque." Curvitas ad corpus refertur. Qui autem corpus incurvant, oculos profecto dejiciunt. Suo nimirum David periculo didicit, ut in aspectu cautior esset. De S. Ephrem narrat hæc Sozomenus l. 3. hist. c. 15. "Fama est," inquit, "muli-

erem quandam vita dissolutam, et moribus plane impudentem, seu ut hominem tentaret ipsa, seu ab aliis mercede conducta id conaretur, quodam tempore dedita opera, ei ex adverso obviam in angiportu prodiisse, illumque intentis oculis aspexisse: eum autem acriter increpasse mulierem, jussisseque ut terram intueretur, mulierem vero respondisse: "Qui possum istud facere quæ non ex terra, sed ex te edita sum? Est enim æquius, ut tu terram aspicias ex qua ortum habes, ipsa autem ut te intuear unde procreata sum."

Augustinus de se ipso in Conf. "Resisto," inquit, "seductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes affectus mei, quibus ingredior viam tuam, Deus meus. Et erigo ad te invisibiles oculos meos, ut tu evellas de laqueo pedes meos."

De Isidoro quodam narrat Climachus, grad. 4. de Obed. post toleratam diuturnam atque acerrimam pœnam, cœpisse eo se cœtu in quo versabatur indignum existimare, nec ausum esse quempiam suis inspicere oculis, sed defixis in terram aspectibus solitum esse ingredientium et egredientium fratrum preces pro cœnobii foribus postulare, indignum qui in alicujus faciem intenderet, ut ipsemet Isidorus Climacho narravit.

Sylvanum etiam Abbatem aiunt, cum ad irrigandos hortos exiret, solitum esse faciem operire cucullo. Rogatus cur ita faceret; "Ne oculi," inquit, "arbores spectent, et mens mea a suæ contemplationis studio revocetur." Denique omnium Sanctorum mos hic fuit, ut ad modestiam oculos vultusque componerent; quod eorum scripta, ac præcepta declarant, neque enim id tam serio, constanterque præciperent, nisi ipsi prius quid præciperent, essent experti.

Ac de nostro quidem P. Ignatio accepi ab iis, qui eum superstitem de facie noverunt, vel ex ipso aspectu vultuque, ac modestia totius oris, sanctitatem ejus potuisse conjici.

De Malachia Episcopo habes apud Bernardum in Vita.

"Aspectus," inquit, "ejus aut officiosus, aut demissus, et cohibitus intra se; nempe, quod non mediocri laudi inter sapientes ducitur, oculus ejus in capite ejus, nusquam avolans, nisi cum virtuti paruisset."

Et de ipso B. Bernardo dicitur ita oculos circumcidisse, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanto itineris spatio non vidisset: ut cum lacum Lausanensem totius diei itinere perrexisset, et cum stramentum equi in quo sedit minime animadvertit.

Quoad secundum. Tribus autem locis demittendi, aut certe continendi sunt nobis oculi, si Sanctorum volumus parere præceptis. Primum inter orandum. Deinde inter epulas. Postremo cum prodimus in publicum.

Inter orandum tribus de causis continendi sunt oculi ne vagentur: primum ad vitandas aberrationes mentis; secundo, reverentiæ causa; tertio, propter ædificationem.

Inter orandum, sive publice sive privatim. Primum quidem, ne vagi oculi mentem ab orando distrahant, atque divellant, Matth. 6. "Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum." Ostio scilicet oculorum, non domus. Cubiculum autem cor nostrum est.

Nilus de Oratione, c. 105. "Habe oculos in oratione non distractos, ac vagos; vagus enim atque errans oculus errores mentis facile coarguit." Et c. 107. narrat quendam orationi deditum ne Angelos quidem qui se illi adjunxerant, aspicere voluisse, ne melioris rei jacturam faceret sanctæ orationis. Quia neque Angeli, neque Principatus poterunt nos separare a charitate Dei.

Secundo, reverentiæ causa. Quia Deo assistimus cum oramus, et quidem in Angelorum conspectu. Bonaventura de Inform. novit. c. 5. "Sta reverenter, et psalle alacriter in Ecclesia, et devote coram Angelis, qui ibi juxta te sunt præsentes: non circumspicias hinc inde, nisi necessitas adsit. Reverentiæ causa publicanus orans non audet oculos in cœlum tollere. Dominus etiam proci-

dens in faciem suam orat, aut intentis in cœlum oculis, non vagis.

Tertio, ædificationis gratia: præsertim cum publice oramus, ut in sacrificio Missæ coram multitudine. Nam si ubique modestiam commendat hominis oculorum demissio, certe in publicis precationibus mirifice commendabit. Contra vero, si ubique offendit oculus curiosus et vagus, quanto magis in publicis precationibus, ubi omnis adhibenda est reverentia, atque modestia? Propterea B. Vincentius, Tract. Vit. Spir. c. 8: "Non circunferas," inquit, "oculos hinc inde, nec aliquem videas quid faciat, vel quomodo se habeat, sed oculis in terram demissis, vel sursum erectis, vel clausis, vel ad libitum stes." Loquitur autem de orationis tempore.

In Missa autem plane non licet oculum flectere, si exemplo atque ædificationi proximis esse volumus.

Bonaventura, Spec. Dis. par. 4. c. 3: "Reprehensibile est ibi vagis oculis circumspicere, aut collocutionibus, dum Missæ officium celebratur, intendere."

Inter vescendum tribus de causis dejiciendi sunt oculi: primum, quia vagus in mensa oculus index est gulæ; secundo, quia index est solutioris animi; tertio, quia impudentiæ signum est.

Inter vescendum enim oculorum modestia a religiosis exigitur, ut hæc moderatio ac continentia moderationem ac continentiam ciborum indicet; modo tamen caput non admodum inclinetur, ne totus in edendo quis occupatus videatur. Circumspiciens autem inter epulas oculus haud dubie index est gulæ: cum scilicet ad aliorum patinas ac lances adjicitur. Propterea Hieronymus[1] appellat avidos oculos, qui in mensa vagantur. Et Clemens Alexandrinus in Pædag. præcipit custodiendum esse inter epulas immobilem faciei decorem, nec se huc illucque versantem.

Secundo, solutioris animi signum est: quia ne tum quidem, cum est in reficiendo corpore occupatus, ab

[1] In Reg. Monachorum, l. 2. c. 1.

oculorum licentia, ac voluptate se cohibet. Isaias Abbas, Instit. ad Fr. Jun. or. 3: "Inter vescendum," inquit, "oculos tuos in proximum ne conjeceris, neve respicias huc illuc." Bonaventura de Inform. novit. c. 8: "In mensa," inquit, "non sint oculi tui girovagi, nec hinc inde conspicias; ita ut nescias quis sedeat a latere tuo, vel quid faciat, vel quid coram se habeat."

Talis erat is frater, quem commendat Climachus; qui tanta dicitur oculorum fuisse modestia, ac continentia, ut cum ab Abbate missus esset ad sua perspicilla quærenda, quæ in cœnationis sede reliquerat, is prius ab Abbate requireret, ubinam in cœnatione sederet. Diu apud Abbatem illum fuerat: neque tamen adhuc ubi Abbas ipse inter epulas sederet, aspexit.

Tertio, oculus in mensa vagus est signum impudentiæ: propterea Bonaventura in Spec. Disc. par. 3. c. 2: "Oculorum," inquit, "custodia inter epulas propterea necessaria est, quia non decet præcipue ut vagos habeant oculos, neque curiose, et ut amplius dicam, impudenter, quæ sibi apposita sunt, attendant." Quæ ad verbum pene omnia sumpta sunt ex Ugone de S. Vict. tract. de Inst. Novit. c. 18. S. Vincentius, Tract. de Vit. Spir. c. 8: "Statue," inquit, "pactum tecum omnino, ut nullo modo circumspicias comedentes: sed solum tibi apposita videbis."

Et multo ante Hieronymus in Regul. Monachorum, c. 34: "Nequaquam avidi, et vagabundi oculi per discumbentes huc illucque vagando hunc vel illum magis vel illum minus denotent comedentem."

Cum in publicum prodeundum est, etiam tum continendi sunt oculi, ne libere qua volunt, errent. "Noli circumspicere in vicis civitatis, nec aberraveris in plateis illius."[1]

Primo, ut testemur hominibus ex habitu corporis atque oculorum interiorem animi moderationem, ut supra significatum est. Quia spectaculum facti sumus Deo,

[1] Eccl. 9.

Angelis, et hominibus. Cum autem eximus, sexcenti in nos oculi conjiciuntur, ac propterea tum maxime dejiciendi sunt nostri.

Isaias Abbas, Or. 3: "Si in civitatem, aut vicum proficisceris, oculi tui deorsum aspiciant, ne hostes tibi in cella suscites." Isaac Syr. c. 45: "Ne impleas oculos tuos aspectu alicujus rei ambulans in via."

Secundo, quia extra domum plurimæ vanitates hauriuntur, nisi oculi contineantur; propterea addidit Isaias: "Ne hostes tibi in cella suscites." Idemque Or. 7, p. 180. inter quatuor res quæ animam contaminent, dicit esse, primum in civitate versari, nec oculos custodire. Ephrem, De Vit. Spir. c. 20: "Cum e cella tua," inquit, "negotii cujuspiam, aut conveniendi alicujus gratia discedis, oculos tuos muni, et animum piis cogitationibus institue, sic illum alloquens: Egressus es non tanquam pictor, ut hominum formas effingas, atque exprimas: diligenter attende tibi; quomodo enim si rebus quæ sensibus subjectæ sunt, fueris occupatus, iis quæ non videntur, vacare poteris, atque in Dei recordatione tete oblectare, et conquiescere?"

Et Bonaventura, c. 35. De Inform. Novit.: "Quando extra domum egrederis, ne multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tenteris postmodum, et ab oratione impediaris." Et mox: "Oculi tui sint in capite tuo; hoc est, cogitatio tua versetur circa Deum, scilicet Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesiæ: ita etiam non consideres, quæ coram te foris sunt, nisi quantum necessitas viæ, vel utilitas alia requirit. Ut quantum vales, talem te domum reportes qualis existi, hoc est, ita devotum, ita mundum corde et vacuum rumoribus, ut ames silentium cellæ." Isaias Abbas etiam Or. 3: "In itinere," inquit, "mens in partes varias ne distrahatur, sed tecum ipse meditare, aut Deo funde preces in corde tuo." Talis erat Bernardus cum exibat, qui in itinere totus in orationem absorptus, ea quæ omnium oculis exposita erant, non videbat.

Huc referas licet tempus loquendi cum proximis, præsertim fœminis. "Ne circumspicias speciem alienam."[1]

Tertio, sapientiæ, et gravitatis causa. Quia sapientes non admodum admirantur quicquid oculis objicitur, nec curiose inspectant omnia. Contra, leves homines et insipientes omnia contueri volunt, et longe posita atque disjuncta. "Oculi stultorum in finibus terræ."[2] Hac gravitate fuisse Malachiam paulo ante significavimus, cujus aspectus, atque oculus a B. Bernardo nusquam avolans fuisse dicitur. Bonaventura, De Inform. Novit. p. 2. c. 4: "Non evageris," inquit, "tuis oculis hinc inde, singula intuendo, quia levitatis est indicium."

IN QUINTAM, SEXTAM ET SEPTIMAM REGULAM.

Omnes hæ regulæ eo spectant, ut oris decorem, et modestiam præcipiant. Quoniam autem tria sunt, quæ ora deforment, et minus decora reddant, rugæ, labiorum hiatus vel pressus, et tristitia seu turbatio: idcirco hæc omni animi provisione vitanda jubent. Ideo autem studendum est modestiæ oris, quia, ut ait Bonaventura, Spec. Dis. p. 3. c. 2: "In facie hominis speculum disciplinæ relucet, cui tanto major custodia est adhibenda, quanto minus, quod in ea peccati fuerit, celari potest."

DE RUGIS IN FRONTE VITANDIS.

Rugæ in fronte 1°. curarum plenum animum indicant; ideo pictores cum quempiam curis distentum penicillo volunt exprimere, confugiunt ad rugas: quia contrahitur animus cogitabundi hominis, et ad animi contractionem corpus quoque contrahitur ipsum in mollissima parte sui, scilicet fronte; quæ, quia velut mollis cera varie mutatur et volvitur, vultus appellatur. Idcirco igitur vitandæ sunt rugæ, quia religiosum animum nullæ curæ debent ita angere, ut eum immutent, aut de sua constantia deducant.

[1] Eccli. 9. [2] Prov. 21.

2°. Indicant etiam duplicem animum et simulatum; rugarum enim nomine duplicitas designatur, ut ait Gregorius, 23 Mor. in illud Job. 17: "Et rugæ meæ testimonium dicunt contra me." Quod vitium longe abesse debet a servo Dei; quia "Væ duplici corde," ut dicitur Eccl. 2. Oportet autem servum Dei minime astutum esse, sed simplicem, et simplicitatem etiam ipsa fronte testari, ne in eum quadret vulgare proverbium: Aliud habet in fronte, aliud in pectore. Qua in re imitari decet Dei Matrem, quam tradit Nicephorus simplicem fuisse, minimeque vultu fingentem. Eccl. Hist. l. 1. c. 2.

3°. Indicant mœstitiam; quia in mœrore frontem contrahimus propterea quod contrahitur etiam cor et animus, unde oritur contractio frontis. Contra vero, cum frontem exporrigimus, lætitiæ signa damus, quia et tum cor ipsum, cum est in lætitia, dilatatur. Servus autem Dei omnem frontis contractionem vitare debet, ut testetur interiorem animi lætitiam, et ut aliis affabilem, hilarem, gratiosumque se præbeat: alioquin nemo sit, qui ejus congressu ac consuetudine delectetur. Quemadmodum enim cum nubibus contractum est cœlum, mœrorem omnibus incutit et quasi tristitiam quandam; cum vero nullis nubibus est obductum, sed egregia tempestate omnibus aperitur, exhilarat animos, et quadam quasi voluptate perfundit: sic homo cum frontem atque ora contraxit, a suo congressu deterret omnes; cum vero exporrigit atque explicat, exhilarat universos.

4°. Indicant alienationem voluntatis. Nam cum alieno animo sumus ab aliquo, rugas frontemque contrahimus: contra cum amici sumus, et propenso in aliquem animo, propensionem ipsam animi, placido etiam vultu hilarique testamur. Sic Laban alienus a Jacob tristis erat. Gen. 34.

5°. Indicant conscientiæ perturbationem. Lege Athanasium in Apologia ad Constantium, p. 209; et in vita Antonii. "Cujus animi puritas," inquit, "cognoscebatur ex vultu" p. 651.

In naribus autem idcirco vitandæ sunt rugæ, et quia multo plus, quam rugæ frontis, ora deformant, et quia contemnentis et subsannantis hominis plerumque sunt. Adde etiam abhorrentis stomachi: rugas enim contrahimus in naribus, cum tetrum aliquid, aut male olens vel aspeximus, vel olfecimus.

DE LABIIS NIMIS PRESSIS, AUT DIDUCTIS FUGIENDIS.

Labia autem nimis compressa, aut nimis diducta, præter oris deformitatem, quam afferunt, possunt etiam aut stultitiam aut negligentiam indicare: nam et amentis est, plusquam ferat eorum ratio, comprimere, et oscitantis vicissim animi patula atque adaperta gerere. Solent quidem nonnulli nimium comprimere labia, cum taciti aliquid admirantur; quia naturale est in admirationibus præsertim magnis, ora compescere, et silere. Propterea natura quodammodo ipsa adducit, contrahitque labia, ne fari possint. Semper autem admirationis edere signa, attoniti est ac stolidi; oscitantis autem animi est, patula atque adaperta gerere: quia, ut negligentis janitoris est januas nulla poscente necessitate patentes atque apertas habere, stolidi autem amentisque plus æquo obserare repagulis, cum itentidem aperiendæ sunt: ita etiam stolidum est, labia plus justo premere, atque habere conclusa; et dissoluti animi etiam tum habere patentia, cum necessitas nulla est. Dorotheus: "Dedecet monachum os patulum unquam habere."

QUINQUE TEMPORIBUS MODERANDUS ORIS HIATUS.

Quinque autem tempora sunt observanda, ne hiantia habeamus ora præter decorum. 1°. Cum oscitandi cupiditas nos invadit; propterea enim oscitatio ipsa reprehenditur, quia dilatatio illa oris atque hiatus fœdissimus in eo, qui ratione utitur, existimatur. Nam ferarum potius est hiantia ora tanquam ad capessendum cibum præseferre. Isaias Abbas, Or. 3: "Si oscitandi te cupiditas

invaserit, os clausum contine, et abs te fugiet." Dorotheus Ser. 24: "Cum oscitas, cave os tuum quispiam videat; comprimente autem te spiritum tuum, illico pertransiet." Idem plane docet Bonaventura, Spec. Dis. p. 3. c. 7. Isaac Syr. c. 45: "Cum oscitas, operi os tuum, ne videaris: retines enim aspirationes, transiens, si potes." Idcirco autem oscitationes et pandiculationes vitandas Clemens monet, quia sunt instabilis animæ fastidia.[1]

Huc referri potest etiam sternutatio: ut ore composito transmittatur, si cui evenerit, non diducto atque hiante, ut præcipit 2. l. Pædag. Clemens. Ubi monet in sternutationibus non oportere sono proximos ciere, qui de mala educatione testimonium ferant. "Sternutationis autem strepitum, qui conturbat, respiratione leniter repressa aut retenta auferendum esse. Signum quippe arrogantis esse, si soni aliquid addatur."

2°. In ridendo. Isaias Abb. Or. 3. ad Fratres Jun. de juniore dicit: "Dentes in risu nunquam aperiat," p. 168; et pag. 166: "Ne aperueris os tuum ut rideas omnino; est enim id animi solutioris: effuso autem risu corripi signum est intemperantiæ, ut Basilius ait, et quod motus animi non sint repressi." In Ascet. c. 17. Dorotheus, Serm. 24: "Si coactus fueris ridere, risus tuus careat dentibus." Quia ut idem dicit, Ser. 20: "Dedecet monachum os patulum unquam habere."

Et Isaac Syr. c. 45: "Si coactus fueris ridere, ne appareant dentes tui." Ugo: "Ridere debet sine aperitione dentium."

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 7: "Non licet religiosum virum dissolutis labiis risum proferre. Fœdum est enim dentes sæpe marcidos ac tetros in risu ostendere, præsertim si quis dens absit extra ordinem suum, et vallum appareat, et caverna quædam, eo fœdior erit risus."

Risus autem an religiosum deceat (ut hoc interim perstringamus) et qualis, consulendus est Basilius in

[1] L. 2. Pædag. c. 9.

Asceticis.[1] Comprimendum quidem plerique docent; præcipue Clemens, ut de cæteris sileam.[2] "Neque enim," inquit, "quia naturale est homini ridere, et quia homo est animal ridendi vi præditum, ideo perpetuo ridendum est; quandoquidem ne equus quidem, cujus est proprius hinnitus, semper hinnit." Quo loco Clemens καγχασμὸν, seu cachinnationem in primis à moribus christianis explodit. Quia, ex Eccli. 21. "Stultus in risu extollit vocem suam. Vir autem astutus vix sensim subridebit:" et Chrysostomus, Hom. 6. in 2. c. Matth. invehit in cachinnos. Et B. Benedictus inter instrumenta bonorum operum hoc ponit, Risum multum, aut excussum non amare.[3] Sed de hoc etiam infra.

3°. In loquendo canendoque. Quia os nimium patulum etiam tum præseferre indecorum, et quia interdum efflatur halitus permolestus, aut exilit saliva in audientem minus honeste. Bonaventura ibidem, c. 3: "Ne inhoneste quidem in ejus faciem halitus aspiratione insufflet, aut halitu ipso post vinum potatum." Et mox: "Loquentis halitus vultui auditoris, et naribus vitiose prorsus ingeritur." Huic autem incommodo occurres, nisi nimium aperias os in loquendo.

4°. In tacendo, dum auscultatur. Ugo de S. Vict. de Novit. Instit. c. 12: "Sunt quidam qui nequeunt auscultare, nisi buccis patentibus."

5°. In edendo: Quia signum voracitatis est. Sic enim lupi faciunt, et feræ cum poscunt cibum: totas pandunt fauces, testes voracitatis suæ.

DE ORIS TRISTITIA, AC SEVERITATE VITANDA.

Tristitia vero, aut alia perturbatio oris merito in religiosis accusanda est. Immo et in Christianis, ut ait Clemens 2. l. Pædag. quorum propriam dicit esse quietem, et pacem, et tranquillitatem. Tristitia autem oris perturbationes animi commotionesque parum sedatas domitasque

[1] 17. et in. Reg. brev. [2] L. 2. Pædag. c. 5. [3] In Reg. c. 4.

declarat; tollitque pulchritudinem omnem, et totum deformat atque obscurat aspectum: quæ vitia a religiosis hominibus longe abesse debent. Quocirca non ab re fuerit, quoniam leges nostræ adeo nobis hanc hilaritatem vultus orisque commendant, de ea singillatim pauca disserere.

DE FRONTIS SERENITATE ATQUE HILARITATE.

Hic duo quæri possunt: alterum est, cur imperetur serenitas vultus? alterum, quomodo obtinenda?

Hæc etiam pertinet ad modestiam. Dicit etiam Ambrosius in Off. "In modestia maxime tranquillitas animi ac studium mansuetudinis quæritur."

CUR IMPERETUR SERENITAS VULTUS.

Quoad primum, quinque possunt afferri causæ, cur jure præcipi videatur hilaritas, ac serenitas frontis. Prima est ad ædificationem hominum; quia serenitas et tranquillitas vultus in religioso indicat aut perfectam appetitionum omnium quietem et tranquillitatem, aut abundantiam quandam Sancti Spiritus, aut conditionem religiosi status, et differentiam a seculari. Quæ omnia ædificandi vim habent.

1°. Perfectam animi quietem ac perturbationum omnium sedationem indicat, ut in Socrate philosopho, cujus uxor Xantippe dicebat se vidisse eodem vultu atque fronte exeuntem illum domo, et redeuntem; ut scribit Cicero in Tuscul. et Laert. in vita: quæ frontis constantia atque hilaritas in eo ex moderatione appetitionum ortum habuit.

Atque id quidem multo verius multoque planius animadvertitur, cum ad humanum studium ac diligentiam accesserit gratia, qua carebant ethnici. Itaque scimus in nostro Parente Ignatio quantam ad moderandos tum animi, tum corporis motus vim habuerit continens sui domandi studium cum cœlesti gratia conjunctum. Quæ quidem appetitionum moderatio ac mortificatio eam illi æqualitatem animi genuit, perpetuamque constantiam, ut etiam in corpus redundaret. Siquidem accepimus

sereno vultu, explicataque fronte fuisse. Ribad. l. 5. c. 5. Lege etiam de B. Georgio, cujus discipulus Theodosius affirmavit se, cum duodecim ipsos annos observasset magistri vultus, nunquam eos vidisse turbatos.[1] Et de B. Malachia Episcopo sic Bernardus: "Vultus hilaritatem nec fuscavit mœror, nec levigavit." Et in 2. Ser.: "Tam modestus," inquit, "ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitiæ nævo, vel nubilo vendicare sufficeret."

2°. Abundantiam Divini Spiritus atque gratiæ serena frons indicat, si tum serenitas constans sit. Ut in Antonio, quem scribit Athanasius florido semper vultu lætoque fuisse: "Habebat," inquit, "in vultu magnam gratiam, et admirabile a Salvatore hoc etiam munus acceperat. Si quis enim ignarus ejus inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante, cæteris prætermissis ad Antonium currebat, et animæ puritatem agnoscebat ex vultu, et per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur." Et in Martino, quem narrat Severus a nemine visum esse mœrentem: "Unus," inquit, "idemque semper, cœlestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur." De Nat. Mart. or. 1.

De B. vero Bernardo sic scriptum legimus: "In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique sed cœlestis." Nam de Sanctissima Dei Matre quid attinet dubitare? Quæ cum gratiæ fontem peperisset, non poterat non etiam vultu præseferre lætitiam. Narrat autem Epiphanius, lib. de hæres. eam habitam esse pro Dea, tanta erat floridi oris lætique pulchritudo. Et Damascenus ejus commendat venustatem oris. Et Nicephorus, Eccl. hist. l. 1. c. 23, ex Epiphanio maxime eam affabilem fuisse tradit, et sine perturbatione, et omnis iracundiæ prorsus expertem. Et alibi ait: "In oris divinitate fuisse Filio simillimam, et Filium matri." "Quippe abundantia cordis," ut ait Emis-

[1] In Prat. Spir. c. 108.

senus,[1] "transit in decus corporis. In exteriori gloria candor interioris exundat ; et abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiant." Ratio autem in promtu est : "Quia quæ procedunt a gratia, et spiritu (ut ait Macarius,) lætitiæ prædita sunt; quæ autem ab iniquitate,plena sunt turbatione."

Et B. Antonius apud Athanasium ait, Sanctorum Angelorum aspectum amabilem et tranquillum esse : quia cum illis est Dominus fons et origo lætitiæ. Contra vero malorum angelorum vultus truces esse ac formidolosos, quia exciderunt a gratia. Et idem, qui supra, Emissenus de B. Stephano, cujus Judaei faciem tanquam faciem Angeli vidisse dicuntur, sic ait : "Habens intra se Spiritum Sanctum, os præ se gestat angelicum." Paulus autem inter fructus Spiritus gaudium numerat, quod quidem etsi est in animo, prodit etiam foras, et sua vi quadam hilaritate conspergit ora.

Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 1. c. 2. : "Magnum inhabitantis gratiæ signum, spiritualis lætitia;" p. 36. vol. 2 : "Contra vero tristitia signum inhabitantis mali spiritus." Patet in Saul, 1. Reg. qui egebat cithara David ad leniendum malum spiritum. Idem Bonaventura, Spec. Dis. p. 1. c. 2. : "Solet," inquit, "in aqua turbida latere piscaturus spiritus tortuosus. Sic dæmon in mœstis mentibus."

3°. Serenitas vultus in religioso facile indicat conditionem religiosæ vitæ, et differentiam discrimenque religiosi status a seculari. Quoniam in seculo rara pax, inconstansque lætitia : inter religiosos vero famulosque Dei perennis jucunditas, ut vere videatur cecinisse Propheta : "Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum." Cum igitur homines animadvertunt lætos religiosorum vultus, contra vero secularium sæpe turbatos, argumentantur ex eo quantum inter utrorumque vitam interjectum sit intervallum. Patet id etiam ex contrario : nam cum quis vocationis donum per incuriam amittit, ora mutat, et mutationem animi mœsto ac perturbato

[1] Hom. 7. Euseb. Emis. de S. Stephano.

vultu testatur. Hoc quotidie in iis qui a vocatione excidunt, experimur.

Sane B. Gregorius Nazianzenus de Juliano Apostata etiam tum adolescente prædixit id quod in eo consecutum est: conjectura ductus ex perturbatis oris lineamentis, et risu petulanti, et ferino aspectu, et toto corpore vago temereque subsultante: ut in Gregorii vita legitur.

Secunda causa. Ad societatem et congressum, et ad præbendos hominibus facillimos aditus frontis serenitas imperatur. Nihil enim sic allicit homines, ut ejusdem serenitas frontis, nihil ita deterret ut frontis contractio. Nostra autem vita cum sit gregalis, versemurque tum sæpe nos inter nos, tum inter externos, necesse est et ad tenendam inter nos facilius societatem fraternam, et ad capiendos alliciendosque homines, quibuscum agimus, omnem comitatem hilaritatemque vultu præferamus. Ac mihi quidem frontis explicatio atque serenitas, cœli serenitati, contractio tempestati obscuræ persimilis videri solet. Ut enim egregia tempestas serenumque cœlum quodammodo exhilarat universos; atra vero tempestas obductumque nubibus cœlum quasi quadam tristitia eos afficit: sic oris serenitas mire capit hominum animos, tristitia atque contractio deterret. Omnes enim a tristi ac truculento vultu refugiunt: contra hilarem sequuntur omnes: et ut ait 2. Cic. de pet. consul. Fronte magis quam beneficio homines capiuntur. Nimirum quia frons indicat voluntatem, quæ si abdita ac retrusa significetur, parvi refert liberalem esse.

Quare Bonaventura, in Morum Disciplina, tom. 2. de Proces. Rel. c. 2. benignitatem exigit, vultus scilicet: quæ religiosum facit (inquit) affabilem, tractabilem, in bono hilarem, et modeste jucundum, socialem, gratum, omnibus gratiosum.

Et de Infor. Nov. c. 21.: "Stude," inquit, "multum esse serenus, non turbulentus, nec indignabundus."

Et Bernardus, in Formula honestæ vitæ: "Tristitiam,"

inquit, "maxime in conventu dissimulare te decet, quandam in facie hilaritatem prætendens ; privatim autem nunquam vultus in diversa mutetur:" tom. 2. p. 242. lit. B.

Talem fuisse in congressu Dei Matrem, scilicet, perquam affabilem, scribit ex Epiphanio Nicephorus, Hist. Eccles. c. 23.

Sed cum omnibus necessaria est hæc serenitas frontis, tum iis qui præsunt cæteris ; nam si ad imperium severitas vultus accedat, quis eos ferre possit? aut quo animo esse possint ii qui parent, si suorum moderatorum vultus non dicam tristes, sed minus benignos aspiciant?

Xenophon quidem præliantes, aut aliis in periculis constitutos milites scribit, viso Clearchi placido ac benigno vultu, animosiores fuisse redditos. Quia imperantis æquitas ac serenitas vultus animos addit iis qui parent, tum ad parendum, tum ad ferenda æquo animo omnia.

Tertia causa. Ad temperandam maturitatem gravitatemque quam religiosis diximus esse necessariam, studendum est hilaritati frontis. Posset enim jure cuipiam videri aut molesta gravitas, aut fastidiosa, si frontis quoque tristitia, severitasque vultus accederet. Quod ipsum animadvertit Bonaventura, de Proced. Relig. c. 2. "Benignitas," inquit, "scilicet vultus, facit ne austera et dedignata putetur scilicet gravitas et maturitas. Sicut contra maturitas," inquit, "temperat benignitatem, ne levis et carnaliter blandiens, vel adulatoria applaudens existimetur."

Et B. Vincentius, Tract. Spir. "Spiritualis," inquit, "lætitia in quandam convertitur levitatem, nisi fræno discretionis actus comprimatur extrinsecus, scilicet per gravitatem et maturitatem:" p. 347. Talem quoque fuisse Dei Matrem significat Damascenus de Mar. Nat. or. 1. cum ait mores ejus fuisse severos, atque hilaritate temperatos. "Mores ejus," inquit, "severi atque hilaritate temperati: hilaritas scilicet oris gravitatem morum temperabat."

Quarta causa. Ad inchoandam et augendam interiorem pacem ac tranquillitatem. Fieri non potest, ut quis conetur explicare frontem, et serenitatem extrinsecus præseferre, quin eadem opera studeat animum a tristitia curisque defendere. Ratio hujus, quia, ut supra dictum est, frons contrahitur ad contractionem animi. Ergo si quis velit frontem exporrigere, necesse est prius cor animumque dilatet. Verum est enim quod supra ex S. Thoma docuimus 2. 2. q. 161. a. 3., studium humanum ab exteriore homine ad interiorem componendum pervenire. Tranquillitatem autem internam omnium fere virtutum chorus comitatur; ideoque dicit Climachus, Grad. 29: "Sicut firmamentum stellarum pulchritudinem habet, sic tranquillitatem reliquarum ornamenta virtutum, ut expertem esse iracundiæ omnis, esse mansuetum, constantem," etc.

Quinta causa. Ad eludendos vincendosque dæmones: qui cum animi cogitata perspicere non possint, vultum et speciem oris observant, quæ reconditos mores effingit. Quod si tristitiam vultus aspexerint, admovent machinas ad oppugnandum animum, tanquam idoneum nacti tempus: cum enim ipsi turbatione sint pleni, turbidis etiam animi nostri motibus delectantur.

Quare jure monebat Antonius maximum adversus dæmones esse præsidium, si lætitiam tranquillitatemque servemus. Norunt enim non posse eodem tempore in anima nostra et spiritum esse tristitiæ et spiritum Dei, qui est fons et origo lætitiæ. Ideoque tanquam lupi nubilo atroque cœlo aut nocturno tempore per licentiam tenebrarum, sic illi ad perdendas ac rapiendas oves tristitiæ noctem observant. Ait enim Hermes, Mand. 6. "cum recesserit ab homine Spiritus Sanctus, eum continuo spiritibus repleri malignis." Ergo explicanda et exporrigenda frons et etiam tum, cum animum mœror occupat; ne causam illis invadendi in animi nostri bona præbeamus. Quare et Climachus serenitatem et tranquillitatem ait

esse intimum cœlum mentis, versutias dæmonum floccifaciens, et pro ludibrio jam æstimans. Grad. 29.

QUOMODO OBTINENDA HILARITAS ORIS.

Quoad secundum. Hæc oris hilaritas facile obtinebitur, si prius lætitia curetur interior; ex hac enim illa nascitur, neque quisquam facile celat gaudium mente conceptum. Eccl. 13: "Cor hominis immutat faciem illius." Quare docendum potius est quemadmodum interior obtineri possit hilaritas, ut discamus quemadmodum comparetur exterior; quia vere ex Ecclesiastico: "Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore:" ac propterea huic maxime studendum est.

Interior igitur hilaritas ac tranquillitas quatuor præcipue viis comparari potest.

QUATUOR VIIS INTERIOR COMPARATUR HILARITAS.

1°. Edomandis cupiditatibus, animique perturbationibus: quia illæ sunt quæ nos exercent, ac vexant; illæ nos exagitant atque animi pacem auferunt; quæ domitæ victæque si fuerint, necessario magna in nobis pax consequetur.

Habere autem passiones perturbationesque animi vim hanc, ut quamdiu subactæ domitæque non sunt, excrucient animum, ac torqueant, præterquam quod usus quotidianus nos admonet, docet etiam Dorotheus, Ser. 21. ubi dicit: "Si quis vel unam tantum passionem in habitum conversam habeat, multis eum pœnis, et cruciatibus esse obnoxium." Et Ser. 12. dicit: "Post mortem fore, ut qui perturbationes animi in hac vita non domuit, ab iis maxime crucietur, multo etiam magis quam in hac vita." Seneca etiam præter ea quæ in hanc sententiam affert lib. de Tranquill. animi, Ep. 59. ait, Gaudium non nasci nisi ex virtutum conscientia. Ubi etiam dicit: Sapientiæ effectum esse gaudii æqualitatem.

2°. Pendendis suo momento rebus omnibus transeuntibus. Si quis enim ea quæ momento prætervolant,

attente consideret, nihil ex iis doloris ac voluptatis accipiet. Jam quicquid inurere animo dolorem potest (una excepta culpa) non admodum movere me debet, quoniam cito transit, cumque extra me sit, me ipsum lædere, si nolim, omnino non potest. Hoc est, quod dicit David, Ps. 38: "In imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur." Nimirum quia subito prætervolant quibus ille angitur, et perturbatur, ideoque frustra oritur in ejus mente turbatio. Et Paul 1. Corinth. 7: "Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui flent, tanquam non flentes; præterit enim figura hujus mundi." Et Gregorius: "Nihil," inquit, "quietius quam hujus mundi nihil appetere."

Neque abs re est quod dicit Marcus Anachor. Disp. 3: "Qui hujus," inquit, "vitæ molestias futurorum bonorum expectatione suscipit, ab iracundia et tristitia facile liberabitur." Nilus, Or. 5: "Qui mundum," inquit, "diligit, sæpe tristitia afficietur; qui autem contemnit ea quæ in mundo sunt, in perpetua lætitia versabitur."

Hanc sapientiam despiciendi fluxa omnia vim habere procreandi in animo gaudii atque æquitatis, videtur etiam ethnicus philosophus agnovisse. Seneca enim Ep. 59 cum dixisset: "Omnia ista oblectamenta fallacia, et brevia decipiunt," mox subjicit: "Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est. Habes ergo quare velis sapiens esse, quia nunquam sine gaudio est."

3°. Voluntatis suæ spoliatione atque abdicatione. Voluntas enim propria pœnam habet, ut dicunt Sancti. Ergo qui statim voluntatem suam amputat, amputat simul omnem tristitiæ ac mœroris occasionem. Quia nemo læditur, nisi a se ipso, ut pluribus Chrysostomus in homilia, quæ hac ipsa de re est. Spoliat autem se quisque voluntate sua per humilitatem, et obedientiam, in qua utraque posita est magna tranquillitas animi. In humilitate quidem testatur ipsa Veritas, Matt. xi.: "Discite a me, quia

mitis sum et humilis corde: tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris." Et hoc jugum humilitatis dicit esse suave: quia quietem et gaudium parit. In quem locum lege Theophylactum.

Dorotheus etiam, Ser. 1: "Qui veram," inquit, "cupit animæ suæ possidere quietem, humilitatem addiscat, etc. Nam ex superbia multiplex afflictio, et magnum miseriarum examen." Et jure; humilitas enim procreatrix est gaudii: 1° Humilis non audet adversari divinæ legi; scit autem quicquid illi acciderit minus lætum, id accidisse divina lege, ut ait Seneca Ep. 77. ideoque non angitur. 2°. Humilis in adversis jure se videt angi propter anteactæ vitæ peccata, cum quid autem jure factum est, acquiescimus, contra vero cum quid injuria factum videmus, excruciamur; imo vere humilis ab omnibus despici vult, et omnibus esse subjectus, ex cognitione scilicet quam habet sui. 3°. Quia humilis nihil altum quærit: ambitio autem, et velle conspici, magnam animo solicitudinem creat.

Climachus, Grad. 4. p. 84: "Qui ad placidissimam animi quietem currit, die omni quo maledicta non sustinet ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur."

Et apud eundem, p. 58, habes cur Macedonius ille Diaconus in humilitate illa primi ordinis manere voluerit. Quia "nunquam," inquit, "ita me bello omni levigatum sensi, divinique luminis dulcedinem in me ipso sensi."

In obedientia autem sita est etiam animi pax, et lætitia, quia humilitatem habet adjunctam, quæ pacis atque æquitatis est procreatrix. Hæc autem obedientia duplex esse potest. Altera, cum Dei causa alieno nos arbitratu judicioque formandos et regendos permittimus. Altera cum præter obedientiam, quam homini deferimus propter Deum, Deo ipsi in rebus omnibus atque eventis etiam minimis acquiescimus, omniaque non ut casu, ac fortuna invecta, sed ut a Deo missa accipimus ac perferimus.

Haec gemina obedientia magnam utique in animo quietem parit. Prioris quidem fructus quantus sit, indicat

is quem antea nominavi, Dorotheus, Ser. 1. Qui cum meminisset scripturae dicentis oportere nos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum, nec tribulationem se experiri ullam animadverteret, quæsivit ex Joanne Abbate per litteras quid sibi agendum esset nihil in hac vita perferenti adversi, ne perderet animam. Cui Abbas: "Ne vereare," inquit, "fili, si nullis molestiis atque ærumnis angeris, nec ullas tribulationes in animo sentis. Quicunque enim se Patrum obedientiæ totum tradiderit, seseque alieno arbitratu atque judicio formandum regendumque permiserit, hanc animi tranquillitatem, atque indolentiam proculdubio sentiet, et hac mentis quiete paceque perfruetur."

Ratio hujus, quia voluntas propria, ut diximus, pœnam habet. Quisquis igitur sua voluntate se spoliat, pœna se liberat, et confirmatur antiquorum dicto: Nemo læditur nisi a se ipso. De quo fuse Chrysostomus.

Posterioris etiam obedientiæ atque spoliationis propriæ voluntatis par est fructus; cum scilicet omnia quæcunque nobis accidunt, a Deo missa putamus. Magna enim necesse est in animo nostro lætitia consequatur, cum fide credimus omnia nobis immitti divinitus, nostrasque vitæ rationes non ex nobis ipsis, sed ex Deo suspensas habemus.

Talis erat David, qui secundum cor Dei fuisse dicitur; cui cum malediceret Abisai filius Sarviæ, vetuit eum ab amicis famulisque puniri: "Dimittite," inquit, "illum: Dominus præcipit, ut malediceret David." Talis erat et Senex ille, cui lini oleum pro melle potandum traditum est: "Si voluisset," inquit, "Deus, ut mel ederem, mel utique posuisset." Lege in vitis Patrum. Et Dorotheus, Ser. 7. Talis erat et Job, quem antea nominare debui, cum dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Ac propterea nec Job stultum aliquid locutus est in Deum impatientia animi victus; nec David in Abisai stomacho atque ira excanduit; nec Senex ille

tristatus est ex lini oleo potato. Quia omnes omnia quæ eis acciderant tanquam a Deo missa atque importata cognoverant.

Huc facit illud Senecæ, Ep. 77: "Vir bonus quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit; sciet enim hoc accidisse lege divina, ex qua universa procedunt."

4°. Oratio etiam multum habet ad gignendam animi lætitiam roboris ac momenti. 1°. quia collocutio ipsa cum Deo hanc habet vim: nam si colloquia cum amicis aut sedant, aut abstergunt animi tristitiam, quanto magis orationis dulcedo, in qua cum Deo sermocinamur et agimus? Dulcia enim sunt eloquia Domini super mel ori meo; ut ait David, Psal. 118. et ad consolandum apta. Cant. 5: "Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est." Eccl. 35: "Qui adorat Deum, in oblectatione suscipiet." Job 8: "Si diluculo consurrexeris ad Deum et omnipotentem fueris deprecatus . . . statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum tuum," mentis scilicet animique, qui prius agitabatur molestiarum ventis et procella tristitiæ. 2°. Quia et in oratione communicatur nobiscum Spiritus Dei, cujus est lætitiam efficere, ut sæpe jam diximus, et quia devotio quam oratio habet adjunctam, lætitiam gignit, ut ait D. Thom. Et David, Psal. 83: "Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum," et Psal. 62: "Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum." Et Anna mater Samuelis post orationem clamat: "Exultavit cor meum in Domino," etc. Et de eadem dicitur 1 Reg.: "Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati." 3°. Quia oratio complet nos bona spe. Hæc autem omnem tollit ex animo mœrorem; nam de ea David Psal. 118: "Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me." Et Tobias senex post orationem confortatus et confirmatus apparet ex spe revisendi filii, c. 5: "Noli," inquit ad conjugem, "flere; salvus perveniet filius noster," etc. Et Sara post tridui

orationem facta hilarior exclamat: "Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, etc., qui cum iratus fueris misericordiam facies."

Quare Isaias Abbas, Or. 17: "Qui supplex," inquit, "ad Deum confugit, in eo quietem inveniet." Et Justinianus, de Oratione c. 2. p. 83: "Quoties," inquit, "impugnationibus aut laboribus agitaris, o homo, propera ad orationis suffragium, insta precibus, ora gemitibus, et lacrymis deprecare. Quia si magno in orationibus te exhibueris studio, amissam recuperabis gratiam, atque exuberanti tranquillitate ex illa lætus abibis: nec alibi quam in oratione quæras eam, quin potius quando ira animum tuum conturbat . . . ascende in præsidium, ad altitudinem orationis confuge, ibique ab infestationibus securus lata tranquillitate frueris." Hæc igitur ad comparandam tranquillitatem animi faciunt, ex qua oritur serenitas oris.

IN REGULAM NONAM.

"MANUS si non in sustinenda veste occupantur."

Hæc quoque regula, et ea quæ subsequitur ad hoc ipsum de membrorum motuumque corporis modestia caput referendæ sunt.

DE MANIBUS GUBERNANDIS AC MODERANDIS.

Quod ad moderationem manuum pertinet, duo præcipi possunt. Primum, quænam præcipua vitia in regendis manibus sint cavenda. Deinde, quibus maxime temporibus, ne in vitium aliquod incidant, moderandæ. Manuum autem nomine etiam brachia lacertosque, unde illæ pendent, comprehendimus.

Quoad primum. Præcipua manuum vitia ad quatuor capita revocari possunt. 1^m^ est, cum in membrum aliquod sui corporis temere injiciuntur, ut cum vel in expoliendis subtiliter naribus, aut dentibus diutius quam ferat neces-

sitas, vel cum in scalpendo capite, barba, aut aliqua alia parte corporis occupantur, cum in os etiam rodendis unguibus itentidem inseruntur, cum temere purgant aures, aut leviter barbam vellunt, aut blande fricant ocellos. Quæ omnia vitiosa sunt, et a religiosa modestia aliena; eaque Clemens, 2. Pædag. c. 7. jure vituperat: "Qui dentes," inquit, "scalpunt, et ulcera cruentant, tum sibi ipsi molesti sunt, tum invisi proximis. Porro autem aurium fricationes, et sternutamentorum irritationes sunt suilli pruritus et confricationes," etc. 2m. Cum in alterius membri munus atque officium invadunt, ut si nutibus loqui velis, et digitorum argutias adhibere pro verbis. Præcipit autem Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 2: "Cavendum esse ut unum membrum alterius officium non usurpet, aut ejus ministerium sui admistione confundat, ut si os loquitur, manus non moveatur." Idem docet Ugo, unde sumpsit Bonaventura, ut mox videbimus. Item si instar crurum aut tibiarum ingredientium brachia manusque agitentur, ita ut illarum gressus harum agitatio motusque comitetur, vitium est: videntur enim in earum munus invadere. De quo vitio paulo infra.

3m. Cum abstinent quidem tractatione membrorum et alieni muneris usurpatione; sed tamen aut in vestem sese temere insinuant atque abdunt, ut cum in utramque peram læva scilicet et dextra injiciuntur, aut veste colludunt, ut qui cingulos inter digitos volvendo rotant. Quod vitium damnat in Spec. Disc. Bonaventura p. 3. c. 7.

Et Isaias Abbas, Or. 3. ad Fratres junior.: "Sic assuescant manus, ne intro ferantur."

Et Bonaventura, ubi supra c. 8. de disciplina circa habitum: "Ambas," inquit, "manus in sinu tenere quam irreligiosum sit, palam omnibus est; cum vel unam diu tenere vix excuset ipsa necessitas."

4m. Cum ne hoc quidem agunt, sed extrinsecus re quapiam levissima destinentur; ut cum flores, poma, vel baculum, aut etiam sudariolum otiose gestant, aut alium

quempiam præter necessitatem ad cingulum, vel manum trahunt. Quod idem S. Doctor eo, quem dixi, loco reprehendit, cujus haec fere verba sunt.

Et Dorotheus, Ser. 4. hanc nimiam licentiam oriri ex eo dicit, quod anima timorem Dei non possidet: "Est," inquit, "parrhesia, cum præter necessitatem alium attrectat, manusque suas jocandi ridendique studio in socium injectat, cum impellit aliquem aut protrudit; quæ omnia inde proveniunt, quod timorem Dei anima nostra non possidet."

Ac propterea vetat regula nostra ne quis alterum vel joco tangat, modestiæ tuendæ causa. Est etiam regula Pacomii, s. 3: "Manum alterius nemo teneat."

Quoad secundum. Quatuor maxime temporibus regendæ sunt manus, ne decorum violent.

1m. In incessu. Sunt enim aliqui cum ingredi cœperint, manus subinde concutiant; et tanquam semen serant, agitent brachia; quod vitium etiam a politicis carpitur.

Isaias Abbas, Or. 3. ad Fratres junior: "Cum ambulat junior, manus ad zonam inter se conjunctas componat, neque illas concutiat, ut solent homines seculares."

Et Bonaventura, De Infor. nov. c. 19: "Nec brachiis ventiles, nec aliter more secularium incomposito ingressu incedas." Et in Spec. Disc. p. 3. c. 6. reprehendit eos qui pendentibus manibus ingrediuntur, et par. 4. c. 2. monet manuum dissolutiones inter faciendum iter esse vitandas: "Dissolutiones," inquit, "tam manuales, quam alias quæ cursitando, vel aliter quomodolibet fieri solent, penitus vitent."

2m. In accubatione, et sessione. Ne inter accumbendum cubiti supra mensam porrigantur, aut aliquo alio manuum gestu dum cibum sumimus ineleganti utamur atque deformi. Quare et Clem. Alexandrinus, l. 2. Pædag. c. 1. præcipit in mensa ab omni servili, et illiberali actione abstinendum: quæ apponuntur honeste tangendo, et manum et barbam servando impollutam.

Bonaventura etiam, in Spec. Disc. p. 4. c. 6, hæc et similia inter epulas vitanda monet, ut et p. 3. c. 4: "Decentiæ," inquit, "detrahit, qui in manu armata cultellum habente cibum ori ministrat," idemque alia ponit vitiosæ manus exempla, ut "si digitis vel nudis articulis coclearis vice olera offasque pisceris; si nudam manum carni nudæ scalpendæ admoveas." Adde etiam, si ambabus manibus aut modo una, modo altera cibum in os inseras, et læva sæpe pro dextra utaris; quod in asceticis cavendum admonet B. Basilius, De Renunt. Vit. p. 203: "Ad mensam" inquit, "ubi sederis, cave ne sinistra manus inhoneste se gerat, aut dexteræ partes impudenter usurpet."

In sessione etiam cavendum, ne manum ad regendum sine necessitate caput, aut mentum admoveas: mollis est enim hominis quodammodo pulvini mollitiem quærere. Neque digitis in sella colludas, quia levis; neque complicatis manibus genua sustineas, quia minus item civilis est hominis, minusque decori.

Clemens Alexandrinus, 2. Pædag. c. 7: "Si sederint," inquit, "ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur alteri superponant, nec manum mento sustentent; illiberalis enim est, et indecorum seipsum non ferre; idque datur vitio adolescenti."

3^m^. In locutione et sermone præsertim familiari moderandæ manus sunt, vitandis scilicet crebris gestibus et argutiis. Nam in concione motus aliqui gestusque manuum (etsi moderati illi quidem) a dicendi magistris præcipi solent: sermo autem familiaris tollit argutias digitorum, ac manuum. Propterea Paulus in Synagoga Antiochena verba facturus manu silentium indicit, Act. 13. quod fortasse non faceret in privato familiarique congressu.

Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Modestiam," inquit, "debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate nec turbulenter inter loquendum membra moveat." Et c. 2. præcipit: "Curandum esse, ut unum membrum, dum

operatur alterum, quietum omnino permaneat, ut si os loquitur, manus non moveatur." Et mox: "Ut loqui," inquit, "sine extensione manuum." Quæ ex Ugone de S. Victor. sumpta sunt De Novit. Instit. c. 12: "Diligenter," inquit ille, "observandum est, ut singula membra suum teneant officium, nec usurpent alienum." Et mox: "Discretio actionum in membris observanda est, ut scilicet id agat unumquodque, ad quod factum est, ut nec loquatur manus, nec os audiat . . . et loqui debet sine extensione manuum, et extensione digitorum." Nota autem, extensionem inquit: nam hæc potissimum deformitatem habet; non moderatus aliquis gestus et rarus inter loquendum, qui nec in familiari quidem sermone quicquam habet offensionis, ideoque ne reprehensionis quidem.

4m. In oratione et deprecatione. Sunt enim multi, qui inter orandum quietas continere manus omnino non possunt, sive orandi labore, sive pulicum, pruritusque molestia.

B. Vincentius cum de hoc loqueretur, tract. vit. spir. c. 8: "Caveas," inquit, "ne digitos teneas in naribus; sunt enim aliqui qui in hoc, et talibus miseriis, non sine diaboli stimulatione occupantur divertentes a divino officio."

Bonaventura, Spec. Disc. p. 2. c. 8: "Indignum quoque in divino officio venandis mactandisque vermiculis intendere; quibus palam in Oratorio digitos, aut ligna fœdare frons inverecunda non metuit." Quod vitium multis ante seculis reprehendit Nilus de Oratione c. 105: "Cum incumbis," inquit, "orationi corporis incommoda neglige; ne si a pulice, et pediculo, aut culice pungaris, maximum orationis fructum amittas." Et c. 100. dixerat: "Si dum oras in conspectu Dei stas, qui verum est omnium opifex et moderator, cur incredibili illius timore posthabito ita temere culices et scarabæos reformidas?" Idem c. 104. narrat Fratrem quemdam cum inter orandum vipera accessisset, ejusque pedes tetigisset, non prius manus dejecisse, quam solitam absolveret orationem, ob eamque rem nihil eum, qui Deum plusquam se dilexit, incommodi accepisse.

IN REGULAM DECIMAM.

DE INCESSUS MODERATIONE.

"INCESSUS sit moderatus sine notabili festinatione." Ex Ambrosio lib. de Offic.

Tria hic breviter perstringenda: 1m. Cur festinatio vituperetur incessus. 2m. Quibus ex causis festinatio oriatur, et quando ea ferenda sit. 3m. Quæ sit decori servanda ratio in festinatione.

Quoad Primum. Tribus nominibus jure damnatur nimia in incedendo celeritas.

1°. Quia levitatem ostendit animi: graves enim viri ut in consilio maturitatem, sic in transferendo gradu præseferunt gravitatem.

Bonaventura, De Infor. nov. p. 1. c. 19: "Incessus tuus sit maturus, non leviter curras, et sine necessitate; et B. Ambrosius, l. 1. De Off. c. 18, cum duorum qui ab Ecclesia recesserunt incessum graviter notasset, statim subjicit: "Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium."

Bernardus, Form. hon. vit.:[1] "Sit præterea incessus tuus maturitate plenus, gravis, et honestus . . .;" lege reliqua. Ut etiam de Ord. vitæ ubi multa ex Ambrosio.

2°. Quia nimia festinatio gressus indomitas animi perturbationes, et motus indicat; contra vero temperatus ac mitis mansuefactum jam animum domitumque declarat. Propterea idem Bonaventura, p. 2. c. 9: "Quando," inquit, "per domum, vel extra domum ambulas, semper habeas gressum mitem." Et in Spec. Disc. p. 3. c. 6: "Honestus," inquit, "modus requirit, ut non impetuosis, et fractis gressibus ambulent." Et Basil, Ep. 1. ad Gregorium, ait stultitiæ signum prodere, quisquis incitatis gressibus incedit. Idem ad eundem: "Incessus," inquit, "ipse neque tardus sit, ut dissolutum animum accuset, neque rursum elatus et vehemens, ut feros animi motus insinuet."

[1] To. 2. p. 241. B.

3°. Quia nimia festinatio deformat ora, et hominem male morigeratum reddit. Fœde enim in cursu torquentur ora, et minus decori anhelitus, suspiriaque consequuntur; quæ fari non sinunt, cum nimiæ suscipiuntur celeritates, quod patet in expeditis cursoribus cum mandata deferunt.

Ambrosius, l. 1. Off. c. 18: "Plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessariæ, nævus est justæ offensionis."

Sed hic sumpsit ex Cicerone 1. Off. qui cum cavendum esse doceret, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, subdidit: "Quæ cum fiunt anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus significatio fit non adesse constantiam." Imitandus est nobis Sanctorum virorum incessus, præcipue Dei Matris, de qua sic scribit Damascenus or. 1. de Nat. Mar.: "Gressus ejus gravis, et sedatus, atque ab omni mollitie remotus." Et idem Damascenus supra: "Quonam modo," inquit, "gravissimum incessum tuum exprimam?" Et, ut cæteros sileam, etiam P. N. Ignatii, qui in incessu mirum dicitur tenuisse decorum. Maff. l. 3. c. 6.

Quoad secundum. Ex tribus causis oriri solet insolens festinatio. 1°. Ex natura et institutione, quod aliquis natura præfervidus moderari vix potest gressus, aut cum jugis et continua properatio in naturam versa est, ut ait Ambrosius, l. 1. Off. c. 18. atque hæc festinatio jure reprehenditur; quia et natura moderanda est et corrigenda siquid habet vitii, ut idem monet Ambrosius. Nam ita se instituere ut præter rationem, et modum loco movearis, culpa non vacat.

2°. Nascitur etiam ex necessitate, et tum ferenda est nimia festinatio, modo in ea ipsa quoad fieri potest, decori ratio habeatur. Ambrosius, l. 1. Off. c. 18: "Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas." "Doroth. Ser. 24: "Non studeas in incessu tuo absque necessaria causa." Isaac

Syr. c. 45: "Ne sis velox ingressu tuo præter causam necessariam te compellentem."

Hæc necessitas tum justissima est, cum intervenit charitas aut salus animarum. Propterea dicitur Dei Mater cum festinatione in montana contendere, Luc. 1. ut charitatem suam erga Elisabeth partui proximam exhiberet: nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, ut idem Ambrosius dicit in Luc. 1. Propterea etiam Joannes Apostolus, ut revocaret adolescentem quendam, quem educandum reliquerat civitatis Episcopo, a latrociniis, "conscenso equo totas laxabat habenas, minorem esse existimans equi velocitatem pro sua festinatione," ut refert Clemens Alexandrinus et Chrysostomus ad Theodorum lapsum. "Quin etiam cum adolescens, princeps latronum factus, ad Joannis adventum repente fugisset, Joannes oblivioni tradita senectute, ac motione quæ mundum consequi solet, fugientem persequitur, gravi voce clamitans: Consiste in loco, fili, Christus me misit ad te." Necessitas quippe festinationis, et cursus erat ejusmodi, ut contra decorum S. Apostolus faceret, si senis decorum tenere voluisset.

3°. Ex nimio studio videndi aliquid, aut audiendi aut habendi. Quod si id quod videri aut haberi appetitur, fluxum aliquid aut inane est, festinatio vituperatione non caret: quippe curiositas inutilis est. Sin autum sanctum aliquid aut divinum, festinationi potest ignosci, interdum est tribuenda laus; quia pietas quædam est. Talis fuit festinatio pastorum, cum ab Angelo admoniti ad visendum venerunt Infantem; Luc. 2. Talis festinatio Petri, et Joannis currentium ad monumentum, nimio studio videndi Dominum redivivum; Jo. 10. Luc. 24. Talis et turbarum, cum audiendi videndique Christi cupiditate irruebant in eum; Luc. 5.

Quoad tertium. Ut autem certam decori rationem teneamus, sex spectanda sunt. 1°. enim habenda est ratio ætatis: neque enim idem debet esse gressus adoloscentis,

et senis in incedendo; prius enim procurrisse dicitur Joannes ad monumentum, quam Petrus, quia ille adolescens, hic jam gravior annis; Joan. 20.

2°. Habenda est etiam ratio sexus: neque enim decet, ut viri fœminarum in incedendo mollitiem, ac tarditatem imitentur; quod quidem reprehendit Isa. 3: "Ambulabant pedibus suis, composito gradu incedebant." Et Deut. 28. "Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem." Et tamen B. Maria gravem quidem gressum habebat, sed ab omni mollitie remotum, ut dicit Damascenus de Nat. Mar. or. 1.

Extrema quippe omnia vitanda sunt. Sunt enim aliqui, ut ait Ambrosius l. 1. Off. c. 18. qui sensim ambulando imitantur histricos gestus, "et quasi quædam fercula pomparum, et statuarum motus nutantium, et quoties gradus transferunt, modulos quosdam servare videantur." Et mox cum extrema in ingrediendo reprehendit, sic ait: "Nec in illis ego tanquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tanquam excussorum ruinas."

Cicero autem, 1. Off., "Cavendum est," inquit, "ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates." Basilius ad Gregorium, Ep. 1. "Incessus nec piger sit, animum dissolutum arguens, nec vehemens et impulsus, impetus stultitiæ prodens." Ut de Asella virgine scribit Hieronymus: "Nec citus, nec tardus incessus."

3°. Habenda est ratio conditionis, et personæ; nam regia persona graviter incedit: privata si gravitatem in ingressu non servet, non ita decorum violat. Itemque Sacerdos, et religiosus suæ quoque personæ serviat in ambulando necesse est, ne cujusquam offendat aspectum. Laicus, et vulgaris si contentius ambulet, non accusatur. Sacerdos et monachus justa accusatione non caret.

Propterea dicitur B. Ambrosius quendam in suum

clerum noluisse recipere, quia ex ipso incessu animadvertit ea illum persona minime dignum esse. Narrat id ipse, c. Offi. c. 18.

4°. Habenda est etiam loci ratio. Nam in foro, mediisque triviis ambulare contentius contra decorum jure videtur; in solitudine ac secessu non item. Quare etiam Joannis Apostoli cursus, de quo paulo ante diximus, erat per montium solitudines, ubi degebant latrones, qui celebritatem vitant, abditasque latebras consectantur. Et Dei Mater cum festinatione abiisse dicitur in montana, ubi celebritas nulla erat.

5°. Temporis etiam habenda ratio est. Quia si in medio itinere te nox opprimat, justam habes festinationis causam; ut non sine causa putetur par illud discipulorum ex Emmaus rediisse Hierusalem festinanter ad undecim congregatos: quia inclinata erat jam dies, et quidem ad vesperam, cum regrediendi consilium cœperant; Luc. 24.

6°. Denique personarum: quia si tardioris ingressus comitem habeas, contra decorum facias, si præcurras, præsertim si cum graviore aliquo viro iter facias. Quo nomine accusat clericum quendam Ambrosius, 1. Off. quem in suo clero repererat, qui secum iter faciens solitus erat præire, jussisseque, ait, ne unquam sibi præiret, quia veluti quodam insolentis incessus verbere oculos feriret suos.

Isaac Syrus, c. 45.: "Ne prævenias majorem te. Si autem tardaverit socius tuus, parum dum progrederis expecta eum."

DE MODESTIA IN COMITATU SERVANDA.

EX REGULA XII. CAP. 3.

Modestia, quæ in comitatu adhibenda est, in eo sita est, ut in multitudine cernatur ordo, ita ut bini ternive, ut superior præscripserit, iter faciant.

Duo hic dicenda. Primum: cur in comitatu servandus

ordo, et quid habeat boni. Secundum : quænam in comitatu modestiam maxime pariant.

Quoad primum. Servandus est religiosis ordo, cum simul iter faciunt, quatuor de causis.

1°. Ad ornatum, ac decorem, qui quidem in ordine maxime situs est. Nam si qua multitudo, nullo servato ordine, prodire velit, magna confusio oriatur necesse est : sin autem ordo servetur, et bini ternive prodeant, jam confusio tollitur, decor existit. Quare Bonaventura, Spec. Disc., par. 3. c. 6. "Ordo," inquit, "inordinationis confusionem excludit." Idemque illud Isa. 59. "Non est judicium in gressibus eorum," huc refert ; "quod in eorum gressibus non invenitur judicium, qui inter eundum ordinem non attendunt."

Quod autem hic ordo confusionem tollat, pulchritudinem pariat, apparet etiam in ædificiis, quæ fenestrarum multitudine distinguuntur ; quæ quidem si ternæ quaternæve ordine quodam constructæ fuerint, magna ex earum prospectu pulchritudo consequitur : contra vero multa confusio, ac perturbatio, si nullo sint inter se ordine, ac proportione distinctæ. Apparet etiam in columnis basilicarum ac templorum quæ ordine collocatæ, quamvis multæ sint, pulchritudinem efficiunt, quam profecto non efficerent, nisi mutuo sibi paribus intervallis responderent. Planius etiam cernitur in Natura, et quidem ne longe abeamus, in humano corpore : in quo pleraque necessaria fecit natura ipsa duplicia germana et gemella, ut observat Plutarchus de Amor. Frat. Manus, pedes, oculos, aures, nares, tanto ordine ac descriptione, ut cum binos oculos fecerit, ita fecit ex æquo, ut alter alterum non excederet, sed parem locum sedemque tenerent, itemque bina brachia, bina crura, et ita bina, ut sibi mutuo in suis sedibus apte respondeant.

2°. Ad declarandam animorum conjunctionem, et societatem. Corporum enim associatio societatem animorum facile arguit, quæ inter religiosos esse debet. Ubi

autem est animorum disjunctio, inter eos fere non solet esse societas, sed ipsa quoque corpora disjunctis animis distrahuntur. Ac propterea discipuli Domini bini missi leguntur ad prædicandum. Quod et post Christi in cœlum ascensum servarunt Apostoli : nam, Act. 15. Paulus et Barnabas simul visitant, et lustrant Ecclesias ; codemque cap. Paulus et Silas, et Judas et Silas consociati leguntur, ad societatem fraternæ charitatis indicandam. Propterea etiam Augustinus in regulis Monachorum, reg. 3. sic eos monet : "Quando proceditis, simul ambulate ; cum veneritis, quo itis, simul state."

3°. Ad significandam ostendendamque rationem domesticæ disciplinæ tum communis, tum uniuscujusque privati, quæ in ordine maxime cernitur : perturbatio enim ordinis indicat non esse certum rectorem, qui familiæ domesticæ ratione præsit. Contra cum ordo certus elucet. Sic in aulis cum prodit Rex (quoniam regiæ familiæ ratione ac disciplina reguntur) ordine quodam ac serie, aulicorum procedit agmen. Itemque religiosorum familiæ cum ad supplicationes publicas prodeunt, ordinem quendam modumque tenent, ut bini procedant. Et militares acies, quoniam Imperatoris ac Ducis nutu ducuntur, ipsæ quoque ordinem servant a Duce præscriptum. Ergo ut planum hominibus fiat esse in religiosorum familia disciplinam quandam ordinis ac rationem, necesse est, ut cum in omnibus externis actionibus, tum in comitatu numeroque incedentium fratrum ordo servetur. Adde etiam, quod ordo ordinati animi signum est ; ut contra inordinati animi signum est, in exterioribus ordinem non curare, sicut ait Bonaventura, Spec. Disc. 2. c. 11. Et hoc pertinet ad disciplinam cujusque privati.

4°. Ad mutuum auxilium et solatium. Quia frater fratrem adjuvat, sibique duo custodes invicem sunt quocunque ingrediuntur : ne aut in animo patiantur aliquid, si eos aliquo dæmon conetur abducere ; aut in corpore, si quid adversi accidat non sentienti. Hanc

causam dicit esse Plutarchus de Amor. Frat. cur in humano corpore Deus pleraque bina fecerit, propter salutem mutuumque auxilium; nam manus manum adjuvat, et pes pedem; ideoque etiam Dominus binos discipulos misit, ut observant doctores. Bonaventura Spec. Disc. p. 4. c. 2.: "Non est tutum," inquit, "aut decens religiosis, quos congruit binos ire, alterum ab altero longius separari: talisque separatio eis in periculum, et occurrentibus cedit in scandalum."

Quoad secundum. Duo maxime in ipso comitatus ordine conservando servanda sunt, ex quibus oritur vis decori atque modestiæ.

Primum. In ambulandi ratione ut mos servetur, scilicet ne alter alterum ambulando præcurrat, comitemque fratrem post se deserat: sed æqualis sit utriusque ingressio, nisi forte dignitas adjuncti comitis postulet, ut sinas eum aliquanto præire. Qua de re Bonaventura, Spec. Disc. p. 2. c. 6.: "Est et ordo reverentiæ," inquit, "et decentiæ in incessu, ut non passim seniorem junior antecedat."

Et Isaias Abbas de Junior: "Si cum majoribus," inquit, "iter facit, ne præcedat omnino." p. 168. or. 2.

Et Doroth. Ser. 24: "Cum ambulas in via ne præoccupes, aut præcedas majores tuos: quod si tuum erit præcedere, præstolare socium tuum, neque multum velis eum anteire."

Alterum est in totius exterioris hominis continentia ac moderatione: ut inter ambulandum eandem uterque moderationem, quoad ejus fieri potest, in continendis oculis, lingua, cæterisque membris, nec non veste ipsa, semper adhibeat. Nam si alter demissos et modestos, alter vagos et errantes oculos gerat; alter in sermone sit parcus et rarus, alter blateret loquaxque sit; alter in motu membrorum decorum semper attendat, alter totus se agitet, caputque et manus fœde concutiat; alter denique intra pallium sese modeste contineat, alter id parum concinne gerat, eoque aut ora obvolvat, aut ad humeros

secularium more reducto, prodire velit: si hæc, inquam, inæqualitas ac dissimilitudo morum in ambulantibus binis fratribus observetur, ecquæ tandem ratio decori habeatur? An non ex unius modestia alterius turpitudo ac licentia magis animadvertitur? An non magis apparet in quo decorum violatur, cum est e regione qui decorum maxime tenet? Quare danda est alterutro opera, ut alterutrius modestiam ornatosque mores, dum iter facit, pro viribus exprimat; neque satis habeant si bini ambulent, nisi etiam ordinem in rebus cæteris quæ modestiam gignunt, exacte curent.

DE MODESTIA AC DECORO VESTITUS.

EX REGULA VIII. CAP. 4.

"VESTES sint mundæ, et cum religiosa decentia compositæ." Minime dubium quin maxima modestiæ laus in amictu versetur. Quia ex Eccl. 19: "Amictus corporis enunciant" de homine, propterea merito et de eo quod in vestitu deceat, a lege præscribitur. Duo autem lex hæc continet; Primum, ut mundæ sint vestes. Secundum, ut cum religioso decoro compositæ. De utroque singillatim breviter dicendum erit.

Mundities autem in cultu corporis conficitur ex duobus; primum, ne respersa maculis atque inquinata sit vestis, deinde, ne nimis lacera atque attrita; nimia enim vetustas sordes contrahit.

DE VESTIS MUNDITIE.

Quinque de causis videtur in vestibus diligenda, atque exquirenda mundities.

1^m^. Propter convictum honestumque congressum cum hominibus. Nam cum agamus inter homines, danda est opera, ne in cultu corporis sequamur sordes, quæ homines a nobis avertant: nihil enim debet esse in nobis sive in moribus, sive in externa specie, quod cujusquam oculos

possit offendere. Quare sicut omnia præsidia congeramus oportet, ut alliciamus ad nos homines, ipsorum scilicet salutis causa ; puta doctrinam, eloquentiam, gratiam, et id genus alia : sic etiam habenda est honestatis ac munditiæ ratio in cultu corporis, qui si fuerit obsoletior atque sordidior, a congressu nostro homines procul dubio repellet. 2°. Confirmatur a simili. Quia si templa, quæ consecrata sunt Deo, munda esse volumus, nec in iis sordes ullas patimur in apparatu cultuque templorum ; cur in externo etiam nostrorum corporum apparatu quæ templa sunt Spiritus Sancti, non suam quoque munditiam honestatemque quæremus ?

At isto modo, dicet aliquis, efficeretur posse nos divite cultu corporis atque pomposo uti : quoniam templorum aras auro argentoque et pretiosis sericis convestimus. Verum totum hoc longe dissimile est. Quia licet corpora nostra templa sint Spiritus Sancti, tamen cum simus viva templa, exteriore pompa facile extollimur, nobisque ipsis, non Deo gloriam tribuimus. Ideoque plus honoris defertur Deo in his nostris templis, si ea paupertatis cultu vestiamus, id quod refugit horretque natura, quam si serico ac pretioso utamur amictu, quo toto impetu illa propendet. Contra vero mutis templis manuque factis, quoniam obnoxia vanitati gloriæque propriæ esse non possunt, jure convenit sericus ac pretiosus ornatus ad ministerium divini cultus. Eodem fere modo cum sibi ipse objecisset S. Thom. 2. 2. q. 169. a. 1. de exsuperantia excessuque in cultu corporis, qui quidem carere vitio videri potest, quoniam sacerdotes ministrique altaris in sacro ministerio pretiosissimis vestibus uti solent, eodem, inquam, fere mode respondet ad secundum. Quoniam ministri altaris eo utuntur ornatu non ad ostentationem et gloriam suam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii, vel divini cultus, ideoque in illis hic ornatus nihil habet vitii, in nobis habet.

Redoleant igitur vestimenta nostra paupertatem

(quoniam in hac horum templorum situs est decor) non tamen sordes; redoleant sanctitatis honestæque parsimoniæ dignitatem, non culinæ nidorem. Recte enim Seneca ad Lucil. ep. 5.: "Non splendeat," inquit, "toga, ne sordeat quidem."

Cassian. l. 1. c. 3: "Vestimenta sint non quæ amictus gloriam blandiantur, ita vilia ut nullo coloris, vel habitus novitate inter cæteros hujus propositi viros habeantur insignia: ita studiosis accurationibus aliena, ut nullis rursum sint affectatis per incuriam sordibus decolora." Et Martinus Dumiensis Episcopus, in Formula honestæ vitæ l. 1: "Observa," inquit, "ne paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta."

Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 8.

2°. Quia contra naturam est odisse munditiem. Seneca, ep. 5: "Contra naturam est torquere corpus, faciei odisse munditiem, squalorem appetere."

Patet esse alienum a natura. Quia natura quæ pulchra sunt, ea in oculis prospectuque ponit; quæ fœda, amandat a sensibus. Id cerni licet in humano corpore. Ambros. l. i. c. 18: "Eas," inquit, "natura partes, quæ decoræ aspectu forent, in quibus formæ apex, quasi in arce quadam locatas, ut figuræ suavitas, et vultus species emineret, operandique usus esset paratior, obvias atque apertas reliquit: eas vero in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tanquam in ipso amandavit atque abscondit corpore, partim docuit et suasit tegendas." Quod sumptum esse ex Cicerone, 2. de Natura Deorum, et de Officiis, satis liquet.

Eadem natura in arboribus quæ pulchra sunt ac decora, ea oculis obvia atque aperta, quæ rudia ac minus decora, et tecta atque inversa voluit esse. Nam folia ramorum si ab ea parte quæ latet, inspicias, rudia atque informia reperies: cum tamen ex ea parte quæ oculis patet, nitida ac decora sint. Ergo et in vestibus totoque cultu corporis

imitanda natura est, ut squalor absit, et munditiæ quæratur honestas.

3°. Diligenda est mundities vestium ad declarandam animæ puritatem, et parem in hac acquirenda diligentiam juxta præceptum Eccles. c. 9: "Omni tempore sint vestimenta tua candida." Sic Hieronymus, in reg. ad Monachas c. 31. vult earum pannum album et candidum esse, quamvis crassum et vilem: "Ut et color," inquit, "candorem castitatis intrinsicum, et vilitas contemptum terrenorum exhibeant."

Dices: At idem Hieronymus ait; sordes vestium candidæ mentis indicia esse. Et in Hilarionis Vita scribit eum existimasse supervacaneum esse munditiam in cilicio quærere. Quomodo ergo dicimus studendum esse puritati vestium, quia harum mundities animi munditiem indicat?

Verum Hieronymus pro sordibus non ipsas maculas, et labes amictus intelligit; quis enim sapiens has ferat? Sed aut paupertatem ipsam, easque sordes, quas necessario secum paupertas affert, aut certe notat nimium studium in exquirenda munditie. Utrumque enim vitiosum est; si et sordes affectes, et munditiam nimis diligenter exquiras. Quod facile ex ipso potest intelligi, cum ad Eustochium scribens, negat affectatas sordes convenire Christiano. Sordes autem amictus tum candidæ mentis indicium sunt, cum quis occupatus in interiori cultu, negligit exteriorem. Et hoc est quod dicit Ugo apud Bernardum: "Intentum interioribus suis animum magis decent omnia exteriora inculta, et neglecta;" et "Diligentia circa vanitatem exterioris ornatus signum est negligentiæ circa interiorem ornatum."

Et Augustinus: "Tibi pura vestis circundetur non ad pulchritudinem, sed ad necessitatem, et tegumentum, ne de exquisitis vestibus alteram turpitudinem assumas." Et B. Ambrosius, 1. Off. vult vestitui nihil nitoris accedere. Quare nimia diligentia in exquirenda vestimentorum mun-

ditie, ea nimirum reprehensione digna est, non moderata ac religiosa.

Hilarion autem jure poterat ferre sordes in cilicino amictu, quia in solitudinem abditus nihil sibi cum hominibus esse censebat. Nos vero, qui in mediis versamur hominibus, ea ab eorum oculis removeamus oportet, quæ offensioni illis esse possunt, ne nobis aditum ad eorum sublevandas animas præcludamus, munditiemque ea de causa curabimus, neglectam potius quam exquisitam. Hoc est enim quod dicit Hieronymus ad Monach.: "Idem semper habitus, neglecta mundities." Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 8: "Culpatur quidem et cultus munditiæ nimius, et neglectus;" id est, plane neglectus, non nimius exquisitus." Potest tamen ejusmodi tempus incidere, ut alicui laudi detur munditiem hanc corporis vestitusque negligere. Ut de Junior. dicit Isaias, or. 3: "Qui junior est, corpus in omni negligat deformitate, id namque illi prodest."

4°. Ad rationem etiam aliquam valetudinis vestimentorum est quærenda mundities. Id expresse lex nostra præcipit, quæ est 19. ex communibus: "Mundities," inquit, "quæ et ad valetudinem, et ad ædificationem confert, omnibus curæ sit, tam circa seipsos, quam circa alia omnia." Nam si quis, v. g. imitari velit monachos quosdam, qui raro vestes exuunt, raro mutant raroque lavant, necesse est profecto multas sordes etiam vermiculorum contrahat, valetudini valde noxias. Videre licet aliquos tam sordidis indutos vestibus, tam multis maculis labibusque conspersos, ut vel proximo cuique tetrum aspirent odorem, Propterea S. Augustinus, in Reg. monach. præcipit lavari vestes, quod et multi religiosi faciunt, non tam propter ædificationem eorum quibuscum agunt, quam propter valetudinis bonum, cui sordes obsunt, munditia prodest. Bonaventura etiam Spec. Disc. p. 3. c. 5. vult omni diligentia sordes, et quicquid in veste inquinatum fuerit, quam citissime removeri.

5ª. Vero causa et potissima, cur sit in veste quærenda mundities, est ad fugiendam jactantiam et gloriam quæ ex affectatis sordibus sæpe oritur. Dicit enim Augustinus, tom. 4. De Sermone Domini in Monte, l. 26. c. 19: "Maxime animadvertendum, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam." Et mox: "Qui in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, ex cæteris ejus operibus potest conjici, utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat."

Et videtur in hac hæresi fuisse Pelagius, sordes decere Christianum: adversus quem l. 1. Hieronymus: "Quæ sunt," inquit, "rogo inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem?" et mox (ironice autem eum irridet): "Cavete," inquit, "Clerici, cavete monachi, viduæ, et virgines; periclitamini, nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit." Idem sic monet in reg. Monachorum: "Ne cogitatio tacita subrepat, ut quia forsitan inauratis vestibus placere desistis, placere coneris in sordibus." Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 8: "Fœda religio, quæ innititur fœditati. Illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint."

Quare monent Sapientes, ut in hac re vitemus extrema. Seneca ad Lucil. ep. 5: "Ornatus et sordes pari modo fugienda sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet." Idem ibid: "Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt."

Ab hoc videtur sumpsisse Hieronymus ad Eustochium, de Custod. Vir.: "Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano."

B. etiam Isaias, or. 3: "Cave ne corpus tuum in sordibus abjectum relinquens, ab inani gloria seducaris."

Sanctis autem viris curæ fuisse mundum amictum

sæpe legimus. De Augustino quidem, vestimenta ejus et calceamenta nec nitida nimium, nec abjecta plurimum. De B. Nicolao Episcopo, et Bernardo paupertatem quidem semper iis esse probatam, sordes nunquam.

Idemque de nostro Patre Ignatio memoriæ proditum est. Quin ipsi Dei Matri honestum, ut par erat, fuisse vestitum, mollitiem tamen omnem luxumque fugientem, scribit Damascenus, or. 1. de Nat. Mar.

DE COMPOSITIONE VESTIUM.

Monet Regula præterea, ut vestes religiosæ cum decentia componantur. In quo præcepto duo continentur. Primum, ut compositæ sint. Deinde, ut religioso cum decoro componantur. Monet autem, ut aptæ compositæque sint, duabus de causis. Primum: quia negligentis hominis est, et effœminati parum apte vestimenta gerere, neque ea decore nectere, neque adstringere cum oportet; sed sinere ea fluere, et tanquam onerosa decidere. Quod vitium carpit Arist. l. 7. eth. c. 7. to. 5. ubi ait: "Ad mollitiem pertinere, si quis per terram vestimentum trahat, ne in eo tollendo laboret." Quare Basilius, ad Greg. ep. 1: "Cinctura sane neque superior sit lumbis, est enim muliebre: neque laxior, ne tunica diffluat: ignavum enim est, et molle." Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 8: "Si vestis," inquit, "ex una parte notabiliter pendere permittatur, vel in aliis præparatio debita omittatur, fatuitatem, vel negligentiam, vel hypocrisim sapit." Et paulo infra: "Alii sinuoso syrnate terram verrunt, et lemniscis dependentibus, imo retro consequentibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt, et quocunque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant."

Qui autem mentem suam continent in officio tam in vestibus, quam in aliis rebus disciplinæ curam non negligunt. Contra, cum a sui custodia mens solvitur. Bonaventura, ibid.: "Cum interius a sui custodia solvitur mens, et membra foris ad omnem actum inordinate moventur,

et tam in vestibus, quam in aliis disciplinæ cura negligitur, incompositio corporis qualitatem indicat mentis. Nam quæ a Deo sunt et Sancto ejus Spiritu composita sunt." Exemplum habes in Angelis apud Joan. c. 20, qui Christi sudarium separatim involutum in unum locum reliquerunt. Compositionem amictus B. Mariæ commendat Damascenus non obscure, or. 1. de Nat. Mar.: "Quonam modo," inquit, "gravissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo amictum?"

Altera causa, cur ex præscripto Regulæ debeant vestes esse compositæ, est propter honestatem: ne si minus illæ compositæ sint, parum decore membra nudentur: "Cavet enim omnis honestus," ut ait Bonaventura, supra c. 8; "ne ejus unquam appareat caro nuda, nisi quantum compulit necessitas manifesta;" et p. 4. c. 2, "Non sunt brachia notabiliter denudanda, nec vestes nimium succingendæ." Sed multo ante idem a Sanctis viris præceptum est. Dorotheus, Ser. 20: "Cave ne aliquo præsente membra tua detegas." Et ser. 24: "Nullum membrorum tuorum enuda, cum cales, et æstuas." Et Isaac Syr. c. 45: "Ne denudes aliquid tuorum membrorum coram aliquo." Isaias quoque Abbas or. 3: "Ne corpus tuum expone, ut ab omnibus videatur." Et regulis nostris communibus idcirco præcipitur, ut e cubiculo exeat nemo, nisi decenter vestitus: 13 ex communibus. Quin etiam habemus hoc componendarum vestium præceptum propter honestatem ab ipsis etiam Angelis commendatum, Act. 12: "Dixit Angelus ad Petrum, præcingere, et calcea te caligas tuas; et fecit sic: et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me." Et Petrus ipse post Christi resurrectionem, cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, et mittit se in mare. Erubuit enim nuditatem suam in conspectu Domini, et propter reverentiam ejus tunica succinxit se: ut ait Chrysos. hom. 85. Joan 21.

Quid nuditatem narro? pannos quoque interiores, quantum fieri potest, occultari Bonaventura jubet; quia

sæpe aliam habent formam, ac religio regulæ patiatur. Imo quod secularibus est nuditas, ut idem observat, hoc religiosis est superioris habitus, cultusque detractio.

Alterum quod in hoc componendarum vestium præcepto continetur est, ut cum decoro religioso componantur; multa enim vulgares homines decent, quæ non decent religiosos. Qua de re præclare etiam Bonaventura ibid. c. 8: "Coaptatio indecens religioso est, si præter morem religionis fuerit curiosa."

Quare removet lex nostra omnem secularem, atque aulicam diligentiam, nimiumque studium in aptandis corpori vestibus. Seculares enim plerique, et aulici nimium temporis in se comendis ornandisque consumunt, quod religiosum omnino dedecet. Et de hoc dicit Bernardus in apolog. ad Gulielmum Abbatem: "Non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus."

Et Augustinus, in Reg. 3: "Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus." Notabilis, inquit, non modo in genere vestimentorum, verum etiam in amiciendi ac vestiendi ratione, quod id quod sequitur, explicat: "Nec affectetis vestibus," scilicet scite compositis "placere, sed moribus." Propterea Andronicus, dum exteriore cultu vestium aliquas virtutes ponit, tertiam narrat simplicitatem; ad excludendam nimiam diligentiam, ac studium compositionis externæ. Lege 2. 2. q. 16. a. 1.

Habes autem hujus vitiosæ compositionis exemplum apud Cæsarium. Cum enim in Gallia nobilis quidam monachus ob illatam Monasterio à milite quodam injuriam missus esset ab Abbate ad Regem querelarum causa, adderetque monachus omnia militem illum rapuisse, nihilque pene reliquisse; Rex conspectis monachi calceis apte constrictis, secularium scilicet more, "Vere apparet," inquit, "in calceis vestris nihil vobis nec corii quidem ab eo

relictum esse; neque enim tam arcte calceos gestaretis, si quid vobis corii reliquum fecisset."

Quo dicto monere voluit sapiens Rex aliter monachis, aliter cæteris hominibus componendas esse nectendasque suis corporibus vestes. Refertur in Spec. Exemp. d. 6. c. 33. Asellæ virgini, ut scribit Hieronymus, fuit neglecta mundities, et inculta vestis, cultus ipse sine cultu.

DE MODESTIA ET RATIONE LOQUENDI.

CAP. V.

Restat id quod postremo loco positum erat, quodque in postremis quidem regulis sancte præcipitur, sed non in postremis habendum est. Quæ scilicet in loquendo modestiæ ratio sit adhibenda.

Ut igitur in verbis decori ratio servetur, quinque spectanda sunt. 1m. Is qui loquitur. 2m. Materia sermonis ac locutionis. 3m. Ratio ac forma loquendi. 4m. Finis ac scopus locutionis. 5m. Circumstantiæ loci, temporis, personarum.

DE EO, QUI LOQUITUR.

In loquente spectanda sunt quatuor. 1m. Ætas, ut si sit adolescens inter majores natu malit audire, quam loqui. Eccl. 11. "In medio seniorum ne adjicias loqui;" aut certe paucissimis agendum illi est, et cum omni pudore. Et Isaias Abbas, Or. 4: "Ne colloquaris tu cum senibus in conspectu ipsorum, sed sinas eos loqui."

Si vero sit senior ea proferat, quæ ætati illi consentanea sunt; alioquin contra decorum faciat, si sermones pueriles, ac leves inferat.

Bonaventura, Spec. Disc., p. 4. c. 2: "Seniorum erit coitinerantibus et his quibuscum aliquando loqui contigerit, aliquid ad ædificationem, vel consolationem proponere."

Et de Infor. Nov. p. 1. c. 30: "Non sis audax coram senioribus tuis, sed verecundus auscultator doctrinæ eorum. Seniorum est docere," inquit, "juvenum humiliter addiscere."

Et idem, Spec. Disc., p. 3. c. 3: "Est autem junioribus fratribus semper fere inter seniores ad interrogationem tacendum." "Adolescens" (ait Scriptura) "loquere in tua causa vix:" id est, cum necesse fuerit. Eccli. 32.

2m. Spectanda est professio, seu status loquentis: aliter enim loquatur religiosus oportet, aliter homo vulgaris, ac secularis.

Bonaventura, Spec. Disc., p. 4. c. 5: "Servum Dei," inquit, "de Deo loqui decet. Seculares autem decorum non violant, si de seculo sermones serant." Joan. 1 Ep. c. 4. "De mundo sunt, ideo de mundo loquuntur." Bernardus, in Formula hon. vit: "Si secularis loquitur tecum, et vana proponit, quam citius potes succide sermonem, et transferas te ad ea quæ Dei sunt."

3m. Spectandus est gradus, et conditio loquentis. Quia aliud sermonis genus decet eum qui auctoritate ac dignitate præstat; aliud eum qui nullum habet a munere auctoritatem. Et multa licent iis qui præsunt, quæ nullo modo licent iis qui parent: et multa laicis, quæ sacerdotibus non conveniunt. Bernardus, de Consid. l. 2: "Inter seculares nugæ sunt nugæ, in ore sacerdotum blasphemiæ."

Monere, cohortari, reprehendere Prælatorum, aut gravium virorum est; subditorum et inferiorum non item.

4m. Spectanda est eruditio ac doctrina loquentis, alius enim debet esse eruditorum sermo, alius simplicium, atque imperitorum. Hi enim si plus sapere se ostendant, quam eorum ferat facultas, deridentur; itemque si eas tractare velint artes quas non didicerunt, præsertim coram iis qui eas callent, omnium item irrisione laudantur. Propterea monet Eccl. c. 7: "Nec plus sapias, quam necesse est." Et Prov. 17: "Non decent stultum verba composita." Et Eccl.: "Non est speciosa in ore stulti parabola."

Huc pertinet illud Bernardi de superbo "qui vetera et nova profert, orta occasione loquendi; volant sententiæ, verba resonant ampullosa." Atque hic reprehendendi sunt illi, qui vix ad religionem accesserunt, et tamen magistros se profitentur.

Quo quidem pertinet exemplum Alexandri Magni, cui in Apellis officina de pictura imperite disputanti, ostendit Apelles pueros suos, qui colores tererent, irridentes. Ex Plin.

DE MATERIA SERMONIS.

In materia duo spectanda sunt, quantitas et qualitas. In quantitate quidem videndum est, ut verborum multitudine abstineamus, quia multa hinc oriuntur incommoda, sed præcipue quinque.

1m. Verbositas animas lædit; Eccli. 20: "Qui multis utitur verbis lædit animam suam;" quia est peccatorum multorum parens. Prov. 10: "In multiloquio non deerit peccatum." Idcirco multa otiosorum verborum est reddenda ratio. Lege exemplum aptum in Chronicis S. Francisci, par. 2. l. 4. c. 35 de eo novitio, qui appropinquante morte tantam exigi rationem vidit cujusque verbi otiosi, ut cunctis audientibus exclamavit: "Me miserum, utinam natus non fuissem." Et cap. 43. de B. Rogerio.

2o. Quia verbositas est signum insipientiæ. Eccl. 10. "Stultus verba multiplicat." Contra vero verborum parcitas sapientiæ ac prudentiæ. Prov. 17: "Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est." Et c. 10: "Qui moderatur labia sua, prudentissimus." Eccli. 21: "Verba prudentum statera ponderabuntur."

In hoc imitanda est præ cæteris Dei Mater; de qua sic scribit ex Epiphanio Nicephorus, Eccl. Hist. l. 2. c. 23: "Erat in rebus omnibus honesta, et gravia, eaque necessaria, loquens." Lege Plutarchum, de Garrul., ubi ait: "Deum in oraculis brevitati, et compendio studere. Et qui sine verbis per tesseram significant aliquid, eos admirationi esse."

3°. Quia reddit hominem odio dignum atque invisum. Eccl. 9: "Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit." Facile autem est ex hoc vitio transire ad garrulitatem, quæ maximo odio esse debet, de qua infra nonnulla.

4°. Impedit justificationem, et sanctitatem. Job 11: "Nunquid vir verbosus justificabitur?"

Et Dorotheus, Sermo. 20.: "Cave a multiloquio, quod advenientes e cœlo cogitationes extinguit." Idem fere Isaac Syrus, c. 45: "A multiloquio," inquit, "te ipsum custodi; illud enim extinguit in corde motiones intellectuales a Deo pullulantes." Ideo et Nilus in Paræsi: "Loquere," inquit, "Deo multa, hominibus pauca." Et Psal. 139 "Vir linguosus non dirigetur in terra." Bonaventura infra dicit: "Otiosum sermonem exhaurire devotionem." Quare Diadochus, c. 96, ait eos, qui volunt cum multis virtutibus vitam degere, non multum loqui oportere, quamvis possint omnia pulchra dicere. "Multus namque sermo," inquit, "mentem immoderate distrahens non solum otiosam in spirituali exercitatione efficit, sed etiam Dæmon acediæ eam tradit," p. 92. Hoc autem quod dicit (etiamsi pulchra sint omnia quæ loquimur) abstinendum tum esse a verbositate confirmat Isaac Syrus, de Contemptu Mundi, c. 52: qui ait "etiam utiles sermones sine mensura probatos obtenebrationem efficere; vilificatur enim anima," inquit, "multitudine collocutionum, quamvis præparatio ejus fiat in timore Dei."

Et idem Diadochus, c. 70: "Sicut janua," inquit, "balnei, si crebro aperiatur, cito calorem ejus extrudit: sic anima cum multa loqui vult, quamvis valde pulchra sint omnia, memoriam sui per vocale ostium distrahit, ac disturbat. Ex quo fit ut tempestivis, et opportunis cogitationibus deinceps privetur: bonum enim, utpote ab omni tumultu, et imaginatione alienum, verbositatem fugit. Præclara ergo res est silentium, nihilque aliud, quam mater sapientissimorum cogitatuum."

Basilius autem ad Gregorium ait: "Silentium purgandæ animæ habere principium." Et Thalassius Hecatont 1. c. 66. Silentium et preces idcirco maxima putat esse virtutum arma, quia mentem simul purificant, et perspicaciorem reddunt. Et Isaac Syrus, c. 44: "Si custodieris linguam tuam, datur tibi a Deo gratia compunctionis ut in ipsam animam tuam intres; et in hoc gaudium spiritus."

5°. Tempus loquacitate consumitur. Bonaventura, infra.

Ad vitandam loquacitatem valent: 1°. Non affici ad ea quæ mundi sunt. Thalassius Hecat. 1. c. 68. 2°. Assidua oratio. B. Isaac, Or. 21. et Nil. sup. 3°. Timor Dei præsentis. Isaac Or. 26. 4°. Silentii utilitates inspicere; quod animam, ut dictum est, purificat: colligit animam, nec distrahi patitur orationis tempore: parit humilitatem, Isa. Or. 9. Liberat a purgatorio animam, ut patet in Spec. Disc. ex. d. 4. c. 58. A dæmonibus quoque, quibuscum bellamus, servat immunes. Probat id Chrysostomus ex similitudine eorum, qui pugnant, et in exercitu versantur, qui bello intenti multum silentii adhibent. "Si ergo illi," inquit, "quibuscum sensibilibus, et carnalibus hostibus bellum est, quique nihil ex sermonibus noceri poterunt, tanto utuntur silentio, tu, cui in sermonibus bellum est, imo potior pars belli, eam tibi partem incautam relinques, et nudam?" in c. 5. ad Ephes. hom. 17. Liberat silentium a sexcentis periculis, in quæ incidere verbosus solet; quia, auctore Nilo in Paræn.: "Satius est temere lapidem mittere, quam verbum."

In quantitate non solum multitudo verborum, sed etiam nimia atque intempestiva sermonis parcitas evitanda est: nec enim minus vitiosa interdum est taciturnitas inopportuna, quam stulta loquacitas; præsertim si cum hominibus, et inter homines agimus. Recte enim Gregorius, l. 3. mor. c. 7. "Duobus," inquit, "modis labiis delinquimus, cum aut injusta dicimus, aut justa reticemus: nam si

aliquando tacere culpa non esset, Propheta non diceret: Væ mihi, quia tacui." Isaiæ 6.

Vitanda est igitur nimia taciturnitas quatuor de causis: 1°. Quia sæpe urget loquendi necessitas; nam ad necessitatem sermo nobis a Deo datus est.

2°. Quia sæpe suadet charitas: nam, cum per sermonem mutuum conjungantur animi, sublato hoc charitatis adminiculo, conjunctio ipsa charitasque pariter tollitur. Quocirca magna reprehensione digni sunt, qui inter collocutiones pomeridianas, quæ non solum ad relaxandos animos, verum etiam ad fovendam mutuam animorum conjunctionem institutæ sunt, silentium arctissimum tenent: nec enim aliud assequuntur, nisi ut cæteri ipsos fugiant, atque oderint. Quare Climacus, Grad. 4: "Noli," inquit, præter rationem silere, ne ex tui silentii improbitate aliis turbationis, et amaritudinis auctor sis." Gr. de Obed. p. 73.

3°. Vitanda est taciturnitas nimia, ne singulares videamur, cujus rei exemplum habemus in actibus Sti. Francisci, qui fratri cuidam maxime taciturno prædixit infelicissimum exitum. Lege in Spec. exemplorum. Hoc enim perinde est, ac in cœtu communi velle aliis sanctiorem videri, et in loquendo modestiorem.

4°. Vitanda est etiam ad utilitatem sive corporis sive animi. Corporis quidem, quia colloquia honesta exhilarant hominem jucundumque reddunt, quod ad tuendam valetudinem valet plurimum.

Ad utilitatem vero animorum; ut cum corrigendus aut cohortandus, aut admonendus est frater, præsertim si id muneris ad nos spectat. Gregorius, l. 7. mor. c. ult°.: "Plerumque nimis taciti," inquit, "dum quædam mala respiciunt, et tamen in silentio linguam premunt quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt; et eo mortis auctores fiunt, quo virus quod poterant ejicere loquendo, noluerunt."

Dices: At Propheta dicit se a bonis siluisse.

R. Silendum est interdum a bonis, et necessariis, ut loqui discamus ; id quod dicuntur fecisse Pythagoræi.

Sic Basilius, in Reg. Contract. reg. 108 : "Accidit," inquit, "aliquando, ut et iis qui linguæ incontinentia laborant absolutum necessarium sit silentium, donec a morbo petulantiæ, quam habent in verbis curentur ;" p. 331.

In qualitate autem spectanda est veritas, gravitas, bonitas. Ut et vera sint quæ loquimur ; et seria, non jocosa ; et bona, non perniciosa.

Vera debent esse quæ loquimur, ut nihil unquam mendacii deprehendatur in verbis nostris, ne tum quidem cum jocamur et remittimus animos. Quia mendacium ex se semper est malum, ideoque monet Eccli. c. 7 : "Noli velle mentiri omne mendacium. Assiduitas enim illius non est bona." Cum enim triplex a doctis fingatur mendacii genus, jocosum, officiosum, perniciosum, monet hisce nos verbis Eccl. ut ab omni mendacii genere abstineamus, etiam ab eo quod nec alteri noceat, et prosit alteri. Dicit autem : "Noli velle mentiri," non autem : Noli mentiri ; ut potissimum affectatum mendacium vitemus, si minus possumus per humanam imbecillitatem, id quod per imprudentiam excidit, evitare. Et hoc est : "Noli velle ;" id est, des operam ut saltem voluntate et consilio non excidat : quem scripturæ locum pluribus tractat B. Augustinus de Mendac. c. 16. et 17. Causam autem vitandi mendacii ita subjicit. "Assiduitas enim illius bona non est," hoc est, valde mala est : mala autem est, quia multa mala gignit ; sex autem potissimum.

1^m^. Quia necat animam. Sap. 1 : "Os quod mentitur, occidit animam ;" quod quanquam intelligendum est proprie de noxio et pernicioso mendacio, tamen vel ex hoc satis intelligi potest quæ sit vis ac natura mendacii, quæ ad animæ spectat interitum : ideoque negat B. Augustinus eo quem dixi libro, ne honestissimo quidem nomine atque prætextu licere mentiri.

2m. Quia mendax negat Deum, qui veritas est; diabolo autem adhæret, qui ab initio mendax est.

Ac Beato quidem Hermeti visus est Angelus custos, qui inter cætera mandata hoc etiam dedit, ut veritatem diligeret. Quia, Jo. 8: "Ille homicida est ab initio, et in veritate non stetit;" mendacii quippe pater est. Dorotheus, Ser. 9: "Propter mendacium a Deo nos secernimus, et maligno, hoc est, diabolo agglutinamur." Hinc omnis mendax abominabilis apud Deum; et Prov. 6. dicitur odisse Deus linguam mendacem, et proferentem mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei.

3m. Quia mentiri servile est, et ignominiosum. Plut. de lib. Educan: "Assuefaciendi sunt," inquit, "pueri, ut vera dicant, qua in re summa est sanctimonia; mentiri enim servile est, dignumque apud omnes homines odio; ac ne mendacibus quidem servis ignoscendum."

Ignominiosum autem, quia famam contaminat. Eccli. 20: "Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit;" idest, eorum qui non bene instituti sunt: signum est enim malæ educationis, qualis solet esse servorum infimorumque hominum.

4m. Quia mendacium veris etiam dictis fidem abrogat. Cum quis enim semel inventus est mendax, non ei amplius facile creditur. Itaque rogatus Aristoteles quid suis mendaciis mendaces assequerentur; hoc, inquit, ut ne tum quidem iis credamus, cum vera dixerint.

Ephrem, de Mendacio: "Qui autem," inquit, "assuescit mentiri nullam in verbis suis obtinet auctoritatem; invisus etiam est Deo pariter, et hominibus. Hic nullo in negotio probatur, et in omni responsione suspectus est."

Augustinus, lib. Contra Mend. c. 4: "Et quod est miserabilius, etiam ipsi jam quasi nostri effecti, quemadmodum nobis credant reperire non possunt," etc. Et mox: "Vides quo tendat hoc malum, ut scilicet non solum nos illis ipsique nobis, sed omnis frater omni fratri non immerito videatur esse suspectus."

Et Dorotheus, Ser. 9 De mendace: "Si quando," inquit, "contigerit, ut verbum unum verum dixerit, facit sibi ut nunquam credatur." Et hoc est quod dicitur, Prov. 10: "Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos;" videlicet quia non assequitur quod per mendacium assequi laborabat, sed operam suam perdit, ut qui ventos pascit: cum ejus dictis fides non habeatur; sic inconstans et vaga ejus arguitur oratio tanquam ventus. Veritas autem sibi ipsa constat, et in uno consistit, secus autem mendacium; ideo sequitur: "Idem autem ipse sequitur aves volantes;" scilicet propter instabilitatem, quia ejus sermo, utpote falsus, stabilis non invenitur, sed varius; verus autem in uno consistit.

5m. Quia mendacium gravissime vindicatur.

Climacus, gr. 12.: "Nullus," inquit, "recte sentientium parvum esse mendacii peccatum existimet; quippe contra nullum vitium graviori sententia Spiritus Sanctus usus est, sicut ait David ad Deum: "Perdes omnes qui loquuntur mendacium," Psal. 5; et Apoc. 21: "Timidis et incredulis, et execratis, et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti." Intellige autem has scripturas non de quovis mendacio, sed de noxio et pernicioso, quod fallendo noceat. Et Eccli. 20 dicitur: "Mendax perditionem pro hæreditate capturus;" et Prov. 20: "Suavis," inquit, "est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo:" scilicet ut solet is qui secundario pane vescitur, qui quamvis suavior videatur cibario et candido pane, sæpe tamen habet admixtos minutos quosdam calculos, quibus os læditur dentesque mandentis. Sic et Act. 18. Ananias et Saphira, quia Petro mentiti sunt, repente expirarunt; ut intelligamus quantum sit facinus superioribus qui Christi loco sunt, mentiri in re præsertim gravi.

6m. Quia Reipublicæ et communitati nocet: tollitur enim convictus humanus, ubi mendaciis res aguntur. Ideo Eccli. 20. cum fure mendacem comparat. "Potior," inquit, "fur, quam assiduitas viri mendacis." Tum quia mendax

et veritatem quæ debetur humano convictui, et famam hominibus plerumque eripit. Tum quia uterque similem Reipublicæ ignominiam affert, uterque concordiam tollit, et permiscet omnia. Idcirco autem potiorem dicit esse scriptura furem, quam assiduitatem viri mendacis, quoniam qui mendaciis assuevit, plus sæpe nocet eripiendo famam, quam fur res temporales. Deinde, quia ille ex sola improbitate ac petulantia mentitur; fur autem ex inopia fere peccat. Ideo Prov. 6. dicitur: "Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam." Quod secus accidit in mendacio.

Jam simulatio quoque finitima mendacio est, imo mendacii parens, ut ait Climacus, gr. 12.; sæpe etiam materia: "Quidam autem," ut ille ait, "nihil aliud esse definiunt, nisi mendacii meditationem atque opificem." Quamquam proprie simulatio in factis est, sicut mendacium in dictis; eademque est atque hypocrisis, et opponitur veritati. De hac S. Thom. 2. 2. Augustinus tamen ad Consentium in mendaciis eam numerat; ut cum de Petri simulatione dicit cogentis gentes judaizare. Quapropter hæc quoque religioso viro maxime vitanda est; ut etiam sermonis ambiguitas, quæ idcirco mendacium est, quia animo fallendi adhibetur, ut ex Augustini doctrina planum est.

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Non solum," inquit, "mendacia, et quæ criminosa sunt, verum etiam locutiones hyperbolicas, et aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent," scilicet ambiguas. Et in Reg. Novit. c. 10.: "Duplicitates," inquit, "et simulationes in loquendo semper devita. Quia, ut dicit Augustinus, omnis simulatio et omnis duplicitas mendacium est;" ad Consentium.

Itaque merito dubitat apud Dorotheum Ser. 9. Abbas Alonius, an liceat aliquando mutare verba, et variare sermonem; æquivocisque, ut appellant, uti sermonibus. Nam hi quoque ad mendacium spectant, et veritatem, quam societatis civilis tuendæ causa profiteri debemus,

occultant. Quæsivit ergo Alonius ex Abbate Agathone: "Num si judex reum quæreret in ejus cella latitantem, liceret mutare verba, et variare sermonem, ne reum traderet ad supplicium." Cui Agatho: "licere," inquit, "puto in tali articulo, et necessitate; debet tamen qui id agit, pœnitentiam agere, et flere amarissime in conspectu Dei, atque hoc tempus habere, uti tempus tentationis." Concluditque ad extremum nonnisi in summa necessitate verba esse commutanda, et cum timore Domini. Tractat Augustinus hanc quæstionem in terminis lib. de Mendacio ad Consentium, c. 13. ubi quid in eo casu Episcopus Bagastensis Ecclesiæ Firmus fecerit, narrat. "Nam cum ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem, diligentia quanta poterat, occultabat; respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere: passusque multa tormenta corporis permansit in sententia."

Rectius ergo fecit Episcopus, quam sensit Abbas; nec enim licet ex Augustino ita variare verba, ut alterum fallas. Ille enim mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis, vel quibus libet significationibus enunciat. Quare cum nihil absit a mendacio dubius et ambiguus sermo, profecto omni animi provisione cavendus est: quia quicquid enuntiatur voluntate fallendi, ut ex eodem Augustino diximus, mendacium est. "Sit igitur sermo" noster, "Est, est, Non, non;" ut nos Salvator admonet, "quod enim his abundantius est, a malo est."[1]

Deinde spectanda est in verborum qualitate gravitas; ita ut cum loqui volumus, seria non jocosa, gravia non levia, nec risum excitantia proferamus. Idque pluribus de causis, sed præcipue quinque.

1°. Quia dedecet religiosæ scholæ discipulum. Quod significat B. Benedictus cum ait:[2] "Scurrilitates, vel verba otiosa, et ad risum moventia æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium os discipulum aperire

[1] Matth. 5. [2] In Reg. c. 6.

non permittimus." Ideo Hieronymus ad Heliod: "Ridere, et ludere secularibus derelinque; gravitas tuam personam decet."

Imo Clemens Alexandrinus, l. 2. Pædag. a quovis ingenuo homine alienum putat ea mente loqui, ut risum excitet. Nam si gravitas nostra non patitur, ut personam externam figuramque ridiculam, quemadmodum in pompis et ludis fit, suscipiamus, "Quomodo," inquit, "in verbis studuerimus esse et videri ridiculi; id quod est omnium, quæ sunt in homine, longe pretiosissimum, nempe sermonem ac rationem, ludibrio habentes?"

2°. Quia jocus et risus, ut in Examer. Basil. ait, remissam efficit animam, et negligentem erga Dei præcepta, nec nisi a negligenti anima proficiscitur. Nam, ut idem Clemens ait:[1] "Cum verba omnia a cogitatione et moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ a moribus ridiculis non procedant. Sermo enim," inquit, "fructus est cogitationis; et, juxta Christi doctrinam, non est illa arbor bona, quæ facit fructus malos. Quod si qui risum movent exterminandi sunt a Christiana Republica, profecto longe abest, ut nobis permissum sit risum movere." Hæc fere Clemens.

3°. Quia risus, ac joca abhorrent a Scripturis, et ab Ecclesiastica regula. Nam quamquam Philosophi antiqui inter officia numerant jocos, et vere interdum ab honestate non abhorrent; tamen Sancti eos a Christiana sanctitate alienissimos putant.

Ambrosius, l. 1. Off.:[2] "Licet interdum honesta joca et suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula; quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?"

4°. Quia præsens vitæ tempus luctus est ac tristitiæ, non facetiarum ac risus. Ambrosius, ibidem: "Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus. Et nos ridendi materiam requirimus, ut hic ridentes illic fleamus? non

[1] L. 2. Pædag. c. 8. [2] C. 23.

solum profusos, sed omnes jocos declinandos arbitror: plenum tamen suavitatis et gratiæ sermonem non esse indecorum."

Et Chrysostomus, Hom. 17. in 5. cap. ad Ephes.: "Præsens tempus non effundendi gaudii, sed luctus est, tribulationum et lamentationum. Tu vero leviter urbanis facetiis jocularis?"

5°. Quia viri sancti risus, ac joca suo damnant exemplo atque doctrina. Chrysostomus enim, ex quo baptismum suscepit, nunquam scurrilia verba, ac ne joca quidem dicitur esse locutus. Et idem in Matth. negat ibi ullum compunctionis gemitum fore, ubi in risibus modus absit. Idemque in cap. 5. ad Ephes. hom. 17. ostendit exemplo Pauli hanc non esse conversationem Sanctorum, ut jocis ac facetiis utantur, sed in assiduo luctu lacrimisque versentur. Lege fuse.

Bernardus etiam, l. 2. de Consid.: "Inter seculares," inquit, "nugæ sunt nugæ, in ore sacerdotum blasphemiæ: interdum, si incidant, ferendæ fortasse, referendæ nunquam." Idem: "Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, etiam ab aure relegandum est."

Et Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3. et p. 4. c. 5: "Sint in locutione," inquit, "honesti, et serii; nec se in secularibus, et ad risum moventibus verbis seculares ostendant."

6ª. Ratio ex Chrysost. in ep. ad Ephes.: "Quia nunc belli tempus est; bellantium autem facies tristes, contractæ." Lege alia ibi.

Tamen Martinus, Dumiensis Episcopus, admittit jocos sine utilitate; sed nimirum intelligit gratam quandam urbanitatem, ac lepores; et eos sermones, quos dixit Apostolus sale conditos. Sicut et B. Basilius, cum facetias tollit lib. de Vit. Solit. et abstinendum esse ait ab omni facetia, infra tamen hæc subjicit:[1] "Sicubi opus est, ut animi tristitia per sermones remittatur, ut exhilaretur, sit sermo

[1] C. 13.

vester spirituali gratia refertus, et Evangelico sale conditus." Et Clemens Alexandrinus, ubi verba risum excitantia vituperat, ita tamen subdit: "Urbane ergo, et lepide loquendum est, non risus movendus." Quin et S. Thom. 2. 2. q. 168. ar. 4. ludos et joca ab humano congressu non removet. "Quia contra rationem," inquit, "est, ut aliis sese aliquis onerosum exhibeat, dum nihil exhibet delectabile." Ubi et illud Senecæ citat: "Sic te geras sapienter, ut nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem." In quo tamen ipso videndum est, quid communi hominum vitæ, quid religiosæ professioni conveniat.

Postremo attendenda est in qualitate Bonitas, ut commoda, et bona sint verba, quæ exeunt ex ore nostro. Bona erunt primum, si nemini noceant, si proximis non obloquimur, si de alterius fama nihil detrahimus. Ex omnibus enim verbis nulla sunt quæ magis noceant, quam quæ detrahunt de aliena existimatione atque fama. Deinde bona erunt, si ad utilitatem, vel ædificationem audientium accommodata sint, omni otiositate remota.

Sed ut prius de Detractione dicamus,[1] tria videnda nobis erunt. 1°. Quam ingens malum ea sit. 2°. Quænam ad eam vitandam valeant. 3°. Agemus de non audiendis, nec referendis detractionibus aliorum. Sed quid illa sit, prius breviter indicandum. Detractio igitur, ut Navarri definitionem, quæ pluribus verbis continetur, omittam, nihil est aliud ex sententia D. Thomæ, nisi occulta quædam alienæ famæ denigratio. Eaque a susurro fine distinguitur, quod in susurro amicitiæ separatio, in detractione vero alienæ famæ macula, atque nota spectari soleat. Unum tamen pro altero sæpe sumitur, et pro eodem nos sæpe sumemus. Quatuor autem modis fieri detractionem S. Thomas docet: vel per impositionem falsi, vel per amplificationem mali, vel per occulti manifestationem, vel denique per depravationem intentionis ac

[1] De detractione vitanda.

mentis; cum id scilicet quod bonum est, prava mente pravoque consilio factum esse dicitur. Ad hos quatuor modos revocari facile possunt complures illi, quos excogitat Lyra, sive in Daniel 7. ubi decem detractionis modos enumerat per decem cornua quartæ bestiæ significatos, quam se Propheta vidisse commemorat; vel in Levit. c. 8. ubi circa præceptum de non revelanda turpitudine proximi sui, duodecim modos affert, quos qui voluerit, legere apud ipsum poterit. Ordiamur igitur a primo; et quam ingens malum detractio sit, ostendamus.

Quoad primum. Quantum malum detractio sit, ex ejus videlicet malis intelligi potest; quæ ad tria capita revocari possunt. Tres enim detractor offendit; se, Deum, et proximum. Se quidem quatuor modis.

1°. Per animæ maculam, et culpam quam incurrit. Bonaventura, in Spec. Disc.: "Pessimi vitii corruptela detractio, quæ animam maculat; multo enim major est hæc nota quam suæ animæ detractor inurit ea ipsa, quam famæ inurit alienæ. Nihil enim culpa fœdius, nihil turpius. Quod vel ex ipso angore morsuque conscientiæ, qui post susurrum, et detractionem remanet, planum fieri potest; ut quivis experitur, qui modo callum facinoribus non obduxerit."

2°. Per pœnæ supplicium, cui se detractor obnoxium, ac reum facit; Psal. 100: "Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar." Et Psal. 81: "Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium." Nota autem hæc quatuor quæ ad supplicium faciunt. "Destruet," inquit, "te in finem;" hoc est, in sempiternum. Præterea non solum destruet te quocumque modo, sed "evellet te," ut tanquam a radicibus evulsa arbor non renascatur amplius nomen tuum; deinde "emigrabit te de tabernaculo tuo;" idest, emigrare faciet de tabernaculo corporis tui, ut non amplius gloriosus appareas in vita tua, qui detrahendo

gloriæ invides alienæ. Denique et radicem tuam de terra viventium; non enim te solum ex hac vita ignobilem tollet, verum etiam progeniem tuam universam, omnemque posteritatem quæ a te posset originem ducere, ex hominibus omnino delebit, ut ne in posteris quidem vivat fama nominis tui, qui alienæ famæ detraxisti. Lege de hoc exempla in Spec. Exempl. d. 9. c. 55 et 57.

3°. Offendit, quia pacem suam, et tranquillitatem animi perdit; nam, ut dixit Angelus Hermeti: "Detractio inconstans dæmonium est; nunquam in pace consistit, semper in discordia manet."[1] Ideo subjicit Sapiens: "Qui autem timet præceptum in pace versabitur."[2] Præceptum inquit, quo detractio prohibetur. Simile autem est illud quod dicit David: "Quis est homo qui vult vitam, diliget dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur dolum."[3]

4°. Se etiam offendit, quia suam ipse famam violat, ac contaminat, dum alienæ non parcit. Idcirco sic nos admonet Eccli. c. 5: "Non appelleris susurro, et lingua tua ne capiaris et confundaris;" hoc est, ne involvaris malo nomini et confundaris, si mendax detractor inveniaris. "Super furem enim est confusio, et pœnitentia; et denotatio pessima super bilinguem. Susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia." Ubi nota illud "denotatio pessima;" quia ignominiosissimum est ad famam detractionis vitio notari. Nota enim illud, "odium, et inimicitia, et contumelia;" quia abominabilis est omnibus, justoque odio dignus detractor. Et, ut dicitur Eccli. 28: "Maledictus in populo;" propterea omnes sibi cavent ab eo, qui obloqui facile solet, metuentes ne sicut aliis, sic et sibi suæ obtrectationis morsus infigat. Salomon quoque, "Abominatio," inquit, "hominum detractor." Et vere Maria soror Moysis, quod fratri detraxerat, lepra cooperta subito est. Lepra autem res est abominabilis; ut quam sit hoc vitium apud omnes homines abominabile, per Mariæ lepram

[1] Lib. 2. Mandat. 2. [2] Prov. 13. [3] Psal. 33.

significetur. Se etiam offendit; quia, ut ait Bernardus in Cant. Ser. 28: "Omnis qui detrahit, primum se ipsum prodit vacuum charitate."

Deum autem offendit; quia, ut dicitur Rom. 1: "Susurratores et detractores Deo odibiles." Impugnant enim, quod in hominibus amat Deus; concordiam inquam, amoremque mutuum, cujus etiam præceptum dedit. Ideo Prov. 6: "Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus; scilicet qui seminat inter fratres discordias." Talis est detractor, et susurro; ut mox dicemus.

Glossa in illud Pauli (Deo odibiles), "Ne levis," inquit, "putetur susurratio, vel detractio, quia in verbis sunt, addit de eis, 'Deo odibiles,' ut intelligant se per solam susurrationem, et detractionem æternam incurrere posse damnationem." Hinc est, quod per Isaiam Deus admonet, ut si quis Dei lucem accipere velit, et a tenebris liberari, desinat extendere digitum suum, et proximis suis obloqui. "Si abstuleris," inquit, "de medio tui catenam, et desieris extendere digitum tuum, et loqui quod non prodest, orietur in tenebris lux tua."[1]

Bernardus, Ser. 24. in Cant., cur detractores Deo odibiles, et a Deo puniantur rationes affert. Lege, t. i. p. 169, b. Idem de clandestino et venenato susurrio, Ser. 29.

Proximum vero offendit tribus modis. 1° quia lædit eos, quibus detrahit: tum violando famam, quæ divitiis longe præfertur, melius est enim bonum nomen, quam divitiæ; tum tristitiam, quæ ex eo sequitur, inferendo: tristamur enim, cum sentimus nostram lacerari famam et ab invidis nos carpi. Ideo lingua detractoris tonsoris gladio, et flagello comparatur. Acuto quidem tonsoris gladio, qui novacula dicitur, ut Psal. 51. "Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum." Novacula autem acuta cunctos pilos simul abradit, qui sunt humani capitis decus,

[1] Isa. 58.

et ornamentum ; eademque nisi caute adhibeatur, tonsorem fallit, et aberrat ad vulnus. Sic lingua detractoris omnem hominis existimationem, decusque uno colloquio subito evertit, eademque tristitiæ vulnus infligit, ut diu deleri non possit bono jam existimationis amisso. Comparatur autem flagello, et linguæ plaga flagelli plagis anteponitur, apud Eccli. 28 : "Flagelli plaga," inquit, "livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa." q. d. Flagellum extimam tantum cutem tumidam reddit, notatamque vibicibus multis : at lingua detractoris pectoris intima penetrat, et fustis instar ossa comminuit. Scilicet quia et turpiores notas vitæ moribusque infert, quam corporis cuti flagellum ; et plus tristitiæ mœrorisque infert animo, quam doloris corpori flagellum ipsum.

At unum verbum non iniquo prolatum animo, dicet aliquis, cur tantum mœroris afferat ? Respondet Bernardus, Ser. 29. in Cant. "Si dixeris illum non tam graviter pro tam levi causa debuisse turbari ; Respondeo, Quanto levior est, tanto a te levius potuit non committi : quamquam nescio quomodo leve dicas, quicquid amplius est, quam irasci ; cum vel hoc ipsum obnoxium esse judicio ex ore ipsius acceperis Judicis. Quid nam ? tune leve dixeris in quo offenditur Christus ?"

Plus qui accipit, quam qui infert, verberum plagas sentit ; ideo dicitur Prov. 18. et 26 : "Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad interiora ventris." Quamquam autem detractor alterius famam obscurare conatur : tamen, si is cui detrahitur patienter ferat, potius ejus illustratur fama atque virtus ; quia defensorem habet Deum ipsum : sicut Moyses, cui soror detraxit, et frater. De qua re Origen. in Num. 12 : "Nunquam invenimus Dominum tantum laudasse Moysen, quantum nunc cum detrahitur ei." Vide quid sibi pœnæ obtrectantes contulerint, quid illi laudis : sibi turpitudinem, illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam.

2°. Lædit proximos detractor, quia communitati socie-

tatique nocet, dum inter aliquos discordiam seminat. Ideo Eccli. 28. "Maledictus susurro, et bilinguis; multos enim turbavit pacem habentes." At obscure occulteque detrahitur: non enim in conventu multorum audeat aliquis, modo sanus sit, obloqui alteri, aut aliena vitia carpere; sed clam, et in aurem. Verum; sed id tandem rescitur: quia Sap. 1. "Sermo obscurus in vacuum non ibit; et tumultus murmurationum non abscondetur."

Hinc nimirum rixæ, atque discordiæ in civitatibus et collegiis. Propterea Basilius monet in Ascet. cap. 2: "Susurros, et secretas confabulationes, quæ in aurem fiunt, cavendas esse, ac funditus reprobandas; propterea quod obtrectationis suspicionem habeant."

Bernardus de triplici custodia, manus, linguæ, et cordis: "Linguam hujusmodi," ait, "ipso etiam mucrone quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem esse. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, et membrum de membro; nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, ac pedibus consummatio Judaicæ iniquitatis inflixit." Lege rationem pulchram.

3°. Offendit etiam proximos exemplo, sive cæteros inficiendo, sive scandalum præbendo. Inficiendo quidem; quia et detrahere suo alios docet exemplo, et facit etiam ut in eum cui obloquitur, odia illi ipsi concipiant, bonamque opinionem quam de eo forte habebant, abjiciant.

Bernardus, in Cant. Ser. 24: "Unus est qui loquitur, et unum tantum verbum profert; et tamen illud unum verbum uno momento, multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit." Quam hoc verum est; sæpe enim multos annos meminit quispiam auditi vitii fratris sui, quod prius non agnoscebat, et ubi antea de eo bene sentiebat, atque opinabatur, postea alia de eo in mente residet, imprudentium vel malevolorum impressa opinio, ut prorsus deleri non possit.

Scandalum etiam præbendo lædit: nam quibus ejus obtrectatio non placet, ii graviter offenduntur. Bonaventura, in Spec. Disc.: "Pessima vitii corruptela detractio, quæ animam maculat, Deum offendit, proximum scandalizat." Præsertim vero si religiosus sit is, qui detrahit; quia, ut idem ait Bonaventura: "Religiosus non est, qui detractionibus pascit, vel pascitur alienis." Ibidem.

Quoad secundum. De mediis ad evitandam detractionem. Media, et viæ ad evitandam detractionem, et susurrum quinque esse possunt. Prima, ut quis statuat apud se constanter perpetuum de alienis factis, vel dictis tenere silentium, nisi forte spectent ad laudem. Bernardus, in Formula hon. vit.: "De nullo prorsus sinistre loquaris, quamvis sit verum, vel manifestum." Hoc præceptum servabat N. P. Ignatius, qui ne de notissimis quidem, pervulgatissimisque hominum vitiis loqui consuevisse dicitur. Præceptum est etiam B. Bernardi, ac Bonaventuræ de Inform. Novit. c. 24, par. 1: "Sic loquere de absente, ac si scires eum prope assistere, et auscultare. Ne timeat te quisque, quod in absentia sua famam ejus denigres. Magnum vitium est religioso dicere de absente, quod erubesceret loqui si audiret." Huc igitur spectat illud Eccli. 28: "Ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis."

Secunda via est, habere præ oculis divinum charitatis præceptum, quo jubemur nos inter nos amare, et tanquam ipsi nos proximum quemque diligere. Cum quid igitur loqui de proximis in mentem venit, reflectamus continuo animum ad ea quæ dicimus, videamusque an ea de nobis ab aliis dici æquo ferremus animo; quod si iniquo, cur ea nos ipsi de aliis dicere non veremur?

Præcepti autem violationem pœna sequitur hic quoque humanis legibus infligenda. Certe hos detractores graviter punit Basilius, et ab aliis separari jubet. Et in detestationem tanti mali, ne opus quidem quod quis elaboravit, cum aliis misceri permittit. Et quamvis ille resipiscat,

factique pœniteat, ne tum quidem in usus fratrum patitur erogari. Lege fusius Disput. Interrog. 51.

Tertia est, cogitare, quam abjecti sit animi aliis clanculum obtrectare, et in silentio serpentis insidiantis more mordere. B. Isaias Abb. or. 16: "Si te obtrectandi fratri vitium adoritur, cogita illud, quam abjecti sit animi, invisumque Deo, et recedet abs te."

Utilitatem ejus indicat Eccl. 10., qui serpenti comparat obtrectatorem. "Si mordeat," inquit, "serpens in silentio, nihilominus habet, qui occulte detrahit." Serpente autem qui humi repit, qui tortuose graditur, qui venena gerit, qui terram mandit, quid vilius aut abjectius excogitari potest? Sicut igitur ille terram mandit, et humi repit; sic obtrectator, quod in homine infimum est, et terrenum, vitia inquam, et quæ vitiorum speciem habent, quodammodo mandit, et in ore volvit. Et quemadmodum ille tortuosus incedit, ut sua incautis venena infundat: ita malitiose, et ex insidiis detractor agit, ut venenatos alienæ vitæ morsus infigat: inchoat enim interdum ab hominum commendatione, quo plus sibi fides habeatur, persuadeatque se non odio adductum ea de aliis mala commemorare, quæ narrat, sed veritatis amore. Ut qui olim detraxerunt terræ promissionis, prius ipsi cœperunt a commendatione fertilitatis ejus. Terra, inquiunt, optima est, quæ revera fluit lacte et melle; deinde ad detractionem sensim progressi sunt.

Quarta est, cogitare sua attente peccata. B. Isaias, Or. 26: "Qui assidue peccata sua cogitat, linguam non habet, qua de ullo homine verba faciat." Et Climacus, gr. de Detractione: "Qui celeres, nimiumque diligentes proximi judices sunt, idcirco id patiuntur, quia nondum peccatorum suorum fixam, ac perfectam memoriam, curamque susceperunt." Lege quæ sequuntur, p. 138.

Quinta est, perpendere quæ supra commemorata sunt mala; præsertim illud, quod inimicitiarum et discordiarum causa est. Tum vero illa quæ commemorantur ab

Eccli. 28. ab eo loco: "Lingua tertia multos commovit," ut infra. Et Climacus, gr. de Detractione: "Detractio," inquit, "est proles odii, tenuis languor, pinguis et occulta ac latens sanguisuga, quæ charitatis omnem consumit ac demolitur sanguinem."

Adde his, si placet, implorationem divini præsidii, sine quo linguæ habenas continere non possumus; propterea enim dicebat David: "Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis." Et Eccli. 28. dicit: "Qui relinquunt Dominum, incident in illam," scilicet linguam nequam. Ubi Jansenium legas licet, in hæc verba, p. 444, col. 2. n. 26.

Quoad tertium. De non audiendis nec referendis detractionibus aliorum. Non sunt autem audiendæ detractiones aliorum, juxta Eccli. præceptum, c. 28: "Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire." Et juxta Proverbium Sapientis, c. 24: "Et cum detractoribus ne commiscearis;" Gloss., Eorum detractiones libenter audiendo. Multa enim ex aliorum detractionibus audiendis mala consequuntur; sed præcipue quinque.

1°. Enim bona de proximis opinio funditus amittitur, imprimiturque menti nostræ contraria tam alte firmiterque ut difficile postea deponi possit: hoc autem charitatem aut minuit, aut extinguit.

Propterea Basilius, Reg. brevior. reg. 26 ait: "Et qui fratrem detrahit, et detrahentem auscultat, ambos a reliquorum societate exterminandos esse."

2°. Sæpe ex aliorum minus recte factis dictisque aure perceptis anteponimus nos ipsos tacite proximis nostris; et meliores nos, aut sapientiores, aut magis strenuos esse existimamus: sensimque, dum minime sentientes nos inflamur, superbiam alimus.

3°. Sæpe etiam fit, ut detractoribus assentiamur, et ad detrahendum nos quoque ipsi descendamus invitī. Nam, ut Isidorus ait: "Vanus sermo cito polluit mentem, et facile agitur quod libenter auditur. Ideo assuescen-

dum est et loqui, et audire de bonis alienis: ut præcipit Hieronymus, in Epist.: "Semper," inquit, "linguam tuam de bonis loqui assuesce, et auditum tuum ad bonorum magis laudem, quam ad malorum vituperationem accommoda."

4°. Cum detractoribus præbemus aures, iis animos damus, ut in suis obtrectationibus sane pergant: quod contra accideret, si eos a nobis momento abigeremus. Quia, ut ajebat quidam vir sanctus: "Discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audire." Et hoc est nimirum "seras auribus facere," ut monet Eccli. c. 28. easque "sepire spinis, ac vepribus." Ut enim et seræ ferreæ, et spinarum densitas facit, ut nec in domum, nec in possessionem nostram furibus aditus pateat; sic invitas detractoribus aures dare, detractores ipsos a detrahendo avocat, et avertit. Sæpe etiam dum detractori favemus, naturam nostram imperfectamque conditionem prodimus, et iis scandalo sumus. Ut de quibusdam religiosis narrat Bonaventura, in Spec. Disc. p. 4. c. 5.

5°. Si detractor auctoritate præstet, et opinionem aliquam probitatis habeat, tum nos ipsi quoque detractionis vitium facile imbibimus, nec magnum admodum malum putamus in rebus levibus proximo obloqui. Sæpeque res ipsæ leves quas putamus graviores opinione nostra sunt. Magnum igitur hic periculum est, ne ab iis qui probitatem aliquam præseferunt, condiscamus hoc vitium. Debemus igitur existimare posse etiam bonos viros interdum labi, et in obtrectationes aliquas nec sentientes incidere, qui quidem postea nobis nescientibus, conscientia admonente ac remordente, se corrigunt, et ad lacrimas compunctionemque recurrunt. Nos autem culpas dumtaxat inspeximus, pœnitentiam vero ac resipiscentiam intimam non inspicimus, ideoque eorum facile permovemur exemplo. Recte enim Climacus: "Vidi aperte peccantem, atque occulte pœnitentiam agentem; et quem ut nequissimum judicaveram, inveni pudicum ac sobrium apud Deum

existimari, cum illum per conversionem, et pœnitentiam sibi propitium fecisset." Lege etiam Dorotheum, Serm. de nemine judicando; apud quem consimilia reperies.

Optima ad repellendos obtrectatores via triplex esse potest. Una per increpationem apertam; altera per tristitiam vultus; tertia per excusationem alienorum factorum, vel dictorum.

1°. Per apertam admonitionem, seu increpationem. Ut Augustinus, qui hos versus in mensa scriptos habuit:

> Quisquis amat dictis absentum carpere vitam
> Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

B. Isaias: "Si quis coram te loquitur adversus fratrem tuum, aut taceas præ pudore, aut illi assentiaris, ne pecces adversus Deum. Sed cum humilitate dic: Ignosce mihi frater, infelix ego sum. Et hæc quæ loqueris mea sunt, et ea ferre non possum."

Et Climacus: "Noli," inquit, "vereri eum, qui apud te proximo detrahit, imo vero dicito ei: Quiesce, frater; ego in his quæ graviora sunt, quotidie delinquo; illum ergo quomodo damnare possum? Hoc enim unico medicamento duo lucraberis; quod et teipsum, et proximum curabis."

2°. Per tristitiam etiam vultus (si quis admonere non audet) repellitur, et corrigitur obtrectator. "Per tristitiam enim vultus," Scriptura ait, "corrigitur animus delinquentis." Et Prov. 25: "Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem." Et quidem usus docet detractiones illico cessare, cum inter detractores tristi quis vultu eas sibi non placere significat. Lege de eo Episcopo qui libenter audiebat detractorem, et cum detractore ipso graves in Purgatorio pœnas dedit.

3°. Cum monere non audemus eos, qui nobis superiores videntur esse; conemur tamen eum, cui obtrectatur et detrahitur, excusare. Bonaventura, in Spec. Disc. p. 4. c. 5: "Si de personis absentibus, præsertim religiosis, sinistre

aliquid suggeratur, semper pro absentium parte loquentes, nullo modo ad favendum detractoribus inclinentur." Quo loco narrat vir sanctus de quodam externo ac seculari homine, qui tentandi causa apud religiosum in religiosos invehi cœpit. Cui cum frater se constanter opponeret, eumque, cui ille obloquebatur, solicitus excusaret, miratus hominis charitatem, confessus ad extremum est, se tentandi causa, et explorandi mutuam illorum Ordinum charitatem accessisse; quod longe secus apud alios alterius Ordinis deprehendisset.

Climacus etiam, Gr. 10., excusandi fratris gratia, causam sceleris in dæmonem conferendam: "Si quis," inquit, "detractionis spiritum superare cupit, non peccanti fratri, sed suggerenti dæmoni causam sceleris adscribat."

Potest addi 4ª et 5ª ratio: scilicet abeundo, veniam a collocutoribus petendo, et per revocationem sermonis ad alia transeundo. Ideo etiam Bonaventura, de Infor. Novit. par. 1. c. 23: "Non libenter," inquit, "audias detrahere, sed aut fuge detractionem, aut opportune compesce, si potes." Utrumque attigit. Opportune siquidem dixit: "orta occasione," et ad alia salubriora revocando sermonem.

Diximus de non audiendis: nunc de non referendis, prodendisque detractionibus breviter est dicendum. Nam hic quoque maximum studium adhibendum est, ut si quid a detractoribus audivimus contra fratres nostros, non festinemus ea quibus de ipsis audivimus, vel iisdem quibus detractum est, prodere, vel ad alios temere circumferre; idque duabus de causis.

Primum. Quia inanissima res est ista, nulliusque emolumenti, damni vero permagni: hinc enim seminarium litium ac discordiarum. Eccli. 28: "Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem; civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit," etc. Lingua tertia dicitur, quæ inter duos se

tertiam immiscet, seritque inter eos discordias. Tales autem sunt, qui cum ab aliquo aliquid audierint, continuo vel id ad eum ipsum referunt, vel cum aliis temere communicant. Sane monent sancti viri, ut ab hoc vitio temperemus. B. Isaias: "Si erratum alicujus animadverteris, ne illud ad alios deferas, aut in ore tuo sit, ut fratribus dicas; id enim mors est animæ tuæ." Et Sanctus Dorotheus dicit, proprium esse non timentis Deum, si cum aliquid audierit minus utile, continuo illud garrula lingua ubique disseminet. Et S. Bonaventura, de Infor. Novit. monet ne detractionem ei, cui detractum est, prodamus. "Ne magis," inquit, "gravetur contra detrahentem sibi, quam ex relatione tua minuatur." Altera causa cur audita detractio obruenda silentio sit, est, quia levissimi est ingenii, quæ audita sunt, ea continere non posse, nisi subito ad alios circumferas, et in aures alienas effundas. Ideo Eccli. 19. sic admonet: "Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te; quoniam non te dirumpet." Hoc est, sepeliatur in te, et in oblivionem veniat; non enim nocebit tibi, si id apud te contineas: confidens fore, ut silentio pressum non te dirumpat, ut semel haustum venenum, quod nisi confestim evomatur, interficit, et intestina dirumpit. Quo quidem præcepto significare voluit Sapiens, quantam vim sibi adhibeant necesse est levissimi quidam homines in iis, quæ audierint, continendis, tanquam se dirumpendos illico metuant, nisi ea ipsa in aliorum aures subito effundant. Et subjicit geminam ad id aptam similitudinem, quarum una est: "A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis." Altera vero: "Sagitta infixa in femore carnis, sic verbum in corde stulti." Utraque sententia levitatem quorumdam hominum, qui audita continere apud se nullo modo possunt, ostendit. Cujus prioris hic est sensus. Fatuus a verbo concepto per auditum sic parturit, et laborat ad effundendum illud, sicut parturiens infantem in gemitibus mulier. Posterioris autem is est: Verbum

auditum ita se habet in corde stulti, sicut sagitta infixa in femore corporis. Ut enim hæc graviter hominem cruciat, donec extrahatur, ita et illud tamdiu torquet cor stulti, quamdiu id in alios possit effundere. Sapiens in hoc commendatur Augustini mater a filio, l. 9. conf. c. 9. quod nunquam alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas pertineret. Lege.

Atque hæc de hoc nequissimo vitio satis superque: sed vitandi necessitas plura suasit dicere, quam vel nostra ferebat voluntas, vel instituti ratio postulabat. Erunt igitur (ut unde initio sermo abierat, illuc redeat) bona et commoda loquentis verba: 1°. Si omnis absit detractio, omnis maledictio, omnis denique susurratio. 2°. Bona etiam erunt, si non inania otiosaque sint, sed utilitatem aliquam adjunctam habeant, ut prosint audientibus. Quia ex Apostolo: Si quis est sermo ad ædificationem, is proferendus est. Basilius, in Ascet., c. 2: "Si quid ad animarum ædificationem commodum est, de hoc tantum sermo fiat." Neque tamen necesse est semper esse de rebus plane divinis, ut sit bona atque utilis materia sermonis; sed modo aut justam necessitatem habeat, aut piam utilitatem, ut Gregorius in Moral. l. 7. c. 18. dicit, otiosa atque inanis existimanda non est. Id enim ille otiosum esse verbum docet, quod aut justa necessitate, aut pia utilitate caret.

Hac definitione tollitur omnis curiositas sermonis, quæ ad rem non pertinet, narratio rerum novarum, quæ nihil habent boni, nisi quod sæpius pœnitendi causam relinquunt.

Isaias Abb., Or. 5: "Si te peregre proficisci necessitas coegerit, ne perconteris quicquam quod tibi prodesse nequeat, ut ad cellam tuam incolumis revertare. Quod si vel invitus aliquid ejusmodi audieris, id domum revertens fratribus ne nuntieris." Et infra: "Quæ mundi sunt ne curiosius inquiratis; ne latrinis similes sitis, ad quas homines accedunt, ut ventris onera deponant, atque ita

fœtore sint plenæ." Et in Apophthegm. 8.: "Si quis verba pronuntiat inutilia, audire noli, ne perdat animam tuam."[1] Idem, Or. 3: "Quæ foris audiveris, ea revertens ne dixeris."[2] Bonaventura, de Infor. Nov. supra: "Rumores nescias; quia inquietant cor et mentem distrahunt, et devotionem exhauriunt, et tempus sine utilitate consumunt: et quæ scias, non omnia effundas." Ubi quatuor hic Doctor enumerat mala vani otiosique sermonis. Et in Reg. Novit. c. 5. ait esse venenum mortiferum animarum loqui de seculo, vel de bellis. Sed de hoc plura fortasse alias, cum propriam de collocutione spirituali disputationem separatim instituemus. Accedam jam ad formam, rationemque loquendi.

DE RATIONE, ET FORMA LOQUENDI.

Sequitur igitur tertium, quod in sermonis decore spectandum videatur: id autem est ratio, et forma loquendi, quæ quidem aut in moribus, aut in voce posita est. In moribus quidem sex præcipue cavenda sunt.

1°. Ne inter loquendum carpamus quempiam aut mordeamus, vel remordeamus ex his quibuscum loquimur: pessimi enim moris est. Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Nec mordaci," inquit, "frater scilicet vel importuno insultu sociorum locutionem impugnet." Hoc vitium mordendi cæteros trifariam potest admitti. Primum: Cum quis parum considerate loquens aliquem vel nolens vellicat. Et hoc Bonaventura mox appellat per subreptionem offendere. Secundo: Cum quis dedita opera animo iracundo quempiam fodicat. Et de hoc idem Doctor dicit; Ne importuno insultu. Tertio: Cum quis in salibus jocisque mordet aliquem, quod proximo pejus est; indicat enim summam despicientiam, et ὀλιγωρίαν, de qua Arist. in Rhet. Nam qui quempiam mordet iratus, videtur nonnihil facere eum unde læsus est: at qui joco et salibus mordet, nihili

[1] P. 184. [2] P. 167.

prorsus videtur eum, quem mordet, facere. Ideoque omni animi provisione fugiendum hoc vitium est; cum jubeat Apostolus, "Honore invicem prævenientes." Et Chrysost., Hom. 17. in. cap. 5. ad Ephes.: "Mordere," inquit, "scommatis procul est a Christiano;" et mox: "Linguam habes, non ut alios salibus tuis mordeas, sed ut Deo gratias agas." Repetere etiam mordentem pessimi moris est. Bernardus, Ser. in Cant. 29: "Tu accepta forte injuria, non continuo, more secularis, oblique referire fratrem responsione festines; sed neque sub specie quasi corripiendi verbo acuto et urente transfigere audeas ullatenus animam, pro qua Christus affigi Cruci dignatus est." Lege reliqua, 355. Seneca, l. 2. de Fra.: "Pusilli hominis et miseri est repetere mordentem; ut mures, et formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt." Aristoteles autem, 2. Rhet.: inter eos qui amantur numerat, qui aliorum dicta, et aculeos ferre possunt. Et p. 4. c. 9. jubet Bonaventura aliquem verecundia, ac pudore suffundi, cum socium vel per subreptionem offenderit; et si quem adversum se fratrem commotum vel leviter senserit, non prius quiescere, quam eum placare studuerit, p. 59. "Quia gloriosissimum, et potissimum," inquit, "liberalis animæ, et conscientiæ bonæ judicium est pacem proximi custodire." Nihil est autem tam adversarium, et inimicum concordiæ, quam inter loquendum aculeos vel imprudenter excutere. Propterea idem Sanctus, p. 3. c. 3: "Perversum," inquit, "est maxime si ausu damnabili ad injuriosa, vel maledica verba, quæ secundum Apostolum a Dei regno excludunt, os religiosi laxetur;" et mox de iis, qui comitatis, aut affabilitatis nomine cæteros pungunt.

Nilus, in Parænesi: "Ne cavillis petas hominem, et reprehensionem non incurres in omni vita."

Nam in dicteriis, et salibus sæpe concordia dissipatur. Propterea Martinus Dum. Episc. lib. de Quatuor Virtutibus: "Sales tui sint sine dente;" et olim erat adagium: Malunt amicum quam dictum perdere. B. Dorotheus de se ipse

confitetur, nullum verbum molestum novem annorum spatio, quibus valetudinarii curam egit, dixisse cuipiam : Ser. 4.

Ut Patrem nostrum Ignatium taceam, qui triginta ipsos annos nunquam auditus est verbo aliquem pupugisse. Huc refertur reprehensio, atque exprobratio alterius, de quo Martinus Dum. : "Non sis," inquit, "aliorum curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor; sed sine reprehensione, et exprobratione correptor."

2°. Ne contendamus. Eccli. 11 : "De ea re, quæ te non molestat, ne certaveris." Et 2. Tim. 2 : "Noli contendere verbis." Climacus, Gr. 4 : "Restringe insanam linguam, ne ad contradicendum facile desiliat." Sanctus Thomas litigium appellat, cum in sermone alter alteri contradicit; 2. 2. q. 114. Nos contentionis nomine utrumque perstringimus, licet alterum ab altero distinguatur, ut patet ex Cajet. 2. 2. q. 114. Est autem ex Ambrosio contentio veritatis impugnatio, et in colloquiis dumtaxat est, oriturque ex animorum discordia. Litigii autem finis ac scopus est contristare, ac perturbare animi quietem : nec solum in colloquiis, sed in aliis etiam actibus situm est ad convictum hominum pertinentibus ; ut colligitur ex 2. 2.

Jure autem a locutione debet abesse contentio : sed præcipue quinque de causis.

Primo : Quia levitatis et puerile est contendere. Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3 : "Indignum penitus servis Dei muliercularum more contendere. Si resistendi incidant verba, continuo cedendum resistenti. 'Honor est,' ait Salomon, Prov. 20, 'homini, qui separat se a contentionibus.' Nunquam discendi, ut dicitur, gratia litigent ; scientes se ad verborum contentiones nullo modo deinceps pertinere. Non potest esse contentio, quin aliquid in ea, quod sit contra conscientiam, dicatur." Ergo inter Dei servos collatio, non altercatio debet esse.

Secundo : Quia cedere sæpe pulchrum est, vincere autem inutile. Doroth. Ser. 4 : "Sane quam opus præclarum agit, et rem gerit eximiam, qui fratri suo cedit, et

illum sibi præponit." Et Abbas Joseph, apud Cassianum: "Sciendum," inquit, "sane generaliter illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subjicit voluntatem, quam eum qui defendendis suis definitionibus ac tuendis pertinacior invenitur."[1]

Plutar. de lib. Educan.: "In colloquiis pueri invisi aliis non fient, si non omnino in disputationibus victoriam semper obtinere laborent: non enim tantum egregium est scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria est damnosa." Citatque illud ex Euripide: "Dicentibus duobus irato altero. Qui non repugnat, dictis est sapientior." Et Cicero 1. Off.: "Sit," inquit, "sermo lenis, minimeque pertinax."

Inutile autem: tum quia, ut ait Clemens in Pædag. pro inani verborum victoria contentio ipsa suscipitur; tum quia etiamsi admonendi alterius causa suscipiatur, tamen contentionibus, ut ait Bonaventura, de Infor. Nov. p. 1. c. 36; raro aliquis emendatur.

Tertio: Quia contentio dirimit charitatem et gignit inimicitias, ut Basilius ait in Ascet. Nobis autem finis est esse a tumultu et perturbatione alienos, ut Clemens ait. Et hoc sibi vult, inquit, illud: "Pax tibi," 2. Pædag. c. 7.

Augustinus autem: "Vitio contentionis," inquit, "et invidiæ jurgia nutriuntur inter homines, quibus consumitur societas et vita: id quod usu atque experimento jam patet. Nemo enim libenter agit cum iis qui ad contradicendum prompti sunt; sed hos omnes detestantur et fugiunt, contra vero qui cedunt, amantur ubique." Et ab Aristot. 2. Rhet. inter eos qui amantur, numerantur ii qui contentionum minime sunt studiosi, nec pervicaces ac duri: Καὶ μὴ φιλόνεικοι μηδὲ δυσέριδες. Sic apud Teren. Simo. Facile omnes perferre ac pati cum quibus erat, cumque iis se dedere, eorum obsequi studiis, adversus nemini.

Quarto: Quia signum est ostentationis, aut hominis nimium sui juris, suæque sententiæ, aut ejus qui cæteros

[1] Coll. 16.

præ se contemnit. Bonaventura ibidem c. 29: "Audi humiliter et pacifice bona, quæ ab aliis dicuntur: nec disputes contra, sicut quidam faciunt quando audiunt aliquid boni; ne ipsi videantur ignorare, quod alter proposuit, statim de hoc volunt disputare, ut videantur etiam ipsi aliquid scire; non enim quærunt sui ædificationem, sed ostentationem apud alios." Quæ sequuntur lege. Certe ab inani gloria ortum habet, ut patet ex Dorotheo, Ser. 10: "Inanis," inquit, "gloria est, quæ non sustinet audire verbum vel minimum a fratre suo: hoc est, cum quis unico verbo quinque vel decem plena omni turbatione respondet, contenditque et turbas facit. Cumque quieverit a contentione, non cessat tamen etiam cogitare de verbo illo, et semper in ea cogitatione est, hoc et hoc illi dicam, non evadet impune: sicque velut amens perpetuo furit."

Idem docuerat ante Basilius, in Reg. brev. q. 289, cum docet in superandis vitiis valere plurimum, si eorum primas causas, ac radices funditus amputemus. Exemplum ponit in contentione, quam ex inani gloria tanquam ex radice ortum suum habere significat. Quod autem signum sit proprii sensus, propriique judicii, patet ex Paulo: "Nolite esse prudentes apud vosmetipsos." Et postea subdit: "Vos ipsos defendentes."

Quinto: denique totus improbus est qui contendit, et divini timoris expers. Isai. Abb. Or. 9: "Noli esse contentiosus, ne omnis in te habitet improbitas." Ideoque inter monita P. N. Ignatii illud est primum: "Nunquam contradicere debes cuiquam, sive cum ratione, sive contra; neque superiori, neque inferiori, neque æquali."

3°. Cavenda est in sermone Rusticitas, quæ in eo sita est, si parum comis et affabilis videaris: si compellanti durum difficilemque te præbeas; si cum stomacho atque acerbitate respondeas. Basilius ad Gregorium: "Jucundum atque blandum in congregationibus esse convenit, dulcemque in eloquiis." Et mox: "Placidum se ipsum ac lenem

exhibentem, asperitatemque ubique, etiamsi increpandum fuerit, repudiantem."

Martinus Dum.: "Rari sermonis sis ipse, sed loquenti non impatiens; non severus sis, sed hilaris, non aspernans."

Eccli. 20: "Sapiens in verbis seipsum amabilem facit." Plutar. de lib. educan.: "Danda," inquit, "est opera, ut affabiles pueri fiant, et in colloquio comes; nihil enim ita dignum est odio ut eorum mores, qui compellantibus se difficiles præbent."

Propterea jubet Bonaventura, de Infor. Nov. c. 17: "Novitium sese habere inter fratres gratiose, modeste, affabiliter et dulciter." Et de Proc. Relig. c. 2. proc. 1°: exigit "affabilitatem, quæ hominem inter homines facit affabilem, tractabilem, exorabilem, in bono hilarem, jucundum, socialem, nullum aspernentem, omnibus gratiosum." Talem fuisse scribit Dei Matrem ex Epiphanio Nicephorus lib. 1. hist. c. 23: Verborum suavitate plenam, et perquam affabilem. Et Damasc. Or. 1. de Nat. Mar. ait sermonem ejus fuisse jucundum, ex leni anima provenientem.

Ideo Sancti volunt, ut supra significavimus, sermonem sale esse conditum. Nam et Ambrosius, qui facetias removet, ita subjicit: "Plenum tamen suavitatis, et gratiæ sermonem non esse arbitror indecorum," l. 1. Off. c. 23. Et Basilius, supra: "Sit sermo vester gratia spiritali refertus."

4°. Improbus etiam inter loquendum mos, maximeque fugiendus est, alterum interpellare, nec spatium concedere absolvendi sermonis; contra Eccli. præceptum 11: "Priusquam audias, ne respondeas verbum." Et Clemens. 2. Pædag.: "Priusquam audieris, ne verbum responde." Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Loquente alio non loquantur, aut verba unquam loquentium interrumpant." Dorotheus, Ser. 20: "Altero loquente, cave sermonem abrumpas."

Plutarchus opus de Auditione: "Qui statim," inquit, "interrumpunt, contra decorum agunt, et qui continenter vere-

cundeque audire consuevit, is et quod utile est sermonis, percipit, et inutile facilius deprehendit; habeturque veritatis studiosus potius quam contentiosus." Idem, paulo ante: "Silentium maxime tum prodest, cum audiens non ad singula dicentis verba elatrat, sed etiamsi non probetur oratio, sustinet tamen, expectatque dum dicendi finem faciat."

Quamquam autem de oratione continenti loquatur Plutarchus, non de colloquio, congressuque familiari, tamen id huc etiam referri potest. Sed planius, Opusc. de Garrulitate.

Job 29: "Qui me audiebant, expectabant sententiam meam, et intenti tacebant ad consilium meum." Quibus verbis ostenditur sermonem eorum, qui priores nobis loqui cœperunt, interrumpere nos non debere.

Et Bernardus, cum superbi conditiones enumerat, hoc tangit vitium: "Prævenit," inquit, "interrogantem, non quærenti respondet, ipse quærit, ipse solvit, et verba collocutoris imperfecta præscindit." S. Isaac Syr. c. 45: "Non præcidas verbum loquentis."

5°. Contra morem etiam facit in loquendo, qui loquendi partes sibi omnes vindicat, sociis nullas relinquit. Est enim hoc garrulorum maxime vitium, ut semper ipsi loqui velint, alios autem non libenter audiant. Recte autem Plutarchus, Opusc. de Garrulitate: "Duo hæc, et prima et maxima, audire, et audiri, neutrum contingit garrulis: eorum proprium est communia, aut eadem sæpe narrare, mala et bona temere enunciare, nullius famæ, ac dignitati parcentes, arcana prodere, et id genus alia effutire; ac propterea maxime invisi fiunt." Ferunt autem suæ garrulitatis fructum, quod frustra auditores ab iis appetuntur; ut ait Plutarchus: "Nemo enim," inquit, "eos non effuse fugit, et ubi videt garrulum accedere, illico inde migrationem parat."

De hoc vitio etiam Dorotheus, Ser. 4, ubi ait esse omnium vitiorum seminarium, et religionem omnem timo-

remque Dei procul abigere. Communis autem garrulitatis clausulam ait esse Plutarchus: "Cave ne cui dixeris." Quare hoc quoque nobis signum loquacitatis erit, si extremum sermonem hac clausula concludamus. Cicero quoque, 1. Off.: "Sit igitur hic sermo," inquit, "in quo Socratici maxime excellunt, levis minimeque pertinax. Nec vero tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi vicissitudine nonnunquam utendum putet."

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Stultorum hoc est, quod nec linguæ parcere, nec sociis deferre noverunt." Et Clemens, l. 2. Pædag. c. 7. prolixo sermone vetat unquam uti. Ex proprietatibus igitur garrulorum eorumque mercede, et garrulitatis indicio atque nota satis intelligere possumus, vitium hoc quantopere sit vitandum.

6°. Alienus est etiam ab optime educato, prudentique viro mos loquendi cum gestu scilicet nimio, aut immoderato. Quod vitium cursim perstrinximus, cum de moderandis manibus ageremus.

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 2: "Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inornate, nec turbulenter inter loquendum membra moveat, nec oculorum nutibus, nec labiorum contractione." Sumpsit ex Ugone.

Ugo enim de S. Victore, cum alibi, unde Bonaventura sumpsit, tum tract. Nov c. 12: "Alii," inquit, "loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, aut oculos rotantes, aut profunda ponderatione defigentes, cujusdam intrinsecus magnificentiæ conatus ostendunt."

Ad immoderationem vero gestus pertinet inspuere in os alterius, dum propius ad collocutorem os tuum admoves, aut aperis.

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Vetat," inquit, "loquentem gestus modestia, ne ejus cui loquitur, vultui nimis instet, ne inhonestate quadam in ejus faciem halitus aspiratione insufflet, aut halitu ipso post vinum potatum maxime narium sensum offendat." S. Isaac Syr. c. 45:

"Spiritum coram aliquo ne projicias: si evenerit tibi tussis, verte faciem tuam retro, et tussi."

In voce quoque posita est ratio ac forma loquendi; in eaque duo spectanda sunt, quantitas, et qualitas vocis.

Quantitas quidem, ne sit nimis elata, aut tenuis. Ne sit nimis elata: quia vocis elatio elationem animi significat. Quare et S. Benedictus secundum humilitatis gradum ponit: "Pauca loqui, non clamosa voce." Et Clemens, 2. Pædag. dicit esse indicium arrogantiæ, ut mox dicemus. Bernardi etiam sententia: "Clamor in locutione index est superbiæ." Et Pynufius Abb. apud Cass. l. 4. c. 39. inter cætera humilitatis signa nonum ponit: "Si linguam cohibeat, et non sit clamosus in voce."

Alii quoque vitium hoc tanquam a religione alienum valde damnant. Ugo, tract. De Inst. Nov. c. 17: "Sonus loquentis debet esse demissus; ne strepitu aut immoderata clamositate auditores suos aut injuste terreat, aut juste offendat."

Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 2: "Sonus debet esse demissus pariter et suavis, quoniam clamositas et verborum asperitas locutionem religiosi plurimum quidem et dedecet et deturpat." Idem, de Infor. Nov. c. 30. et alibi. Et in Spec. Disc. p. 4. c. 5: "Vitiosissimus," inquit, "plane religioso loquendi modus, si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltet. Sufficiat ei, quod proxime sibi astantes possint loquentis intelligere verbum."

Isaias Abbas, Or. 5: "Si inter vos oriatur sermo qui risum moveat, cavete ne vocem vestram sinatis exaudiri;" et or. 27. c. 16: "Si tempus," inquit, "inciderit, ut necessario loquendum sit, aut præstet loqui quam tacere; tunc os tuum aperiens cum timore Dei, atque tremore, et capite demisso, modeste et submissa voce verba facito."

Nimis autem tenuis, aut demissa vox esse non debet; ut exaudiri facile possit, nec interrogandus sis sæpius quid locutus fueris. Vitium enim hoc maximum est,

verba quodammodo mandere, et intra septa dentium voces jam inchoatas inepte premere ; nec caret hypocrisis suspicione. Quia, ut Hieronymus ait, "Facile est tenui voce sermones infringere, et salutare submissius."

Et Climacus, Gr. 21. cum de Cenodoxia loquitur, ait "eam cum superbia sit plenissima, submissa loqui voce."

Quare audiendus est Basilius, qui in Ascet. ita præcipit:[1] "Quando necessitas exigit, ut colloquia mutua misceantur, moderatio vocis necessitati respondeat: ita ut cum eo qui propior est, placidiore voce sermo fiat, et is qui remotior est, majore advocetur."

Idem, ad Gregorium ep.: "Modus vocis medius proferendus atque honorandus ; ut neque in tenuitate aures effugiat, neque rursus intenta magnitudine gravis ac molestus fiat."

Et Clemens, Pædag. c. 7 : "Qui disserit, vocem suam metiatur justa proportione, et commoderatione : elatus enim clamor pronunciationis res est insanissima. Cum proximis autem ita loqui ut non audiaris, ejus est qui nullo sensu est præditus ; neque enim audient : et est hoc quidem pusilli, et abjecti animi indicium, illud vero arrogantiæ."

In qualitate vero cavendum est, 1º. ne sit nimis festina, aut lenta : sunt enim quidam qui in vocis celeritate ita proferunt verba, ut semper ira perciti videantur. Qua in re levitatis haud dubie notam incurrunt, indicantque ita se esse in agendo, ut sunt in loquendo præcipites. Quæ ipsa properatio sæpe etiam verba confundit, atque opprimit, ne audiantur. Clemens, l. 2. Pædag. c. 7 : "Neque volubiliter et præcipitanter colloquendum est ;" et idem ait : "Modesti hominis esse a celeritate arcentis orationem suam."

Alii vero nimis lenti, tardique sunt in loquendo, ut quærere semper verba, quæ sese ultro eis non offerunt videantur. Quod etiam vitium fugiendum est. Bernardus, de Ordine Vitæ : "Vox ipsa non remissa, non fracta."

[1] Ascet. c. 2.

2°. Cavendum est etiam, ne sit aspera ac fusca, sed levis ac dulcis. Propterea Ugo sonum vocis suavem requirit; ut etiam Bonaventura, tum alibi, tum Spec. Disc. p. 4. c. 5: "Sapientis," inquit, "est, loqui suaviter, et demisse;" et Bernardus: "Ut molliculum, et infractum vocis sonum non probo, ita neque agrestem ac rusticum; naturam imitandam censeo."

3°. Ne sit confusa, atque oppressa, sed clara ac mediocriter expressa. Valde enim laborandum est, ut aliqui exaudiantur; ita opprimunt verba, sive id ex nimia, ut dictum est, celeritate nascatur, sive ex nimis pressa atque inclinata loquendi ratione. Laudat Cicero, 1. Off. Catulos, in quibus literæ neque oppressæ erant, nec expressæ, idest obscuræ, nec putidius expressæ.

4°. Ne sit modulata, aut ad cantum inflexa, sed familiaris, et simplex: quo nomine laudantur a Cicerone ii, quos dixi, Catuli, quod in iis esset sine contentione vox, nec languens, nec canora.

5°. Ne sit mollis atque effœminata, sed virilis, et gravis. Alia enim virum gravem, qualem se præbere religiosus debet, alia puerum fœminamve vox decet; muliebris enim vox muliebrem quoque et effœminatum animum indicat.

Bernardus, de Ordine Vitæ: "Nihil fœmineum," inquit, "sonans, quale multi gravitatis specie simulare consueverunt; sed formam quandam, ac regulam, ac succum virilem reserans." Clemens, 2. Pædag. c. 7: "Vox quoque fracta, et enervata est fœminæ."

DE FINE LOQUENDI.

Finis loquendi, ut modestus humilisque sit sermo, haud dubie referri ad Deum debet, ejusque honorem, et gloriam, non ad gloriam laudemque nostram; in quo facile a plerisque peccatur. Quamobrem, ut modeste in sermone habeamur, cavendum nobis erit, ne gloriæ serviamus, neve

de nobis dicamus aliquid, unde redire ad nos laus et gloria possit : nam quacumque ad hunc vanissimum finem verba proferuntur, sine fine sunt, quoniam suo fine carent, qui est Deus ; appellanturque a Spiritu Sancto verba ventosa. Job. 16. "Nunquid habebunt finem verba ventosa ?" Ubi Gregorius : "Ventosa," inquit, "verba sunt, quæ inflationi temporali potius, quam rectitudini serviunt. Sæpe autem mali etiam bona dicunt, sed quia bene non dicunt, ventosa verba proferunt : nam dicta eorum si quando sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt per elationem. Cenodoxia igitur et jactantia fugienda nobis sunt : altera autem ex altera oritur. Quia enim gloriæ stimulis is qui loquitur, incitatur, compellitur etiam de se ipso gloriæ causa aliqua dicere, in quo inest jactantia.

Nulla autem in actione fortasse ita sese gloriæ vanæ cupiditas immiscet, ut in locutione. Quia, ut ait Chrysostomus, Jo. 7 : "Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit." Et "loquacitas," ut ait Climacus, Gr. 11 : "est inanis gloriæ sedes, per quam seipsam indicare, atque in publicum producere solita est."

Ratio hujus est, quia cum a ratione, quæ est nobilissima in homine pars, oriatur oratio : sicut rationis præstantia gloriamur, ita et sermone et oratione, quæ ejus interpres est. Idem enim est bene scienterque loqui, ac bene uti ratione. Reliquæ vero actiones, in quibus gloriam aucupari quis potest, etiam ipsæ si pulchræ sint, a rationis præstantia derivantur ; et eatenus laudem habent, ut cuncta animo rationeque nuntiæ interpretesque rationis, nec primæ filiæ, ut ita dixerim, sicut oratio. Cum igitur in sermonem facile irrepat cupiditas gloriæ, danda est opera inter loquendum, ne parum modeste, humiliterque nos geramus, neve gloriæ cupidi deprehendamur. Sunt autem signa aliqua, quibus deprehendi quispiam potest gloriæ inservire dum loquitur.

1°. Si curiosius nova et inaudita proferat : argumento

est enim eum velle placere. Propterea Bernardus, cum de superbia cenodoxiæ matre loquitur: "Inventa," inquit, "occasione loquendi, si sermo de litteris exoritur, vetera proferuntur, et nova; volant sententiæ, resonant verba ampullosa."

2°. Si in loquendo multus sit, et vix loquendi spatium concedat iis quibuscum loquitur. Voluptas enim sermonis, quæ ex gloria quadam oritur, facit illum loquacem, atque verbosum. Propterea Clemens, supra: "Neque enim prolixe unquam loquendum, neque multo sermone utendum."

Bernardus, ibidem: "De patientia, de humilitate, de cæteris virtutibus plenissime disputat; ut si audieris, dicas, ex abundantia cordis os loquitur;" et paulo ante dixit: "Prævenit interrogantem, non quærenti respondet, ipse quærit, ipse solvit, et verba collocutoris imperfecta præscindit."

3°. Si orto de cæterorum laudibus virtutibusque sermone, laudes illas obscurare conetur: metuit enim ne videatur inferior iis, qui laudantur.

Censorem etiam se profiteri cujusque vitæ aut artis, indicat hominem gloriæ deditum: quisquis enim est ejusmodi vult haberi prudens, et sapiens rerum æstimator; vult acri videri judicio atque ingenio, qui cæterorum vitia acute perspiciat, intelligatque quid in quaque re ab unoquoque peccetur. Plutarchus, de sui laud., "Ambitiosis," inquit, "multas præbet ad excurrendum in sui laudationem occasiones vituperatio, ac reprehensio aliorum." Et mox: "Importunissimus est, qui gloriam ex alterius dedecore venetur; quippe qui ex aliorum culpa laudem sibi quærere videatur." Tale quid habet Bonaventura, Spec. Disc. p. 4. c. 5: "Pessimus laudandi modus se ipsum cum aliorum injuria prædicare."

4°. Si de se suisque rebus sæpe loquatur: philautia enim hæc sine gloriæ cupiditate esse non potest. Atque hinc oritur alterum illud vitium, quod cavendum esse dixi,

jactantia; de qua sic Bonaventura, de Infor. Nov. p. 1. c. 25: "Jactantiam," inquit, "quam diligentissime cave, et nunquam des alicui intelligere quod aliquid sit in te commendabile: vix nam potest esse in te aliquid laudabile, quin etiam aliqui intelligant; et si tu taces, et abscondis, plus placebis; sin autem probes, et commendes irrideberis, et vilesces; et unde prius ædificabantur, inde postea despicient te." Simile est illud Ciceronis, 1. Off.: "Deforme est de se ipso prædicare; falsa præsertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum."

Idem Bonaventura, Spec. Disc. p. 3. c. 3: "Debent etiam," inquit, "pure loqui, ut eorum verbis nec jactantiæ, nec malitiæ alicujus, aut vanitatis admistio valeat inveniri: nunquam de scientia, vel de seculi statu se jactent."

Solet enim cenodoxia stimulare tirones, ut observat Cassiodorus, l. 11. Instit. 13. de Spiritu Cenodoxiæ. Vel quod parentes divites ac nobiles habent, vel quod militiam, honoresque contempserunt, interdum etiam dignitates, et opes, quæ forte ne apprehendi quidem aliquando potuissent; persuadet quempiam "perfacile fuisse adepturum, si perseverasset in seculo: vana spe, et de incertis inflans eum." Quod autem quisque sentit, id facile eloquitur: conceptum enim sermonem continere quis potest?

Alii de patria, aut suis majoribus, alii de magistratibus paternis, alii de arte ac professione loquuntur; quæ omnia materiam propriæ laudis abunde præbent. Quanquam prudentiores non ita aperte in suas ipsi laudes erumpunt, pudor enim impedit; obscure certe ea colligunt in sermone, unde laus, et gloria ad ipsos redeat. Eccli. 10: "Noli extollere te in faciendo opere tuo;" et alibi, "Laudet te os alienum."

Quare hic audiendus est Climacus, Grad. 21.; Ut ne utilitatis quidem alienæ gratia se quisque dilaudet: "Cave," inquit, "ne proditori obtemperes, cum te quasi pro audientium utilitate virtutes propalare suggerit. Quid enim

prodest homini, si mundo universo prosit, sibi vero ipsi detrimentum faciat? nihil æque ut humilis intuentes ædificare potest."

Recte autem id monet Climacus quia sanctis viris; concessum est, ut ad aliorum utilitatem sua interdum benefacta commemorent: ut videre licet in Job, et B. Paulo, et aliis Sanctis. Job enim, c. 29, ita de se loquitur: "Oculos fui cæco, et pes claudo; pater eram pauperum."

Theophylactus in Luc.: "Admirabitur," inquit, "aliquis, quomodo Pharisæus cum pauca verba suæ laudis pronunciaverit, condemnetur; scilicet: Jejuno bis in Sabbato; Job autem cum multa de se magnifice dicat, coronetur." Et respondet: "Quia Pharisæus nullo cogente stat talia nugans, et condemnans, alio nullo usu urgente. Job vero prementibus se amicis, et gravius incumbentibus, quam calamitas ipsa, dicentibusque quod propter peccata sua illa passus sit, compulsus est enumerare sua opera; idque propter gloriam Dei, ne scilicet homines a recto virtutum cursu excciderent." Eandem doctrinam tradit ex Gregorio B. Thom., in id Pauli, 2 Cor. 10: "Si amplius aliud gloriatus fuero de potestate nostra." Duabus enim de causis docet posse quempiam sine culpa commendare se ipsum. Primum, cum provocatur opprobriis, et conculcatur; idque aut ne desperet dum conculcari se videt, aut confutet, adversarios. Deinde, cum quis prædicans veritatem, nactus est adversarios contradicentes. Prima causa impulit Job, secunda Paulum, ut se ipsi laudarent.

Paulus autem sæpe de se ipse cum laude prædicat. 1 Cor. 15: "Abundantius illis omnibus laboravi;" et 2 Cor. 11: "Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Semen Abrahæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego. Ut minus sapiens dico, plus ego." Quo etiam loco arcana Dei se audivisse dicit, quæ non licet homini loqui; seseque ad tertium usque cœlum raptum esse; et alibi alia de se ipso benefacta commemorat. Verum, ut ait Gregorius, l. 19. Mor. c. 14: "Aliquando sancti viri et coram homi-

nibus compelluntur bona facere, et eadem hominibus sua facta narrare: sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui cœlis est debeat glorificari." Et mox: "Compelluntur suam vitam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare."

Et infra, de Job dicit: "Nescientibus bona sua aperit, ut nimirum discerent non contra ejus vitam increpantes erigi, sed hanc tacentes imitari." De quo et Theophyl. supra. Utilitate vero proximorum, aut alienæ salutis dempta, nihil est, quod sancti viri suas velint virtutes prodere, imo eas diligenter occultant. Sanctorum quippe virorum est, ut idem Gregorius ibidem ait, "bona quæ fecerint, occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere." Quare et Paulus ipse, cum in ep. ad Cor. 2. c. 12, contra pseudo-prophetas loquens virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, (ut Gregorius observat, l. 18. Mor. c. 7), essetque de se adhuc admirabiliora forsitan locuturus, ab humana se laude temperans subdit: "Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me." Quibus verbis significat superesse adhuc aliquid dicendum, cum sibi parcat dicere. "Sed egit utrumque Doctor egregius, ut et loquendo quæ egerat, discipulos institueret, et tacendo quæ loqui posset, intra humilitatis se cancellos ac limites custodiret."

Nos autem, qui a sanctitate longe absumus, ne tum quidem cum proximorum suadet utilitas, facile ad nostras laudes, cum loquimur, divertemus; ne cum familiaribus quidem, ut Bernardus admonet, in Formula honestæ vitæ: "Nihil unquam de te loquaris quod laudem importet, quantumcunque sit familiaris ille, cum quo loqueris." Imo, ut monet is quem dixi, Gregorius in primam Regulam, l. 5. c 4. et 14: benefacta nostra prælatos etiam celare possumus, cum elationem cavere non possumus. "Quod patri," inquit, "Jonathas pugnæ initium celat, illud insinuat, quia magna quæ agimus, quandoque propter humilitatem

laudabiliter celamus. Tales quidem per corruptionem facti sumus, ut boni videri etiam ab illis, qui præsunt nobis, sine elatione nunquam valeamus."

Verum, ne quis his Gregorii verbis ad reticendas Superiori virtutes suas moveatur, audiat quæ is mox subjicit: "Sed inter hæc," inquit, "sciendum est, quod illi virtutes celare prælatis suis justa necessitate possunt, qui bene cognoscere bonum quod agunt, sciunt. Si enim nimis sunt simplices, sæpe non est bonum quod esse bonum arbitrantur; et dum vitium quasi virtutem non indicant, in se absconditum hostem portant." Tamen, si dat Gregorius veniam, ut evitandæ elationis causa interdum etiam Superiores benefacta celemus; quanto magis debemus eos, qui non nobis præsunt, omni ratione celare?

Cur autem se ipsum laudare, aut ea quæ sibi laudi esse possunt, afferre, vitiosum sit, explicat in eo opusculo, quod de sui laude Plutarchus inscripsit.

"Primum," inquit, "quia impudentes eos arbitramur, qui se ipsi laudant, cum etiam tum eos pudor deceat, cum laudantur ab aliis. Deinde, quia sibi ipsi sumunt, quod ab aliis tribui debuit. Postremo, quia si in eorum laudibus sileamus, videbimur invidi. Sin hoc vitamus, cogimur præter animi nostri sententiam ipsi quoque nos ad laudandum conferre, aut ipsos testimonium dicendo in os laudare, non sine illiberalis adulationis suspicione." Sed nos de hac re, deque sui ipsius laude cavenda, fusius alias. Nunc hæc satis sint ad vitandam in sermone jactantiam, et cenodoxiam, ne sit inanis verborum nostrorum finis, sed referatur ad Deum, et ad utilitatem proximorum.

ANACEPHALÆOSIS QUÆDAM DICTORUM.

Tota igitur res si in pauca conferatur, tribui potest in partes tres.

1^m^. Cur non liceat se ipsum inter loquendum commendare, et suæ ipsius gloriæ servire.

2m. Quibus signis arguatur quis suæ gloriæ servire dum loquitur.

3m. An liceat aliquando ea de se ipso loqui, quæ laudem aliquam afferre possunt.

Primum, et alterum satis hactenus explicatum est.

Tertium perpaucis explicari potest. Licet enim tum de se ipso aliquid cum laude prædicare, cum conditiones quinque, aut omnes, aut multæ, aut potissimæ una concurrent.

Prima est sanctitas vitæ; ubi nimirum elationis periculum nullum sit: quod ex Gregorio supra intelligi potest, et vero etiam exemplo Christi, cujus de se ipso testimonium tutissimum est.

Secunda est personæ auctoritas; id quod cum ex aliis, tum ex Dorotheo planum fieri potest; qui cum esset Abbas, et moderator cæterorum, ad animandos subditos sua interdum prædicabat, ut scripta testantur.

Tertia est modestia; ut cernitur in Paulo, 2 Corint. 11: "Ut minus sapiens dico;" et c. 12, "Parco autem, ne quis existimet supra id quod videt in me;" ex Gregorio, supra.

Quarta utilitas proximorum; ut ex Job patet. c. 29, et ex Gregorio in eum locum.

Quinta est gloria Dei; quod intelligi etiam ex Gregorio potest, 19. Mor. c. 14. supra.

Hæc igitur si aut omnia, aut multa, aut potissima ad sui ipsius laudem prædicationemque concurrant, non inanis et indecora, sed honesta et justa laus illa, prædicatioque existimanda est.

DE CIRCUMSTANTIIS.

Postremum, quod in iis quinque capitibus quæ initio proposuimus, sunt circumstantiæ loci, temporis, et personarum; nam moderatio sermonis, atque prudentia magnam partem in iis versatur. Ut non sine causa Propheta Dominum oret, ut ponat ostium circumstantiæ labiis suis, noritque quando, ubi, et quemadmodum cum unoquoque loquendum sit.

DE CIRCUMSTANTIA LOCI.

Habenda est igitur primum ratio loci, ut modestiæ, ac decoro serviatur; de quo sic Ugo, de Instit. Novit. c. 15: "Cum aliquid dicere volumus, prius ubi illud dicere conveniat, consideremus. Nam quædam sunt loca, ubi silentium servandum est: quædam vero, in quibus humanos sermones, idest confabulationes, edere ad alterutrum non licet, etc." Et mox: "Unde et B. Augustinus, in Regula, in oratorio nihil agendum esse dicit præter id, ad quod factum est; intelligit autem hoc Augustinus non solum de opere, sed etiam de locutione."

Bonaventura, Reg. Nov. c. 15: "Toto tempore vitæ tuæ tene strictum silentium in locis, et temporibus opportunis, et ad hoc ordinatis."

Quibusdam in locis cavet etiam regula nostra, ne quis loquatur. Reg. 26. ex communibus, "Nemo," inquit, "loquatur, nisi obiter et perpaucis, aut de rebus necessariis, præsertim in ecclesia, sacristia, et refectorio. In Missa vero, concione, mensa, lectionibus, et disputationibus, si quid privatim dicere necesse erit, brevissime, et submissa voce suggeratur."

Adde ad hæc loca celebritatem, et publicum. Nam cum in publicum prodeundum est, moderandus est omni ratione sermo. Facit enim ad exemplum hujusmodi modestia.

B. Isaias Abbas, Or. 3: "Si cum fratribus iter susceperis, ita te confirma ut taceas; in itinere mens in partes varias ne distrahatur, sed tecum ipse meditare, aut Deo funde preces in corde tuo."

Jure autem in moderando sermone habenda est ratio loci; quia sicut in aliis hominum actionibus, nisi loco suo fiant, confusio ac perturbatio oriatur, violeturque decorum, sic in proferendo sermone, nisi suo loco proferatur, in decoro peccetur. Nam si ubi orandus est Deus, comesse velis, aut ubi comedendum est sacrificare, aut si in mediis

compitis somnum cibumve capere, cum is cibi somnique locus non sit, nonne contra decorum agas?

Jam videre licet etiam in natura, quæ suo quamque loco rem semper facit. Et quidem in humano corpore omnia suo loco constructa cernuntur, quæ si sedem, locumque mutent, omnis intereat pulchritudo. Ut si in genibus oculos collocet, aures in calcaneis, tibias in lacertorum sede, et in tibiarum loco lacertos, nares in pectore, et alia in aliis sedibus locisque membra reponat, quantam perturbationem et deformitatem afferat humano corpori? Ergo et in loquendo, nisi suo loco verba proferas, nihilominus contra decorum pecces, contraque modestiam.

Habenda est autem præcipue trium locorum ratio, ut supra attigimus, in quibus aut nullus proferendus est sermo, aut si necessitas exigat, valde parcus.

1°. Habenda est ratio loci sacri; quia, ut ex Augustino diximus, in oratorio nihil agendum est præter id ad quod factum est. Est enim minime reverentis animi, minimeque timentis divini Nominis majestatem in locis sacris sine necessitate miscere colloquia. Propterea regula nostra communis vetat in ecclesia, ac sacristia nos loqui, nisi forte obiter, ac perpaucis.

Nilus in Parænesi: "Ecclesiam," inquit, "non secus ac cœlum frequenta, nihilque in ea seu loquere seu cogita terrenum."

2°. Habenda est ratio publici; ut in publicis viis, ac celebritate sermonem moderemur, et vocem: scilicet ut modestia nostra nota sit omnibus hominibus. Quod si oculos in publico circumducere, facileque hac atque illac versare proximos vehementer offendit, ut supra diximus, quid faciat multus in eodem publico ac celebritate sermo? Nec enim desunt a tergo, qui religiosorum verba diligenter auscultent, aut casu dum prætereunt, missas voces accipiant, offendanturque vehementer, si quid forte parum religiose prolatum exaudierint. Quocirca, si loquendi necessitas, dum iter facimus, charitasque suaserit, memin-

erimus modestiæ atque decori, ut et perpauca loquamur, et voce, ut lex nostra admonet, non elata. Quam quidem moderationem requirit Bonaventura, Spec. Disc. p. 4. c. 2. non modo in celebritate et frequentia hominum, sed etiam in solitudine, et inter nemora, atque fruteta. "Quia nemus," inquit, "aures, et campus oculos habere dicuntur;" et mox: "Miserabiles confusiones quibusdam minus cautis pluries ex hoc accidisse feruntur." Ex incautis nempe colloquiis.

3°. In cœnaculo, locisque ad præparanda obsonia accommodatis, in atriis etiam atque hortis communi januæ proximis moderandus est sermo. Quia sæpe hic versantur externi; turpeque est hujusmodi loca religiosorum vocibus personare, nec discrimen ullum inter ædes aulicas, in quibus ubique servi perstrepunt, ac religiosas, ubi Deo jugiter deservitur, agnosci.

Sane maximæ ædificationis est, ita omnia esse quieta in religiosorum cœnobiis, ut cum plurimi in iis degant, nemo tamen, ac si nullus intus esset, exaudiatur: quod de Scythiæ monasterio quodam proditum est, ubi monachi degebant mille quingenti tanto silentio, ut sæpe advenæ locum adeuntes, neminem ibi adesse putarent; ut Cassianus refert. Jam si ubique locorum cuique liceat proferre sermones, quies hæc tollitur, præcipuaque laus disciplinæ religiosæ funditus perit.

Ex Communibus autem Regulis, Regula 26. prohibet nominatim in refectorio pluribus loqui. Eadem postea de mensa subjicit, quemadmodum moderandus sit sermo; nimirum quia quod de refectorio, ac cœnaculo dixit, id ad locum retulit; cum vero de mensa, ad tempus, de quo mox. Atque hæc est causa, cur pleræque religiosorum familiæ certos habent ad loquendum locos.

DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS.

Magni etiam refert, ut suo tempore linguam modereris; et pro ratione temporis, ita modum in loquendo teneas.

Quia 1°. tum maxime decorum servatur in omnibus, cum suo quæque res tempore geri solet. Planum hoc fit in cæteris hominum actionibus, quæ nisi suo tempore susceptæ sint, magna oritur perturbatio. Ut si noctu vigiles, die dormias; si cum orandum est, comedas; cum comedendum, ores; si cum flendum est, rideas; cum ridendum est, fleas. "Tempus" enim "ridendi, et tempus flendi;" tempus orandi, et tempus comedendi. Nam et hoc significare nobis Spiritus Sanctus per Ecclesiasten voluit, cum dixit, c. 3, "Omnia tempus habent;" nempe ut tempori in rebus omnibus serviamus, et pro ratione temporis sic unamquamque rem agamus.

2°. Id apparet etiam in natura, quæ suis unamquamque rem temporibus gignit, atque in lucem edit: alia enim esse vides tempora ferendi fructus, alia proferendi flores; alia pluviarum, alia siccitatis; alia frigoris, alia caloris. Ut autem sequeretur in natura perturbatio, si quo tempore spoliatæ floribus, ac frondibus solent esse arbores, tum flores frondesque producerent, hiemali videlicet bruma; cum autem frondosæ solent esse verno tempore, aut autumno pomiferæ, tum nudæ ac spoliatæ cernerentur; itemque si hieme ferveret æstus, æstate morderet frigus; et quæ denique suum tempus habent certum, ut in lucem edantur ac generentur, ea suo relicto tempore in aliarum rerum tempus invaderent. Si ex hoc, inquam, intempestivo rerum ortu, obituque magna perturbatio existeret in natura, cur non etiam eadem perturbatio in hominis vitam ingrediatur, cum dispertita sermonis taciturnitatisque tempora non servantur, et quo tempore silendum est, intempestivis quis sermonibus utitur, aut cum moderate silendum, arctissimo silentio se continet? Necessaria est igitur temporis circumstantia, ut modum in sermone teneamus.

Ad circumstantiam autem temporis tria præcipue pertinent. 1m. Nosse quando, quibusque maxime temporibus cohibenda sit lingua. 2m. Nosse opportunitatem cujusque

dicti atque sententiæ: ut in præsentem sermonem sua sponte incidere, non temere irruere, id quod dicitur, videatur. 3m. Quando omnino tacendum, seu nosse opportunitatem absoluti silentii.

Quoad primum, quatuor potissimum temporibus videtur moderanda, ac cohibenda lingua.

Primo, cum quid agitur de Deo: v. g., vel cum ipsi privatim oramus; non enim decet orationem alienis sermonibus interrumpere, nisi maxima necessitas cogat.

Bonaventura, Spec. Disc. p. 2. c. 10, continue vult a nobis officium recitari, cum privatim recitatur; idest, ut interruptiones in eo non fiant (sic enim loquitur) "nisi necessitate cogente." Narratque Theologum quendam Parisiensem, cum intervenisset Episcopus, horarum officium quod instituerat, prosecutum esse inclinatis duntaxat reverentiæ et salutationis gratia cervicibus, postea ea excusatione usum esse, ne miraretur Episcopus, quod majori Domino loqueretur.

Vel cum publice oratur in templo. Bonaventura, Spec. Disc. p. 4. c. 3: "Reprehensibile," inquit, "est collocutionibus, dum Missæ officium celebratur, intendere; quod tunc etiam secularibus clericis jus Canonicum interdicit."

Vel cum habetur concio de rebus divinis. Quia id offensioni cum cæteris audientibus est, tum ei qui dicit; proptereaque indicium est hominis divina negligentis minimeque pendentis, inter sacras conciones animum intempestiva collocutione distrahere.

Secundo, videtur etiam moderanda ac frænanda lingua, cum quid manibus una cum fratribus laboramus. 1°. Quia tum corpus in laboribus requiem aliquam quærit, saltem confabulationis et colloquii, ut levius laborem ferat. Inter labores autem opusque manuum non est facile verba moderari; quia attentionem diripit labor, solviturque facile mens intenta labori. 2°. Quia minus commode succedit opus, si quæ ad id requiritur attentio animi mutuis sermonibus dissipetur. Quapropter mos fuit antiquis illis Ægyptiis

monachis inter opus manuum Psalmum, vel aliquid e Scriptura Sacra mente ac cogitatione versare ; ut scribit Cass. l. 2. Inst. c. 14 et 15, cum de manuum opere loquitur. "Quod ita explent," inquit, "ut nulla inter eos sermocinatio conferatur ; sed sic unusquisque opus injunctum exequitur, ut Psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo non solum conspirationi noxiæ, vel consiliis pravis, sed nec otiosis quidem colloquiis ullam copiam, vel tempus impartiant : oris pariter, et cordis officio in meditatione jugiter occupati."

B. Isaias etiam, Or. 1 : "Ad opus exeuntes," inquit, "a desidia, et arrogantia cavete ; ut unusquisque cum timore Dei attendat sibi, et operi manuum suarum, atque meditationi, et animæ suæ in abscondito."

Et B. Laurentius Justinian. de Dis. et per. Mon. Con. c. 21. p. 55 : "In actionibus," inquit, "prudenti se circumspectione custodiant ; nam solet interdum in eisdem animus effrænari, et lingua : ita ut omissa omni gravitate spiritu levitatis totus feratur in præceps ; facile tum verba proferuntur nullo sapientiæ sale condita, quæ et totam dissipant dulcedinem charitatis." Et mox : "Semper tanquam indomitum animal gubernaculo indiget scilicet lingua, semper coercenda est sub imperio rationis, et potentissime in exterioribus actionibus, in quibus ut plurimum silentii claustra irrumpere conatur ; quæ si licentiam habuerit, interioris hominis extinguit dulcedinem. Ideo in sanctis cogitationibus occupanda mens est, cum corporale fit opus ; ut pariter cordis, et corporis gratum Altissimo offeratur holocaustum. Quod si hoc fieri nequit, verbum pronuncietur ædificationis, vel vocalis saltem non deseratur oratio ; ut Dominus dupliciter laudetur."

Tertio ; tum etiam est injiciendum frænum, cum jucunditati nos damus, sive ea convivio epulisque quæratur, sive confabulando, ac colloquendo, sive etiam colludendo.

Ratio, quia mens intenta lætitiæ ac voluptati minus attendit, ponderatque quæ proferenda sunt verba. Atque

in epulis quidem omnes Sancti præcipiunt, ut ita linguæ frænum injiciamus, ut omnino ne loquamur quidem, sed perpetuo arctissimoque silentio nos contineamus; quia tum facillime lingua labitur: ac propterea a sanctis religiosarum familiarum Patriarchis instituta est inter epulas lectio aliqua de rebus divinis, quo facilius feratur silentium, nec in cibis tota mens hæreat, sed una cum corpore suo pabulo reficiatur.

Augustinus, in Reg. c. 13: "Cum acceditis," inquit, "ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contentionibus audite: nec solum vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei."

Idem significat Gregorius, ad Natalem Episcopum, ep. 30. Idem quoque Bernardus, ad Fratres de Monte Dei, et Bonaventura, in Spec. Disc., et alibi. Cassianus, l. 4. de Inst. c. 17. dicit consuetudinem sacræ lectionis inter vescendum fluxisse ex Cappadocum typo; "Quos nulli," inquit, "dubium est non tam spiritualis exercitationis causa, quam compescendæ superfluæ otiosæque confabulationis gratia hoc statuere voluisse." Ibidemque de miro Ægyptiorum monachorum maximeque Tabennensiotarum silentio inter vescendum narrat. "Qui si quid," inquit, "mensæ superinferri vel auferri necessarium esse perviderint, sonitu potius quam voce significant." Clemens vero Alexandrinus, l. 1. Pædag. c. 1. aliam rationem affert, cur cavendum sit ne inter comedendum loquaris: "Quia fit," inquit "vox indecora, et non satis expressa ac significans: ut quæ plenis maxillis in angustum coercetur, et lingua quæ nutrimento premitur, a naturali operatione præpedita oppressa edit prolationem." Verum scribebat hæc omnibus, non religiosis tantum; ideo rationem e civili prudentia petitam afferre maluit.

Confabulatio etiam, aut hilarior collocutio animi causa instituta majorem quoque linguæ custodiam, ac moderationem exigit; quia perpetuitas, et longitudo mutuæ collo-

cutionis cor inflammat, veluti vinum, propter eam quæ inest in mutua confabulatione, dulcedinem; et verbum verbo nectitur, ut etiam si cupias tibi ipse, ubi semel cœperis, temperare non possis: multa enim ad verbositatem invitant. Primo, tempus ipsum post epulas, quo exhilarari, et quodammodo dilatari vult animus; deinde instituta, ut diximus jam, collocutio; difficile est enim in cursu sermonis imperare sibi modum in loquendo, et continere linguam, cum jam velut e carceribus missa in medio stadio præcipiti lapsu procurrit. Tum exemplum colloquentium; qui eos sermones inferunt qui nos provocant ad loquendum, et quidem ex improviso: vix ut cavere liceat in sermone peccatum.

Collusio quoque, animique remissio modestiam omnem in loquendo requirit; quia, ut ait Augustinus in Confessionibus, volentes gaudere extrinsecus, facile evanescunt; ubi autem mens intus solvitur, foris etiam liberius lingua pererrat. Atque hæc est causa, cur lusus Sancti fere non admittunt. Imo Chrysostomus, in Matth. hom. 6. t. 12. inventum diaboli dicit esse ludum: "Non dat," inquit, "Dominus ludere, sed diabolus."

Verum nihil est, quod moderatos ludos, qui ad animi remissionem adhibentur, quisquam accuset: cum Joannis Evangelistæ habemus exemplum, qui suis cum discipulis ludens inventus, admonuit apta similitudine eum, qui offendi ea re cœperat, necessariam esse animo relaxationem aliquam; ne nimis intentus tanquam arcus animus aliquando frangatur. Vide Cassian. col. 24. c. 6.

D. etiam Thomas, 2. 2. q. 168. a. 2. ludos concedit, modo tamen nihil habeant turpe, vel noxii, nec funditus gravitas animi resolvatur.

Quarto, cum perturbatione aliqua incendimur, aut commovemur, etiam tum modestiæ in loquendo habenda ratio erit. Quia perturbatio modum nescit; sive ea sit iræ, sive nimii amoris, sive odii, sive alterius ægritudinis, aut affectionis. Nam et qui ira incenduntur, continere linguam

nesciunt, sed in maledicta et convicia prorumpunt; et qui amore vel odio inflammantur uberius de eo quod amant, vel odere loquuntur; et qui æmulatione, atque invidia tanguntur, silere in alienis laudibus, ac benefactis non satis possunt. Propterea, cum his affectionibus perturbatus est animus, tum maxime continenda lingua est, ne modum sermonis excedat.

Quod quidem de ira, qua maxime perturbatur animus, præcipit Tullius, ad Quintum Fratrem, et Seneca, 1. de Ira. c. ultimo: "Irascitur," inquit, "veritati, clamore et tumultu, et totius corporis jactatione; quos destinavit insequitur, adjectis conviciis maledictisque." Nec ab re est illud, Prov. 26.: "Qui imponit stulto silentium, iram mitigat."

Et Isaias Abb., Or. 27.: "Si te ira commotum videris, et non tui juris, cave ne quid omnino loquaris; ne crescat perturbatio," p. 230. a.

Et Climacus, Gr. 8. initium vacuitatis iræ ait esse labiorum silentium in perturbatione cordis. Et infra dicit monachum quendam, cum morderetur injuriis, ac perturbaretur animo, silentio tamen iracundiam compressisse. Quod ipsum intelligendum est de cæteris animi perturbationibus; ut cum exortæ fuerint, subtrahamus illi incrementi materiam, labiorum silentio, ac moderatione sermonis. Verum est enim, quod Abbas Pastor dicere solitus est: Omnis labor, quicunque evenerit tibi, ex taciturnitate superabitur."

Eodem modo, cum de rebus nostris, aut de iis quas amamus, sermo habebitur, continenda lingua erit: quoniam amor ipsa loqui cogit uberius, proptereaque sapienter monet Plutarchus, opusc. de garrulitate, ut quo facilius id vitium linguæ coerceas, vites sermones eos, ad quos cum voluptate duceris.

Jam quoad alterum quod propositum erat, scilicet quando unaquæque res dicenda ac proferenda sit, id etiam ad circumstantiam temporis spectat. Non est

autem parvæ prudentiæ, nosse temporis opportunitatem, quo unumquodque proferendum est verbum: neque enim satis est verbum optimum esse, et id quod dicitur valde pulchrum, nisi etiam tempestive id in sermonem inferatur; ita ut ea quæ narramus sequuta, non accersita, nata non evocata videantur. "Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo." Prov. 25. Pulchritudinem, et ornatum argenteorum lectorum mala aurea vehementer augent; sic tempestiva verba eorum qui ea proferunt sapientiam prudentiamque commemorant, ita ut vel ex hoc uno prudentes ab imprudentibus internoscas. Et Eccli. 20: "Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo." Tanti facit Scriptura tempestivum opportunumque sermonem. V. g. Si in familiari sermone velis speciosis uti sententiis, quemadmodum in concionibus fieri solet, deridearis: aut si ea quæ narras vi trahas, et longe petas, vel si nimium a re proposita digrediaris, ut id quod tibi arridet enunties, justam item irridendi tui causam præbeas.

Ad eandem circumstantiam temporis pertinet illud tertium; "Nosse quando absolute silendum sit:" qua etiam in re perspicitur prudentia, ac modestia loquentis. Quia, ut supra diximus ex B. Gregorio, etiam in silentio et taciturnitate, si importuna sint, potest esse peccatum. Stulti enim dum vitia fugiunt, in contraria currunt; et dum loquacitatem vitare volunt, in taciturnitatem immoderatam incidunt. Contra vero, "homo sapiens" (ut ait Scriptura, Eccli. 20) "tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non servabunt tempus." Dixerat autem, paulo ante: "Est tacens, non habens sensum loquelæ: et est tacens, sciens tempus apti temporis." Nam qui importune, et intempestive silet, non differt a muto, et ab eo cui natura loquendi sensum facultatemque negavit. Quocirca bene nobis lex nostra consuluit, quæ quibus temporibus, et quemadmodum tenendum silentium sit, nos edocet, ut reg. 26. ex communibus.

Optimus autem canon necessitas est: ut, cum hæc loquendi tempus imperat, tum silentium atque ora solvamus, cum vero nihil tale exigit, silentium ipsum teneamus. Facile autem, cum quo tempore loquendum sit, docuerimus, ex contrariis possumus intelligere, quibus maxime temporibus sit silendum; ut jure tertium hoc membrum ad primum illud revocari possit.

DE CIRCUMSTANTIA PERSONARUM.

Ex circumstantiis etiam personarum moderandus est sermo. Modestiam autem in loquendo tenebimus, si eos quibuscum loquimur, diligere ac vereri videamur; quod præcipit etiam Tullius, 1. Off.: "Maxime," inquit, "curandum est, ut eos quibuscum sermonem conferemus et vereri et diligere videamur:" nam et amor in proximum quemque, et verecundia nos continet in officio, ne quid præter decorum modumque proloquamur. Ita duo nos edocent ex hac parte in sermone modestiam; verecundia, et dilectio.

Et verecundiæ quidem erit 1°, Si senioribus deferamus, et, ut initio diximus ex Scriptura, malimus eos audire, quam iis præsentibus multa loqui.

2°. Si ab adulatione caveamus; ne dum diligere velle videamur, aut alteri placere, incidamus in assentando suspicionem. Mart. Dum. Episc. l. de Quatuor Virtutibus: "Nullius per assentationem amicitiam merearis; nec ad tuam promerendam per hanc aditum pandas." Idem, infra: "Cunctis esto benignus, nemini blandus."

Et B. Isaias, Or. 10: "Nec hominem coram laudes, nec usquam vituperes."

3°. Verecundiæ etiam erit coram prudentibus et sapientibus a nimiis aliorum laudibus, vel vituperationibus temperare. B. Isaias, in Apophtheg. de eo qui vult quiete frui dicit: "Ne quemque vituperet, aut laudet, aut beatum putet."

Idem Martin.: "Lauda parce, vitupera parcius; nam similiter," inquit, "reprehensibilis est nimia laudatio, ut immoderata vituperatio: illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta, testimonium veritati, non amicitiæ reddes." Duas rationes attingit, cur nec nimium laudare quempiam oporteat, nec vituperare. Primam, quia gignitur suspicio adulationis, vel malignitatis. Secundam, quia amicitiæ vel odio videtur reddi testimonium, non veritati. Adde tertiam. Quia non est pudentis, et verecundi hominis, præsertim coram prudentibus, de aliorum vita moribusque ferre sententiam, judicumque suum tanquam excellentis auctoritate hominis interponere. Accedit etiam quarta; quod plerumque nimia aliorum laudatio coram iis qui sibi aliquid esse videntur, aut re vera sunt, minus solet esse jucunda; putant enim se præ illis, qui laudantur, haberi minoris: atque idcirco evitandus hic scopulus diligenter.

Dilectionis autem, et charitatis erit, 1m. si de eorum potius quibuscum loquimur, rebus, quam de nostris sermonem inferemus. Sunt enim multi, qui de suis rebus nimium libenter sermonem inferunt. Ex quo fit, ut semper ipsi loquantur: quia amore suarum rerum, vel suæ artis ac professionis longe provecti, modum in loquendo tenere non possunt; cæteris autem vix loquendi spatium ullum dant. Cum contra suadeat charitas, ut potius de eorum quibuscum agimus, loquamur rebus quam de nostris; sic enim facile consequimur, ut illi ipsi qui in congressu convictuque nostro muti sunt, et verborum laborant inopia, suarum rerum recordatione, atque amore excitati, materiam aliquam sermonis inveniant.

2m. Charitatis etiam, et prudentiæ fuerit accommodare sermones ad eorum, quibuscum agimus, captum atque intelligentiam. Propterea enim multi silent, quia sæpe de rebus quas ipsi minus capiunt, introducitur sermo. Ut, si coram iis qui litteras non noverunt, de litteris, ac scientia sermonem inferas, etc. Ut jure ad alios fugiant, ne

coram te litteris erudito muti semper esse cogantur: perinde enim est de rebus alteri incognitis disputare, ac diversis loqui linguis non omnibus notis; ita sunt imperitorum aures rebus subtilioribus, ut linguis peregrinis atque exteris surdæ. Quare Gregorius: "Pro qualitate," inquit, "audientium formari debet sermo doctorum; ut et sua singulis congruant, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat:" 3 par. past. in pro. Quod autem dicimus de accommodandis ad captum cujusque sermonibus, accipi etiam debet de iisdem accommodandis ad præparationem animorum, et conditionem personarum. Dicit nam Scriptura, Prov. 23: "In auribus insipientium ne loquaris; quia despicient doctrinam eloquii tui." Et Prov. 18: "Et auris sapientium quærit doctrinam." Et Eccli. 18: "Non recipit stultus verba prudentiæ." Christus autem, quia non satis præparatos habebat discipulorum animos ad ea omnia quæ posset dicere, Joan. 16. "Adhuc," inquit, "multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo:" propterea multa reticet, et in tempus aliud magis opportunum reservat.

Atque hæc de Modestia, et ratione loquendi, deque tota disputatione earum legum, quibus Modestiæ præcepta continentur.

FINIS.

060.152 54652
Or5

Orlandini, Nicolas
AUTHOR

Tractatus seu Commentarii in
TITLE

Summarium Constitutionum.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
12/13/61	--Novitiate of Los Gatos- 3 months. STORAGE - COSA	

54652